# SANCTI
# BERNARDINI
## SENENSIS ORDINIS
## SERAPHICI MINORVM,
IN
# APOCALYPSIM
## BEATI IOANNIS
## COMMENTARII,

*Argumentis & poſtillis à R. F. IOANNE DE LA HAYE Pariſino illuſtrati.*

## TOMVS QVINTVS.

# PRÆFATIO
## AD LECTOREM.

NON leuis ſuſpicio ( benigne Lector ) poſſet eſſe pluribus hos in Apocalypſim Commentarios non à calamo Bernardini ſcriptos cum vſque ad hæc tempora lucem non viderint, ſed ſilentio obuoluti omnino delituerint; verum non obinde tanquam non ſui contemnendi niſi & quæ aliorum opera ſunt indubitata, nouiter reperta irreuerenter & temere reiicienda velimus: an quia poſt mille centenos annos inuentus in Bibliotheca Feſulana canonicorum regularium in Hetruria liber de geſtis Pelagij contra aduerſarios gratiæ, reſpuendus tanquam ſuppoſititius Auguſtini fœtus, qui pro legitimo ſeorſim multis iam prodiit in locis & in editione Pariſienſi anno 1614. cæteris eiuſdem Doctoris operibus inſertus eſt? commentaria illa in Epiſtolas Pauli Anſelmo Cantuarienſi tribuuntur prodierunt in lucem, ferme quadringentis quinquaginta annis ab obitu Anſelmi; inde in nouioribus operum Bernardi editionibus quot accreuerunt epiſtolæ, quas ab eo conſcriptas eſſe nullum probis viris dubium? omnium ferme ſanctorum opera prodiere auctiora poſterioribus his ſæculis, & quædam duplo ſeipſis maiora: anne feremus iudicium de tot tantiſque operibus quæ ſucceſſiuis editionibus facta ſunt iuris communis in Bibliotheca veterum Patrum, vt nullum genuinum adſcripti auctoris eſſe dicatur? ad tam manifeſta exempla nimius certe erit ſcrupulus de his admittendis commentariis, præſertim cum Bernardini ſpiritum & ſcientiam verba ipſa redoleant, ipſum eſſe Bernardinum auctorem ratio ſuadeat, ſtylus doceat, confirmet veritas.

Ad huius veritatis confirmationem, quæ in dubium nullo modo reuocari poterit ſupponimus noſtrum Bernardinum in Apocalypſim edidiſſe commentarios. Teſtes omni exceptione maiores profero, non ex noſtra Seraphica religione, ſed ex ſacris aliis ordinibus deſumpto: primus ſuadeat, Tritemius Abbas Benedictinus de Scrip. Eccle. Bernardinus ( inquit ) Ordinis Minorum, patria Senenſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus, &c. ſcripſit ad ædificationem fidelium, quædam opuſcula, quibus ingenij ſui vim etiam poſteris oſtendit, in Apocalypſim Ioa. lib 1. Beatus qui legit &c. triplex Sixtus Senenſis ex ordine ſancto Prædicatorum in ſua Bibliotheca, hoc ſcriptum de B. Bernardino poſteritati reliquit: Bernardinus natione Hetruſcus, patria Senenſis, Ordinis Minorum, ſcripſit more ſcholaſtico ſed ſermone magis aperto ac ſimplici librum in Apocalypſim cuius initium eſt Beatus qui legit verba libri huius. Cardinalis Robertus Bellarminus de ſacratiſſima Ieſu Societate in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 1438. ſic habet Sanctus Bernardinus profeſſione Franciſcanus vir doctrina & miraculis clarus, ſcripſit Sermones de Tempore, ſcripſit etiam in Apocalypſim &c. ex eadem Societate, Antonius Poſſeuinus, in ſuo apparatu idem teſtatur his verbis, Bernardinus Senenſis natione Hetruſcus, Ordinis Minorum, plura ſtylo ſcholaſtico ac neruoſo reli-

Trithemius Abbas.

quit, in Apocalypſim lib. 1. Beatus qui legit, &c. Mitto Fabianum Iuſtinianum Genuenſem Presbyterum congregationis Oratorij de vrbe in ſuo de ſacra ſcriptura eiuſque interpretibus commentario recenſentem eos qui in Apocalypſim ſcripſere, inter alios noſtrum Bernardinum Senenſem nominat: quis ergo ſuſpicionis locus poterit eſſe commentarios in B. Joannis Apocalypſim ab eo non editos fuiſſe.

Sed nihil probatum eſſe dices; niſi etiam hos quos luci reſtituimus, ſuos eſſe confirmauerimus: ſupponimus tanquam luce meridiana clarius à viro Minorita conſcriptos, quis enim ex alieno inſtituto ita in Seraphicum Patriarcham propenſus, vt plures ex reuelationibus B. Ioannis ſenſu accommodatitio & aliquando litterali ei tribuere voluiſſet? explicans enim hæc verba Vincenti dabo manna abſconditum ſic ait, poſſunt eſſe Chriſti promittentis B. Franciſco illud ſingulare priuilegium Seraphicæ apparitionis & conſignationis, dicentis, vincenti, id eſt beato Franciſco, de quo cantatur, mundum vicit, & vitium, ſe victo victor inclytus, dabo, &c. vbi quatuor ſibi promittit, quæ apparent in viſionis ſerie ſupra dicta, primo promittit iubilum exceſſiuum cum dicit, dabo manna abſconditum. Sicut enim manna aliquo certo ſapore non determinabatur; ſic iubilus eſt quoddam ſpirituale & ineffabile gaudium, quod non poteſt exprimi nec taceri, vt dicit gloſſa ſuper illud. Aſcendit Deus in iubilo. Secundo promittit incendium compaſſiuum, cum addit. Dabo illi calculum candidum; id eſt ignitum paſſionis amplexum. Calculus enim lapis ignitus carbunculus, qui propter flammeum colorem igneus appellatur. Tertio eidem repromittit, ſignum figuratiuum. Cum ſubdit, Et in calculo nomen nouum ſcriptum, vnde iſtud, Chriſtus eſt cuius ſcriptura eſt crucis figura, vnde per caracterem habentem crucis figuram, ſcilicet per crucem deſcribit ſecundum Iſidorum. Nomen igitur Chriſti ſcriptum beato Franciſco, datur, quando cum crucifixi titulo conſignatur. Quarto repromittit ei myſterium ſecretiſſimum. Cum concludit quod nemo ſcit niſi qui accipit.

Hæc quatuor in viſione prædicta per ordinem ſunt adimpleta. Nam in aſpectu Seraphico inexpreſſibiliter oblectatus ex paſſione coniungebatur: ſed crucifixo indicibiliter compatiebatur, & ſibi reuelabatur myſterium, quia ſicut ipſemet dicit. Nulli quamdiu viueret reuelauit, forte audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui; verba ſimiliter ex cap. 4. & quartum animal ſimile volanti aquilæ exponens ait, hoc poteſt ſumi ad commendationem B. Franciſci &c. illuſtrans ſimiliter illum quinti capitis verſum, & vidi librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem, ait, alius liber eſt beatus Franciſcus ſcriptus intus ſpiritualiter per incendium compaſſionis, & foris corporaliter per ſtigmata paſſionis, cuius leo de tribu Iuda ſoluit ſeptem ſignacula oſtendens, circa ipſum ſeptem crucis oracula, quæ ſunt hæc, ſcilicet armorum ſigna crucis inſignitorum repromiſſio, crucifixi Chriſti apparentis compaſſio, de cruce dulcis alloquutio, crucis auræ procedentis oſtenſio, gladiorum admodum crucis transfixio, ipſius in aëre crucifixi apparitio, ad aſpectum Seraph crucifixi ſtigmatum impreſſio explicat ſicut B. Bonauentura hanc viſionem de altero Angelo aſcendente ab ortu ſolis habente ſignum Dei viui de beatiſſimo Minoritarum Patriarcha; ſilentio prætermittere piaculum ducerem quæ ab eo hæc verba c. 11. dabo duobus teſtibus meis & prophetabunt aperiente, dicuntur, commendantur Enoch & Elias à veritate cognitionis, deinde per Eliam deſignatur proprie beatiſſimus Pater noſter Franciſcus ex obedientia indefeſſa, vnde omnia vendidit, parenteſque reliquit ad nutum inſpirantis Dei, propter quod ſicut corui Eliam paſcebant, ſic omnes creaturæ Franciſco obſequium exhibebant, in Franciſco etiam pœnitentia exceſſiua, vnde panem vix ad ſufficientiam comedebat, contentus vna tunica & accinctus cordula; in Franciſco etiam iuſtitia inconcuſſa, propter quam audacter prædicabat coram Soldano, mortem corporalem nihil penitus reputans vt Chriſtum lucrifaceret & animas redemptas pretioſo ſan-

guine

*guine ad pœnitentiam reuocaret. Aſsimilatur Heliæ, imaginaria viſio futuræ gloriæ & ſpecialiter quando vidit Seraph ad eius contuitum liquefacta eſt anima eius, & per incendium compaſſionis in eum totaliter transformata, ſic & Helias aſcendit in curru igneo, ſic fuit Franciſcus, &c.*

*Quod autem hic Minorita non alius fuerit niſi noſter Bernardinus, hæc triplex ratio conuincit. Nullus alius fuit ex noſtris (qui quidem plures fuere Apocalypſim commentarios illuſtrantes, vt compertum habemus ex auctoribus noſtræ Bibliothecæ Franciſcanæ) qui hanc in Apocalypſim expoſitionem ediderit, nullus ſic ſuum duxit commentationis exordium, nullus eodem fine concluſit.*

*Secunda, omnes auctores qui teſtantur operam nauaſſe noſtrum Bernardinum in explicando Apocalypſeos libro, tenent initium duxiſſe ab illis verbis Beatus qui legit verba libri huius &c. concordat huic principiò præſens Apocalypſis commentarius luci reſtitutus.*

*Tertia, in capite decimo-ſexto huius libri verſus finem explicaturus vſuræ proprietates & ſpes hæc habet verba, iſta vſura multis modis variatur, ſed ſatis de ea dictum eſt in Quadrageſimali: Quis autem in dubium reuocare poteſt, in eruditiſſimo ſuo de Euangelio æterno Quadrageſimali, ad minus duodecim doctiſſimas de vſura conciones edidiſſe, & ideo hic ab ea & eius proprietatibus & ſpeciebus ſuperſedere ſe dicit, quia in Quadrageſimali late hæc aperuerat. En igitur luce meridiana clarius, noſtrum Bernardinum Apocalypſim Commentariis illuſtraſſe, & eoſdem eſſe, quos tibi recenter typis excuſos animo grato offerimus. Si autem mihi probatum dederis auctores qui hoc teſtimonium de eius ſcriptis prodiderunt hallucinatos, & ſi non hallucinati fuere, tamen hæc non eſſe Bernardini, ſed alterius ex noſtris, fœtum legitimum, ſed ſuppoſititium tibi libentiſſime ſubſcribam.*

*Vnum quidem & non leuiſſimum obiicies argumentum ſi Bernardinus commentarios in B. Ioan. Apocalypſim, edidit quomodo in angulis & ſub pluteis delituerunt vſque ad hæc tempora? nonne incuriæ & deſidiæ accuſari deberent anteriores conſodales qui in hunc vſque diem adeo eximium opus neglexerunt typis luci reſtituendum?*

*Huic obiectioni in exordio præfationis ſatis abundè reſponſum eſt, ſed vlterius primo ſatis faciam, primæuos illos noſtros patres plus operibus propriis poſteritati conſignandis indulſiſſe, quam alienis excudendis, plus laboraſſe in germani fœtus ingenij editione, quam in ornamento alieni: ſecundo vt diximus, quod tanti viri hucuſque in Apocalypſim expoſitio delituerit, non ob inde tanquam non ſua contemnenda, niſi & quæ aliorum ſunt indubitata nouiter reperta irreuerenter & temere reiicienda dixerimus, Nonne Reuerendiſſimus totius Ordinis noſtri Miniſter generalis digniſſimus & omnium eruditiſſimus Ioannes Baptiſta à Campanea, parat in lucem prope diem dare decem ingentia noſtri ſubtiliſſimi Ioannis Duns Scoti opera, in quorum numero ſunt doctiſſimi in quatuor Euangeliſtas, & in omnes D. Pauli epiſtolas ab eo conſcripti commentarij, & quia lucem non vidère ſed delituere, tanti doctoris dices fœtum eſſe ſuppoſititium an noſtrum Religionis noſtræ decus, ornamentum Patrem Lucam Vuaddingum Theologiæ Lectorem emeritum, opuſcula noſtri ſanctiſſimi Patriarchæ à ſe incredibili labore collecta & data poſteritati, dices ſuppoſuiſſe? an quæ detexit noſtri Seraphici Doctoris, quæ Sixti quinti eorumque qui eius cudendis operibus præfuerunt notitiam ſubterfugerunt; an quæ de nouo offendit noſtri doctoris ſubtilis, B. Ioannis Capiſtrani, Petri de Candia, (qui Alexander quintus) Franciſci à Ruuere (qui Sixtus quartus) aliorumque vt Iacobi Piceni, doctiſſimi Galatini &c. aſſeres fictitia eſſe opera? certe imprudens & impudens cenſura, ad hæc igitur exempla nimius ſcrupulus de his noſtri Bernardini in Apocalypſi elucubratione tanquam illegitima non admittenda, præſertim cum vt iam diximus Bernardini eruditionem redoleat,*

*ipſum*

*ipſum eſſe Bernardinum auctorem ſtylus doceat, ratio demonſtret, veritas perſuadeat.*

*Vnum eſt quod te admonitum volo ſolum vnicum præ manibus exemplar habere potuiſſe, & illud quidem multo labore conquiſitum, ita obſoletum, tinearum, ac blattarum prædam, inconditum, mendoſum, indiſtinctum, & orthographiæ negligentiſſimum vt fere deficerem animo, & quaſi deterrerer ab eo luci reſtituendo, & ſane vt verum fatear, niſi Dei ſpeciali fuiſſem adiutus beneficio nihil lectione dignum potuiſſem producere.*

*Quid autem præſtiterim lingua faue, & audies, imprimis mendoſa multa, quæ potui caſtigaui, hiantia pleraque impleui, & iunxi, verba aliquando aut alia pro aliis repoſui, ſenſum imperfectum perfeci, cuilibet capiti argumentum præfixi, ordine ſuo quemlibet verſum ſtatui, poſtillis & citationibus ſacræ Scripturæ auctoritatum in marginibus illuſtraui. Et licet hunc impenderim laborem grauiſſimæ irrepſerunt mendæ incuria typographi, vel (ne dicam) alicuius malitia. Cum enim correctioni adeſſe non potuiſſem nec errata emendare mihi licuerit, quapropter, benigne lector, te deprecor vt cum in aliquod graue incideris, ſummarium eorum conſulere: quidquid autem in his operibus noſtri Bernardini Senenſis addiderim, minuerim, aut quomodocunque emendauerim, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio & cenſuræ libentiſſimè ſubiicio.*

# INDEX LOCORVM
# SACRÆ SCRIPTVRÆ
## EX VETERI TESTAMENTO.

## GENESIS.

CAP. I. *POSVIT ſtellas in firmamento cœli, vt ſint in ſigna & tempora & dies & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* 64
*In principio creauit Deus cœlum & terram.* 8
*Feciſque Deus duo luminaria magna.* 105
2. *In qua hora comederitis, morte moriemini.* 96
*Fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* 54
7. *Finis vniuerſæ carnis venit contra me.* 110
8. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis.* 82
14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* 92
18. *Apparuit Dominus Abraham ſedenti in oſtio tabernaculi.* 129
20. *Rex regum & Dominus dominantium.* 122
21. *Vocauit Angelus Domini Agar dicens.* 54
*Et ne metiaris illud.* 75
23. *Vidi Dominum facie ad faciem.* 71
27. *Statimque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam benedicens ait, &c.* 29
33. *Dixit Angelus ad Iacob, &c. iam enim aurora eſt.* 54
36. *Adorauit Iacob ſepties pronus in terram.* 100
49. *Prœliabitur ſapienter.* 83
*Catulus leonis Iuda ad prædam.* 42

## EXODVS.

CAP. III. *VAdam, & videbo viſionem hanc magnam.* 7
*Ego ſum qui ſum.* 8
4. *Audierunt quod viſitaſſet Dominus populum Iſraël & adorauerunt proni in terram.* 88
*Virgam quoque hanc ſume in manu tua in qua facturus es ſigna.* 74
10. *Eritis mihi in regnum, & ego ero vobis in Deum.* 78
15. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen illi.* 32
*Præcepit Dominus fieri emunctoria ad parandas lucernas.* 118
16. *Egrediatur populus & colligat quæ ſufficiant per ſingulos dies, vt tentem eum.* 31
17. *Aduenit dies tertius.* 80
20. *Faciant mihi ſanctuarium iuxta ſimilitudinem tabernaculi quod oſtenduut ibi.* 129
22. *Erit autem nobis ſanguis in ſignum in ædibus.* 67
23. *Ego mitto Angelum meum qui præcedat te in via, & introducat ad locum.* 62
25. *Dominus omnipotens nomen eius.* 85
31. *Ponat mihi gladium.* 11

## LEVITICVS

CAP. XXIII. *SVmetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum.* 58
24. *Præcipe filiis Iſraël vt afferant tibi oleum de oliuis puriſſimum ad continendas lucernas.* 118
28. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima veſtra.* 129

## NVMERI.

CAP. V. *CVm deſcenderet ſupra caſtra nos, deſcendebat & pariter manna.* 71
*Puellas autem & omnes virgines ſeruate vobis.* 93
12. *Deſcendit Dominus in nubem leuem* 71
16. *Inuenit Aaron germinaſſe virgam in domo Leui.* 74
23. *Orietur ſtella ex Iacob.* 64
24. *Quam pulchra tabernacula Iacob & tentoria tua Hieruſalem.* 128

## DEVTERONOMIVM.

CAP. III. *REcordaberis cuncti itineris per quod induxit te Dominus Deus quadraginta annis per deſertum vt affligeret atque tentaret.* 31
19. *Ipſum timete, & mandata eius cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis.* 55
31. *Videte quod ego ſum ſolus, & non ſit alter Deus præter me.* 8. 39
*Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* 21
32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans.* 38
*Deus fidelis.* 129
*Inundationes maris quaſi lac ſugent.* 23

## IOSVE.

CAP. II. *VIdit opera.* 18

## IVDICVM.

CAP. VI. *STellæ manentes in ordine ſuo pugnauerunt contra Siſaram.* 11. 15. 51
*Cumque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, &c.* 74

## I. REGVM.

CAP. IV. *PRæliare Domine in prælio.* 83
14. *Aſcendit Ionathas reptans manibus.* 54

*Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur quæ non reuertitur.* 112
33. *Sicut lux auroræ oriente ſole, abſque nubilo rutilat.* 104

## II. REGVM.

Cap.VI. *DAuid educit Arcam Dei de domo Aminadab quæ erat in Gabaa.* 32
12. *Conuerſatus ſum coram vobis ab adoleſcentia mea in diem iſtum.* 109
21. *Non egredieris nobiſcum in prælium ne extinguas lucernam in Iſraël* 118
22. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam,& clamor meus venit ad aures eius* 101

## III. REGVM.

Cap.I. *SEmper audiunt ſapientiam tuam.* 40
*Quæramus Domino noſtro adoleſcentulam virginem,&c.* 93
3. *Præceperat rex vt tollerent lapides pretioſos in fundamentum templi.* 79
4. *Regnum firmatum eſt in manu Salomonis.* 78
5. *Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* 54.97
19. *Fac mecum Domine miſericordiam.* 67
22. *Da mihi vineam tuam.* 93

## IV. REGVM.

Cap.II. *VAde, lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua.* 73.93
*Et facti ſunt dies omnes Enoch,&c.* 76
*Cumque pergerent, ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque.* ibid.

## ESDRAS.

Cap.II. *MAgna eſt terra & excelſum eſt cælum & velox curſus ſolis, conuertitur in gyro cœlum in locum ſuum à meridie.* 105
*Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis ſuis.* 121

## TOBIAS.

Cap.III. *FAc mecum Domine miſericordiam.* 67
*Iuſtus es Domine,& iuſta iudicia tua.* 101
4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.* 24
11. *Ego ſum Raphaël vnus de ſeptem qui aſtamus coram Deo.* 5
12. *Ego obtuli orationem meam.* ibid.
*Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* 13
*Benedicite Dominum & narrate mirabilia eius.* 100
13. *Beatus ero.* 18
*Per omnes viros.* ibid.

## IVDITH.

Cap.VIII. *BEnedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* 85

## ESTHER.

Cap.II. *ADamauit eam rex pluſquam omnes mulieres & poſuit diadema in caput eius.* 85
*Iuſſit conuiuium præparari magnificum cunctis principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptiis Eſther.* 121
15. *Valde amabilis es Domine,& facies tua plena eſt gratiarum.* 12.71

## IOB.

Cap.I. *ECce in manu tua ſunt omnia quæ habet.* 13
3. *Quæ ædificauit ſibi ſolitudines.* 83
5. *Ego deprecabor Dominum.* 100
6. *Si fortitudo quæritur fortiſſimus eſt.* 71
7. *Si ſuſtinuero infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum.* 24
10. *Tædet animam vitæ meæ : dimittam aduerſum me eloquium.* 67
*Columnæ cæli contremiſcunt.* 70
11. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ valeat comparari.* 84
13. *Homo natus de muliere.* 85
16. *Eſt in cælo teſtis meus.* 5
19. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* 80
23. *Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* 20
25. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbia.* 24
29. *In nidulo meo moriar & ſicut palma multiplicabo dies meos.* 57
30. *Cum eo fabricatus es cælos.* 118
31. *Aquila volatu celeri aſtuta paſſu fortis vt nubecula.* 65
36. *Cum eo fabricatus eſt cælos.* 52
38. *Numquid noſti ordinem cæli, & pones rationem in terra.* 118
39. *Dominus cuſtodiebat me quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum.* 118
*Equus procul odoratur bellum.* 115

## LIBER PSALMORVM.

Psal.II. *SI exurgat aduerſum me prælium.* 83
6. *Dominus regnauit exultet terra.* 79
7. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* 100
*Quoniam ego ſum ſcrutans renes,& corda.* 24
*Deus iudex iuſtus.* 85
9. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.* 16
*Quoniam qui malignantur exterminabuntur.* 79
10. *Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit.* 104
*Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* 95.129
13. *Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.* 28
15. *Delectationes in dextera tua vſque in finem.* 8
*Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* 96
16. *Narrate in gentibus gloriam eius,& in cunctis populis mirabilia eius.* 100
*Inclinauit cælos,& caligo ſub pedibus eius.* 85
*Benedictus Dominus Deus noſter, qui docet manus meas ad prælium.* 83
*Deus meus impolluta via eius.* 100
18. *Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.* 9
*Cæli enarrant gloriam Dei.* 80
*In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* 105.122
23. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco*

loco

*loco ſancto ſuo.* 54
24. *Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas.* 100
25. *Vnam petij à Domino hanc requiram.* 128
28. *Seruite Domino in timore.* 100
*In templo eius dicent gloriam.* 80
30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti.* 90
33. *Magnificate Dominum mecum & exaltemus in idipſum.* 100
37. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* 108
38. *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* 112
40. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula, protegar in velamento alarum tuarum.* 128
44. *Adducentur regi virgines poſt eam.* 93
*Aſtitit regina à dextris tuis.* 128
45. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.* 129
*Vacate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* 7
*Aſcendit Deus in iubilatione.* 41
47. *Secundum nomen tuum Deus: ſic & laus tua in fines terræ.* 16
*Exultabunt cornua iuſti.* 43
50. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis.* 6.16
54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo, & requieſcam.* 39.65
57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* 95.123
*In velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.* 2
64. *Beatus quem elegiſti.* 4
67. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* 49
*Aſcendit Deus ſuper occaſum.* 54
*Qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi.* ibid.
72. *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* 24
73. *Tu confregiſti capita draconis in aquis.* 82
74. *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius.* 32
76. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra.* 110
78. *Effuderunt ſanguinem ſanctorum.* 104
79. *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus.* 12.71
84. *Quando veritas de terra orta eſt.* 33
*Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* 9
85. *Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* 100
86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* 132
88. *Et teſtis in cœlo fidelis.* 5
*Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* 38
*Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.* 55
90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* 82
*Angelis ſuis Deus mandauit de te vt cuſtodiant.* 61.104
92. *Regnauit, decorem indutus eſt.* 79
94. *Venite adoremus, venite exultemus Domino.* 100
98. *Dominus regnauit, iraſcantur populi.* 79
103. *Ecce draco iſte quem formaſti.* 82
*Aperiente te manum omnia replebuntur.* 73
*Fecit lunam in tempora.* 51
*Qui fecit Angelos miniſtros ſpiritus.* 61.104
*Mare magnum & ſpatioſum manibus, in quo reptilia quorum non eſt numerus.* 84.100
104. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.* 88
110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.* 35
118. *Paratus ſum & non ſum conturbatus.* 63
*Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* 34
*Lucerna pedibus meis verbum tuum.* 118
*Omnis conſummationis vidi finem.* 8
127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* 16
*Si introiero in tabernaculum domus meæ.* 129
132. *Sicut ros qui deſcendit in monte Sion.* 71
138. *Manus tua deducet me.* 73
140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* 35
144. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua.* 100
*Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* 120

## LIBER PROVERB.

Cap.I. *Qui me audiunt.* 18
2. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis qui inueſtigat ſecreta cordis.* 118
3. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius.* 73.110
*Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam & qui tenuerint eam beati.* 18
*Viæ eius viæ pulchræ, & ſemitæ eius pacificæ.* 100
4. *Vias ſapientiæ monſtrabo tibi, quas cum ingreſſus fueris non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* 100
5. *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam.* 109
7. *Intexui funibus lectum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto.* 24
8. *Accipe diſciplinam & non pecuniam, &c.* 73
*Ab æterno ordinata ſum.* 113
9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* 99
11. *Fructus iuſti lignum vitæ.* 18
13. *Putredo oſſium inuidia.* 108
15. *Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos.* 23
17. *In facie prudentis lucet ſapientia infuſa.* 113
21. *Aufer rubiginem à ferro.* 62
23. *Stultitia colligata eſt in corde pueri & virga diſciplinæ fugabit eam.* 25
*Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non ſenſi.* 23
24. *Noli eſſe amicus iracundo nec ambules cum viro furioſo, &c.* 107
25. *Aqua frigida refrigerat cor.* 59
26. *Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.* 23
27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.* 19
34. *Tria ſunt inſatiabilia, infernus, os vuluæ & terra quæ non ſatiatur aqua.* 106
vlt. *Panem otioſa non comedit.* 110
*Non extinguetur de nocte lucerna eius.* 118

## ECCLESIASTES.

Cap.I. *Oritur ſol & occidit in locum ſuum reuertitur, vbique renaſcens gyrat per meridiem & flectitur per Aquilonem.* 105
4. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens in domum Domini, & appropinqua vt audias.* 130
5. *Auarus non implebitur pecunia.* 109
*Quodcumque poteſt manus tua inſtanter operare, quia non eſt ars, nec ſcientia apud inferos quo tu properas.* 118

## CANTICA.

Cap.I. *Lectus noſter floridus.* 24
*Oleum effuſum nomen tuum.* 16
2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, &c.* 12

*Laua eius ſub capite meo,& dextera illius amplexabibitur me.* 12
3. *Omnes tenentes gladios ad bella doctiſſimi.* 11
*Quæ eſt iſta que aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi.* 54
*Tenui eum nec dimittam.* 81
*Aſcenſum purpureum media charitate.* 54
*In lectulo meo quæſiui per noctem, quem diligit anima mea.* 24
5. *Ego dormio,& cor meum vigilat.* 28
*Anima mea liquefacta eſt,vt dilectus locutus eſt.* 28
8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* 54

## LIBER SAPIENTIÆ.

CAP.I. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* 43
*Deus mortem non fecit.* 96
*Non eſt eis medicamentum exterminij.* 79
3. *Iudicabũt ſancti nationes,& dominabuntur populis.* 97
*Qui confidunt in illum intelligent veritatem.* 131
4. *Siquidem in nihilum computabuntur.* 122
*Fuit illis in velamento diei,& in luce ſtellarum nocte.* 11
*Fulgebunt iuſti ſicut ſcintillæ in arundineto.* 81
5. *Videntes turbabuntur timore horribili, gementes præ anguſtia ſpiritus & dicentes,&c.* 96
*Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei,& inter ſanctos.* 8
*Dextera ſua teget eos,& brachio ſuo defendet illos.* 12
*Lætatus ſum in omnibus,quoniam antecedebat me iſta ſapientia,&c.* 113
7. *In certamine loquelæ illius, ſapientia & præclaritas in communicatione ſermonum illius.* 113
9. *Dixiſti, ædificare me templum in monte ſancto tuo ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui quod præparaſti ab initio.* 101.129
10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* 78.100
17. *Dum medium ſilentium tenerent omnia.* 15
31. *Multos exterminauit vinum.* 79

## ECCLESIASTICVS.

CAP.I. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis:* 49
*Execratio eſt peccatori cultus Dei.* 129
4. *Vſque ad mortem certa pro iuſtitia & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* 19
14. *Fœlix qui non habuit.* 17
*Ego ex ore altiſſimi prodij.* 113
15. *Cibauit illum pane vitæ,& intellectus.* 59
*Qui timet Deum faciet bona.* 12
*Fructus glorioſi.* 82
*Pœnitentibus autem dedit viam iuſtitiæ, confirmauit deficientes,& ſuſtinere deſtinauit illos in ſortem veritatis.* 17
17. *Orationi præpara animam tuam.* 62
*Antequam loquaris diſce.* ibid.
20. *Qui operatur.* 18
*Synagoga ſuperborum non erit ſanitas.* 108
21. *Stultitia hominis auſcultare per oſtium, & prudens grauabitur contumelia.* 35
23. *Oculi eius multo lucidiores ſunt ſuper ſolem.* 23
*Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* 57
24. *Qui edunt me.* 18
*Liber vitæ & teſtamentum altiſſimi & agnitio veritatis.* 29
*Homo aſſuetus verbis imperij omnibus diebus vitæ non eruditur.* 108
*Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens.* 51
*Gyrum cœli circuiui ſola.* 52.118
27. *Homo iracundus intendit litem, & vir peccator conturbat amicos.* 107
34. *Ego feci in cœlis,vt oriretur lumen indeficiens.* 118
*Aliquoties vſque ad mortem periclitatus ſum eorum cauſa.* 19
35. *Beatus diues qui ſine macula.* 93
36. *Excita furorem,& effunde iram Dei viuentis in ſæcula ſæculorum.* 102
39. *Iuſtus cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo.* 28
40. *Species cœli gloria ſtellarum.* 15
42. *Sol illuminans per omnia reſpexit.* 105
43. *Species cœli in viſione gloriæ, ſol in aſpectu annuntians in exitu.* 105
*Sol exurens montes, ignes exſufflans & refulgens radiis ſuis obcæcat oculos.* 12
*Altitudinis firmamentum pulchritudo eius & ſpecies cœli.* 118
*Et luna in omnibus: in tempore ſuo oſtenſio temporu.* 51.
44. *Sol illuminans per omnia reſpexit,* 115
*Tripliciter ſol exurens montes.* 105
46. *Induit illum ſtola gloriæ,& coronauit eum.* 58
50. *Quaſi ſtella in medio nebulæ:& in medio ſeniorum.* 43

## ISAIAS.

CAP.I. *Hæc eſt viſio Iſaiæ.* 2
3. *Ecce nomen Domini venit de longinquo & quis nouit aduentum eius.* 16
*In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria.* 62
*Seraphim ſtabant ſuper illud ſex alæ vni & ſex alæ alteri.* 58
*Dominus ad iudicandum veniet cum ſenioribus populi.* 78.101
*Dominus ad iudicium veniet cum populis ſuis.* 97
4. *In illa die apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.* 106.
*Qui ſunt iſti qui vt nubes volant,& ſicut columbæ ad feneſtras ſuas.* 39.94
5. *Dilatauit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* 100
7. *Sume tibi librum grandem.* 29
*Ecce virgo concipiet & pariet filium.* 41
*Pete tibi ſignum.* 82
*Erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ.* 85
9. *Obſecro domine, memento quæſo quomodo ambulauerim,coram te in veritate & corde perfecto,& quod bonum in oculis tuis fecerim.* 105
*Poſui os tuum ſicut gladium acutum.* 11
*Vocabitur magni conſilij Angelus.* 61
*Aſcendet dominus ſuper nubem leuem & ingredietur Ægyptum.* 97
*Paruulus natus eſt nobis.* 41
10. *Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* 80
*Replebit eum ſpiritus timoris Domini.* 27
*Egredietur virga de radice Ieſſe.* 42.74
*In illa die erit radix Ieſſe.* 55.67
12. *In medio tui ſanctus Iſrael.* 15
*Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 59
*Coronans coronabit te tribulatione.* 32
13. *Ecce dies Domini crudelis.* 94
*Quis eſt ille qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra.* 41
*Replebuntur domus eorum draconibus & habitabunt ibi Struthiones.* 51
*Sedebo in monte teſtamenti,in lateribus aquilonis.* 108
14. *Muri tui coram te ſemper.* 131
15. *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt*

exten

extento collo,&c. 112
16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion. 59
17. Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem & ingredietur Ægyptum. 54
21. Quomodo fugiat leo, & catulus leonis ſupra prædam ſuam. 42
22. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. 81
23. Non adiiciet vltra vt glorieris calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis. 93
Et congregabuntur congregatione vnius faſcis. 118
24. Erubeſcat luna, & confundatur ſol cum dominus exercituum regnauerit. 79
26. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, ſaluator ponetur in ea murus & antemurale. 131
28. Sacerdos & propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium. 112
Væ coronæ ſuperbiæ. 32
31. Dixit Dominus cuius eſt ignis in Sion & caminus in Hieruſalem. 81
33. Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam. 32
Sedebit populus meus in tabernaculis fiduciæ in requie opulenta. 128
Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, &c. 129
Dominus legifer noſter ipſe ſaluabit nos. 76
35. Gaudium & exultationem obtinebunt. 18
Lætitia ſempiterna. 18
38. Audi derelicta habitans confidenter quæ dicis in corde tuo ego ſum, & non eſt præter me amplius. 116.
40. Tunc videbis propter veritatem,& afflues. 18
41. Rorate cœli deſuper,& nubes pluant iuſtum,aperiatur terra & germinet ſaluatorem. 79
42. Habitabit iuuenis cum virgine, habitabunt in te filij tui, & gaudebit ſuper te Deus tuus. 93
Rorate cœli deſuper. 115
43. Clama ne ceſſes, cecidit Babylon. 116
Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt. 41
47. Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylonis. 93
49. Exaltabo ad populum ſignum meum. 55
55. Erit dominus nominatus in ſignum æternum quod non auferetur. 55
57. Væ ergo qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſequendam & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. 107
Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. 9
59. Conuerſum eſt iudicium retro &c. 101
62. Tranſite per portas, parate viam in populo vt leuate ſignum ad populos. 67
65. Vere tu es Deus abſconditus. 42
70. Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum,& gloria Domini ſuper te orta eſt. 128
71. Gaudens gaudebo in domino,& exultabit anima in Deo meo,quia induit me veſtimentis ſalutis & indumento iuſtitiæ circumdedit me. 128
75. Ecce ego creo cælos nouos,& terram nouam. 128
84. Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. 58

## HIEREMIAS.

Cap.I. Annuntiate in gētibus,& auditum facite. 67
Magnum eſt nomen tuum & quis poterit reſiſtere ei? 16
2. Egredimini de medio populi meus. 116
3. Leuate ſignum in Sion & confortamini. 67
Dux virginitatis meæ tu es. 93
Cœli obſtupeſcent. 80
9. Sub vmbra manus ſuæ protexit me. 73
14. Nolite audire verba prophetarum,qui vobis prophetant & decipiunt, nobis viſionem cordis loquuntur non de ore Domini. 2
18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus illam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem illi. 17
20. Dedit calamum ſuauiter olentem. 74
22. Aſcende ad liberandum & clama. 54
Ego quaſi agnus manſuetus. 59
24. Non mittebam & ipſi currebant. 16
29. Ego ſum iudex & teſtis. 5
31. In charitate perpetua dilexi te,ideo attraxi te miſerans tui. 93
Tunc lætabitur virgo in choro,iuuenes & ſenes ſimul. 93

## BARVCH.

Cap.I. POſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. 80
3. Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis. 15
Quia aſcendit in cælum & accepit & deduxit eam. 54
Diſce vbi ſit prudentia,vbi virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & virtus, vbi ſit lumen oculorum & pax. 113

## EZECHIEL.

Cap.II. QVatuor facies vni,& quatuor pennæ vni 94
Et vidi & ecce manus miſſa eſt ad me in qua erat liber inuolutus. 41
Lamentationes,& carmen, & væ. 73
4. Apparuit calamus menſuræ in manu eius,odor ædificationis. 74
7. Argentum & aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini. 109
15. Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu. 85
18. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore. 18
21. In deliciis paradiſi ſui. 81
28. Negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum,argento,&c. 117
37. A quatuor ventis veni ſpiritus & ſuffla ſuper interfectos iſtos & reuiuiſcant. 55
41. Latius erat templum in ſuperioribus,& ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora per medium. 79

## DANIEL.

Cap.II. IN diebus autem regni ſuſcitabit Deus cœli regnum,quod in æternum non diſſipabitur. 78
Sit nomen Domini benedictum. 16.39
Hæc eſt Apocalypſis. 2
3. Qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 13
Et mirabilia fecit Deus excelſus apud me. 55
7. Quattuor venti pugnabunt in medio mari. 53
Tradentur in manu eius vſque ad tempora,& tempora & dimidium temporis. 69
Millia millium miniſtrabunt ei magna voce dicentium. 44
Regnum autem,& poteſtas,& magnitudo regni quæ eſt, &c. 78
Porro decem cornua ipſius regni decem reges ſunt. 111

*Suſcipient regnum ſancti Dei vſque in ſaculum.* 78
10. *Nemo adiutor meus fuit in omnibus his, niſi Michaël princeps noſter.* 83
*Iudicium ſedit & libri aperti ſunt.* 126
*Quæ habet plagam gladij.* 89
11. *Multiplicabit gloriam, & dabit ei honorem.* 89
12. *Surget Michaël princeps magnus, &c.* 83
*In tempore illo ſaluabitur populus meus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ.* 126

## OSEAS.

CAP. II *QVaſi leo rugiet & formidabunt filij maris.* 42
5. *Sponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus, eſto ergo fidelis.* 19.128
6. *Viuificauit vos poſt duos dies, & in tertia die ſuſcitabit vos.* 41

## IOEL.

CAP. I. *MAlogranatum & Palma & omnia ligna agri aruerunt.* 57
*Sol conuertetur in tenebras & luna in ſanguinem antequam veniat dies Domini magnus.* 51
3. *Canite tuba in Sion.* 63
*Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.* 43
*Reddam viciſſitudinem cito velociter.* 116

## AMOS.

CAP. I. *VÆ deſiderantibus diem Domini.* 65
4. *Leo rugiet, quis non timebit.* 42
5. *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris.* 24

9. *Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam.* 54

## MICHEAS.

CAP. V. *INdicabo tibi ô homo quid bonum ſit: & quid Dominus requirat &c.* 106

## ABACVC.

CAP. I. *SOl & luna ſteterunt in tabernaculo ſuo & ſtellæ cœli ceciderunt ſuper terram.* 51
*Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis.* 11.51

## ZACHARIAS.

CAP. I. *BEatus vir qui ſuffert tentationem.* 59
*Quid enim bonum eius eſt, aut quid pulchrum eius niſi frumentum & vinum germinans virgines.* 93
9. *Tu autem in ſanguine tuo emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.* 41
12. *Aſpicient ad me quem confixerunt.* 7

## MALACHIAS.

CAP. III. *ORietur vobis timentibus Deum ſol iuſtitiæ.* 11.105

## I. MACHABEORVM.

CAP. 10. *EX hodierna die vſque in totum tempus Hieruſalem ſit ſancta.* 128

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ EX NOVO TESTAMENTO.

## EX MATTHÆO.

*DE qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* 20
*Vocabit nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* 16.20
*Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* 5
2. *Ædificaui turrim in medio eius.* 41
3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* 78
*Vade reconciliari fratri tuo.* 73
*Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* 38
4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum.* 31
*Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerues.* 39.100

Cum

*Cum vos oderint homines, & exprobrauerint & eiecerint nomen veſtrum,&c.* 132
*Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos.* 23
*Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* 23
*Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* 27
*Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* 55
*Cum orabitis dicite, Pater noſter.* 44
*Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 3
*Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* 7
*Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 34
*Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* 49
6. *Tu autem cum oraueris,intra cubiculum tuum,& clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* 35
*Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* 118
7. *Ecce nubecula obumbrabit eos.* 67
*Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* 71
11. *Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam vos.* 16
*Quoniam Nazarenus vocabitur.* 20
*Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* 3
*Abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelauit ea paruulis.* 3
*Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* 25.88
12. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* 78
*Væ vobis Scribæ & Phariſæi Hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum.* 41.78
*Omne regnum in ſe diuiſum.* 78
*Fulgebunt iuſti ſicut ſcintillæ in arundineto.* 81
*Ibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* 98
*Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare.* 36 78
15. *Tibi dabo claues regni cælorum.* 30
17. *Mittet Dominus Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* 78
*Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* 61
19. *In regeneratione cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* 69
*Si vis ad vitam ingredi.* 130
*Si vis perfectus eſſe vade,& vende omnia.* 73
20. *Obtulerunt ei denarium.* 48
*Acceperunt ſinguli denarios.* ibid.
*Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione.* 37
*Vix perdidit homicidas illos.* 129
*Tunc apparebit ſignum filij hominis.* 54.55
*Cælum & terra tranſibunt, verba mea non præteribunt.* 129
*Quoniam ſicut fulgur exit ab oriente & paret vſque ad occidentem.* 95
*Nonne ex denario conueniſti mecum?* 48
*Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna.* 7
*Omnes vos fratres eſtis* 9
25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes & libri aperti ſunt ſecundum opera ipſorum.* 126
*Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* 116.126
*Non nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* 104
*Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* 104
26. *Intrauerunt cum eo ad nuptias.* 121
*Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.* 93
27. *Exterriti ſunt cuſtodes.* 7
vlt. *Illi profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* 79
*Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida.* 58


## EX LVCA.


Cap.I. *Videamus hoc verbum quod factum eſt.* 49
*Viſitauit nos oriens ex alto.* 115
*Vocabitur altiſſimi filius.* 120
*Seruiamus ei in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo.* 20
2. *Paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* 28
*Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.* 105
*Benedicta tu inter mulieres.* 85
*Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* 132
*Natus eſt Chriſtus qui eſt Dominus.* 79
*Hoc vobis ſignum inuenietis infantem pannis inuolutum,&c.* 54
3. *Amen dico vobis neſcio vos.* 15
5. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* 31
8. *Quod autem cecidit in terram bonam hi ſunt,qui corde bono.* 115
9. *At illi ignorabant verbum, & erat reuelatum apud eos.* 2
10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 121
*Et nomina ſcripta,quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.* 130
*Protulit duos denarios.* 48
*Ecce ego noua facio omnia.* 128
11. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum poteſtate magna & maieſtate.* 21
*Beati qui audiunt verbum, Dei & cuſtodiunt illud.* 3.30
*Beati ſunt ſerui illi, quos cum venerit Dominus, &c.* 55
12. *Quis putas eſt fidelis.* 19
*Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* 1.8
15. *Diues ille induebatur purpura & byſſo.* 117
16. *Fili recordare quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* 119
18. *Homo quidam fecit cænam magnam & vocauit multos.* 121
19. *Dico autem vobis quod nemo aliorum virorum, qui vocati ſunt, guſtabit cænam meam.* 121
20. *Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt.* 41
24. *Aperuit illis ſenſum,vt intelligerent ſcripturam,Pater ignoſce illis.* 31
25. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis.* 55


## EX IOANNE.


Cap.I. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* 71
*Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* 77
*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccati mundi.* 91.1.4
*Quaſi vnigeniti à patre.* 43
*Gratia enim & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* 5
*Deus erat Verbum.* 49
2. *Nolite diligere mundum,neque ea quæ in mundo ſunt.* 77
*Ecce Agnus Dei.* 43
*Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ.* 79
3. *Qui non credit iam iudicatus eſt.* 110
*Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto,*

non intrabit in regnum cælorum. 78
Spiritus eſt Deus,& eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. 100
Sinite templum hoc. 101
Rex deſcendit de ſolio ſuo,& indutus eſt ſacco. 124
Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum. 77
Qui habet ſponſam ſponſus eſt. 130
Qui de cælo venit ſuper omnes eſt. 37
4. Ego ſum via. veritas,& vita. 13
5. Opera quæ ego facio. 5
6. Et hic panis qui cælo deſcendit, eſt panis Angelorum: qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. 20
Vnde ememus panes, vt manducent hi, hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. 31
Panis quem ego dabo. 18
Ego ſum panis vitæ,& do vitam mundo. 13
8. Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi. 33
Antequam Abraham fieret ego ſum. 8
Ego principium qui & loquor vobis. ibid.
9. Vade & lauare in natatoria Siloe. 6
10. Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit ingredietur & egredietur. 35. 36
Signo videbitis filium hominis aſcendentem vbi erat prius. 54
12. Qui amat animam ſuam perdet eam. 84
Acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam. 58
Aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 61
Domine volumus Ieſum videre. 7
13. Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum. 54
14. Si quis diligit me,ſermonem,&c. 4
Pacem meam do vobis,pacem relinquo vobis. ibid.
Vos vocatis me magiſter,& domine,& bene dicitis ſum etenim. 20
15. Lux lucernæ non lucebit amplius. 128
Maiorem hac dilectionem nemo habet,vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. 25
16. Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te Deum. 59
In hoc natus ſum. 5
Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. 16
19. Expedit vobis,vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. 13
Vnus militum lancea aperuit latus eius. 79.
20. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino. 80
Hoc fecit initium ſignorum in Cana Galileæ. 55
Ego quaſi agnus manſuetus. 114
21. Nihil coinquinatum intrabit in ea. 18

## ACTA.

Cap. I. Videntibus illis eleuatus eſt,& nubes ſuſcepit eum. 7. 79
Accipietis virtutem ſupereuenientis. 73
Cœpit Ieſus facere & docere. 62
3. Multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna. 65
5. Ibant gaudentes Apoſtoli à conſpectu concilij quoniam digni habiti ſunt,&c. 16
8. Spiritus Domini rapuit Philippum. 83
Da mihi poteſtatem vt cui impoſuero manus accipiat Spiritum Sanctum. 93
10. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent in cælo. 49

## AD ROMANOS.

Cap. I. Charitas Dei diffuſa eſt. 17
Non erubeſco Euangelium. 94
2. Et ſeruas ea quæ in ea ſcripta ſunt. 3
3. Omnis homo mendax,pars illorum. 129
Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc vos parebitis cum eo in gloria. 13
4. Mortui ſumus peccato quomodo iterum. 96
Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur. 5
Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in morte, quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam patris,&c. 13
8. Prudentia carnis mors eſt, & omnis anima viuens mortua eſt. 107
Tunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo habetis fructum veſtrum, &c. 8
Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. 10
10. Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 56
11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ. 88. 101
Ex ipſo enim, & in ipſo, & per ipſum omnia facta ſunt. 8
Vide bonitatem. 17
12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, Deo placentem. 38
Charitate fraternitatis inuicem diligentes. 17
Tu quis es qui alienum ſeruum iudicas. 101
Erit radix Ieſſe,& qui exſurget regere gentes. 42

## I. AD CORINTHIOS.

Cap. II. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. 128
Cum euacuauerit omnem principatum. 98
3. Neſcitis quod templum Dei eſtis. 102
Vſque in hodiernum diem ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti. 2
Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. 5
Cum tradiderit Deo patri regnum euacuabit omnem poteſtatem. 121
4. Poſthac vidi & ecce oſtium apertum in cælo. 35
Hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. 19
Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. 101
Oportet nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti. 126
6. Nouiſſimè inimica deſtruetur mors. 122
Fugite fornicationem, omne enim peccatum quodcunque fecerit homo,&c. 24
10. Ne murmuraueritis ſicut quidam eorum murmurauerunt & perierunt ab exterminatore. 23
Fidelis Deus qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis. 101
Nolite ante tempus iudicare. 101
Neque idololatræ efficiamini ſicut quidam illorum quemadmodum ſcriptum eſt, &c. 129
Omnia in figura contingebant. 41
12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. 23
13. Tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum. 18
Raptus eſt vſque ad tertium cælum. 83
Gratia ſum id quod ſum & gratia Dei in me vacua non fuit. 4
Seminatur corpus in infirmitate & ſurget in virtute. 81

16. Oſtium

# Index Sacræ Scripturæ.


16. *Oſtium mihi apertum eſt magnum & euidens & aduerſarij multi.* 35

## II. AD CORINTHIOS.

CAP.II. *Cum veniſſem Troyadem, & oſtium mihi eſſet apertum.* 30
7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Dei ſunt.* 93
19. *Per Euangelium rogo vos gerere ſtudioſe.* 94
*Timeo ne ſicut ſerpens.* 17
*Periculum in ſolitudine.* 83

## AD GALATAS.

CAP.I. *Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium.* 81
*Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.* 18
5. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* 105
7. *Traditum eſt Euangelium.* 94

## AD EPHESIOS.

CAP.III. *Mihi autem omnium ſanctorum data eſt gratia &c.* 94
4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, &c.* 111
*Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* 54
5. *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos.* 105
*Eſt idolorum ſeruitus.* 24.109
6. *Propterea accipite armaturam Dei vt poſſitis reſiſtere in die malo.* 73

## AD PHILIPPENSES.

CAP.I. *Oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* 17
*Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* 115
2. *Donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* 83
*Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* 44
3. *Hi ſunt quorum Deus venter eſt.* 106
4. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu* 19. & 32
*Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* 25
*Noſtra conuerſatio eſt in cœlis.* 51.118

## AD COLOSSENSES.

CAP.III. *Orantes vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum.* 24
*Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* 132
4. *Orantes pro nobis vt Deus aperiat nobis.* 30
*Hi ſunt ordinatores de regno Dei.* 78

## AD THESSALONICENSES.

CAP.IV. *Simul rapiemur cum illis in nubibus.* 83
5. *In omnibus gratias agite.* 23
*Cum enim dixerint pax & ſecuritas tunc repentinus ſuperueniet eis interitus.* 28

## I. AD TIMOTHEVM.

CAP.V. *Viuens in deliciis mortua eſt.* 27
66. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.* 31

## II. AD TIMOTEVM.

CAP.II. *Non coronabitur niſi qui legitime certauerit.* 31
4. *Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* 28.94
*Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* 67

## AD TITVM.

CAP.III. *Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris Dei noſtri.* 25

## AD HEBRÆOS.

CAP.I. *Portauit omnia verbo virtutis ſuæ.* 49
*Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.* 11
5. *Omnia nuda ſunt ante oculos Dei.* 84
*Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* 61
*Confugimus ad tenendam nobis propoſitam ſpem quam ſicut anchoram habemus.* 2
8. *Fide intelligimus ſecula aptata eſſe verbo Dei.* 49
9. *Poſt velamentum ante ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* 80
11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum.* 131
vlt. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiicite eis, ipſi enim peruigilant quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* 28

## EX EPISTOLA IACOBI.

CAP.I. *Omne datum optimum & omne donum perfectum.* 128
*Exortus eſt ſol cum ardore.* 122
*A quo eſt datum optimum & omne donum perfectum.* 30
*Dat omnibus affluenter & non improperat.* 85
2. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* 81
3. *Lingua maculat totum corpus.* 92
5. *Patientia enim opus perfectum habet.* 16


I. PE

# Index Sacræ Scripturæ.

## I. PETRI.

CAP.I. NOn corruptibilibus auro. 58
2. Qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum. 121
In hoc enim vocati eſtis, quoniam Chriſtus paſſus eſt pro nobis,&c. ibid.
Quis eſt qui vobis noceat.
Vos eſtis genus electum,regale ſacerdotium. 6
Qui cum malediceretur, non maledicebat ſed pro crucifigentibus orabat. 9
3. Patienter agit. 17
5. Sobrij eſtote & vigilate quia aduerſarius veſter diabolus. 28

## II. PETRI.

CAP.I. CAuete ne inſipientium errore. 17

## I. IOANNIS.

TRanſit enim mundus & concupiſcentia eius. 105
Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia oculorum,&c. 105. 110
3. Filij Dei ſumus, & nondum apparuit quia erimus. 22

## APOCALYPSIS.

CAP.III. ET flebunt & plangent reges terræ, qui fornicati ſunt cum ea. 8
Qui vicerit non lædetur. 96
Hi ſunt qui venerunt. 102
Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole. 32

# COMMENTARII SANCTI BERNARDINI SENENSIS IN APOCALYPSIM.

## SYNOPSIS CAPITIS PRIMI.

*TRES partes præcipuas comprehendit, in quarum prima proponitur libri titulus, & elogium, in ſecunda, ſubditur Epiſtola, ſeu dedicatio libri, quem ſeptem Eccleſiis Aſiæ quibus prædicauerat, conſecrat, in tertia eſt narrationis initium, quod totius actionis, prologum eſſe dicimus, in quo totius libri quaſi ſubiectum declaratur, id eſt Eccleſiæ perſecutio & ſecuritas, ſub typo ſeptem candelabrorum aureorum, in quorum medio apparuit ſimilis filio hominis, diuinam Maieſtatem præ ſe ferens: hæc autem diuiſio plurimorum librorum conſuetudini conſentanea eſt, quorum in fronte, præfigitur titulus totius operis elogium continens, deinde ſequitur Epiſtola dedicatoria, tandem annectitur Prologus.*

## CAPITVLVM I.

1. APOCALYPSIS Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò: & ſignificauit, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.

2. Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcumque vidit.

3. Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ huius: & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim propè eſt.

4. Ioannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.

5. Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fide-



A lis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

6. Et fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo: ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes B tribus terræ: Etiam: Amen.

8. Ego ſum *Alpha* & *Omega*, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.

9. Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu; fui in inſula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.

10. Fui in ſpiritu in Dominica die, &

audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ.

11. Dicentis: Quod vides, ſcribe in libro: & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

12. Et conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum: & conuerſus vidi ſeptem candelabra aurea.

13. Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

14. Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis.

15. Et pedes eius ſimiles aurichalco, A ſicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

16. Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua.

17. Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timere: ego ſum primus, & nouiſſimus.

B 18. Et viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.

19. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

20. Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptē candelabra aurea: ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra C ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

# Expoſitio varia primi Capitis.

VERS. I. APOCALYPSIS IESV CHRISTI] Beatus qui legit verba libri huius aliis intelligibiliter elucidando, & qui audit, diligenter auſcultando, & ſeruat memoriter retinendo, ſed antequàm id à me declaretur, præſupponenda eſt triplex huius operis diuiſio, nempe in proœmium ſiue exordium, in tractatum, & epilogum: In parte proœmiali, docilitas in auditoribus ſuſcitatur, & beneuolentia præcaptatur, pro vt inſinuat hic gloſſa, vnde Tullius 1. Reth. 1. lib. exordium eſt oratio animum auditoris idoneè aperiens ad reliquum dictum: euenit autem, ſi eum beneuolum, attentum, docilémque confecerit: In parte executiua veritas concepta plenius enarratur: In parte recapitulata veritas enarrata memoriæ commendatur. Et quia beneuolentia, & attentio ſuſcitatur in auditoribus, ex doctrinæ authentica ſublimatione, ſeu ſublimitate, & eiuſdem fructuoſa vtilitate, & ex doctorum ad diſcipulos aptata commoditate, ideo prima pars in tres diuiditur, quia præmittitur primo ſublimitas doctrinæ, & auctoritas quæ à fonte proœmij progreditur, ſecundo fructuoſa vtilitas, qua beatitudo promittitur ibi *beatus qui legit*, vel primo præmittitur huius doctrinæ auctoritas, ſecundo ſalutationis modus ſeu qualitas: primo docentis optatur commoditas, in qua omne verbum concluditur, ibi *Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia gratia vobis & pax.*

*In exordiis beneuolentia auditorum captanda.*

Exprimit ergo Ioannes huius doctrinæ quidditatem, ibi *Apocalypſis* authoritatem *quam dedit illi*, charitatem, *quia palam facere* infallibilitatem: *quod oportet fieri cito*, Dicit ergo, *Apocalypſis Ieſu Christi*, & eſt finem gerens, quod interpretatur reuelatio, eo quod in ipſo ſtatus Eccleſiæ præſentis & futuræ deſignatur: eſt autem reuelatio, inſpiratio cognitionis illuminantis animam in ignotis, hæc ſecundum Hug. in tractatu de ſcientia animæ Chriſti, & quod Deus inſpirat veram cognitionem rationali animæ, A ideo ab ipſo eſt reuelatio propriè, & perfectè: ipſe enim reuelat myſteria Dan. 2. & eſt ſupplenda littera, *hæc eſt Apocalypſis*, ſicut eſt in aliquibus libris ſacræ Scripturæ. Iſai. 1. *hæc eſt viſio Iſaiæ*, eſt autem reuelatio, & quaſi remouens velamen, quod eſt multiplex, videlicet ceremonialis obſcuritatis. 1. Cor. 3. *Vſque in hodiernum diem ipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum, quod in Chriſto euacuatur.* Secundum velamen eſt perfidæ incredulitatis. Ideo eodem cap. *vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper caput.* Tertium eſt ſymbolicæ proprietatis: Luc 9. *At illi ignorabant verbum,* B *& erat reuelatum ante eos.* Quartum eſt velamen præſentis calamitatis, ad Hebr. 6. *Confugimus ad tenendam propoſitam nobis ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis.* Quintum eſt velamen ſacramentalis veritatis, ad Hebr. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti: qui nobis nunciauit viam nouam & viuentem, per velamen in propria ſua carne.* Sextum eſt velamen fiducialis ſecuritatis, Pſal. *in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.*

*Apocalypſis etymologia.*

*Quid eſt reuelatio?*

*Dan. 2. Iſa. 1. 1. Cor. 3. Velamen multiplex. Obſcuritatis, incredulitatis ſymbolicæ proprietatis Præſentis calamitatis. Luc. 9. Heb. 6. Sacramentalis veritatis. Hebr. 10. Fiducialis ſecuritatis. Pſal. 60.*

Eſt ergo Apocalypſis Chriſti Domini Ieſu. Reuelatio à Chriſto Ieſu annunciata, vel de Chriſto Ieſu C completa effectiuè, ſiue materialiter, in quo Ioannes vitat erronea, quia non ſuam, ſed Chriſti dicit Apocalypſim contra Prophetas de corde ſuo mendacia prophetantes. Ierem 14. *Nolite audire verba Prophetarum, qui vobis prophetant & decipiunt. Nobis viſionem cordis loquuntur, non de ore Domini*, vt ergo Ioannes à talibus ſe ſeparet, dicit, Apocalyp. Ieſu Chriſti non mea.

*Cur Ioannes non ſuam, ſed Ieſu dicit Apocalypſim. Ierem 14.*

Sed ne putes quod Ioannes à ſe habuerit iſtam reuelationem addidit, *quam Deus dedit* ad Eccleſiæ ædificationem, præmunitionem, confortationem & animationem, primo enim vt dicit Beda Ioannes filij gloriam referens ad patrem Ieſum Chriſtum

à Deo Patre, vel à tota Trinitate percepiſſe iſtam reuelationem teſtatur, iuxta illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & nota quod Deus dedit Chriſto Ieſu, ſcilicet humanitatem, nec eſt inconueniens, ſi enim Filius à Patre æternus dicitur accipere quod ab eo genitus, etiam dicetur accipere humanitatem.

Matth. 11.

*Quam dedit illi Deus palam facere* non abſcondere *ſeruis ſuis*, quod non humanæ ſapientiæ dedit non litteræ Moſaicæ inuolutis, ſed gratiæ diuinæ vel Dei diſciplinæ ſubiectis cœleſtis reuelatio aperitur, Matt. 11. *Abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelat ea paruulis*.

*Quibus reuelationes innoteſcunt.* *Matth 11.*

Sed contra prædicta arguitur, hæc reuelatio data eſt ſigno non ergo palam. Patet infra, vbi dicitur quod Ioannes *vidit librum ſignatum ſeptem ſigillis*. Reſponſio, ideo palam facta eſt reuelatio, quod veritatem mentis intuitu, reuelante Deo conſpexit: & poſt figuras vidit, quarum ſignificationes aliis in parte reuelauit, ſed non omnes, ne vileſceret prophetia: ſcriptura ergo ſacra impiis ſigno clauditur, ideo autem ſuis facta eſt reuelatio, quia eos oportebat, & oportet pati tribulationes continue.

*Myſteria non omnibus aperiuntur.*

Vnde ſubdit, *quod oportet fieri cito*, quod ſecundum gloſſam infallibile eſt quin fiant, in quo eſt conſolatio fidelium, quia breuis eſt labor & feſtinata gloria, vnde Haymo non metuenda ſunt tormenta quę tranſeunt, ſed ea quæ permanent in æternum, nec gaudia fugitiua ſunt appetenda, ſed iugi ſtatu permanentia. Et quia non ſolum de tribulatione Eccleſiæ quæ iam inceperat, ſcilicet, ſed & de præmiis futuris facta eſt reuelatio, ideo addit.

*Iuſti tribulationes patiuntur.* *Quæ timenda ſunt.*

VERS. 1. *Omne tempus breue reſpectu æternitatis.*

CITO.] quia omne tempus breue eſt reſpectu æternitatis, vnde Auguſt. Breue quicquid fine clauditur. Vel dicitur (*cito*) propter certitudinem propheticæ veritatis. Per hoc ergo *cito* animat Ioannes ſeruos Dei ad paſſionem, vt non ſolum æquanimiter, ſed & libenter ſuſtineant paſſiones, quæ cito finiuntur, & ad præmia ducunt æterna.

*Tribulationis vtilitas.* *Matth. 5.*

OPORTET.] id eſt quod opem portat, quia tribulatio opem portat diuini auxilij, vtilis exercitij, & cœleſtis ſtipendij. Matt. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*.

Sed quomodo iſta oportet fieri cito, cum nondum facta ſint? Reſpondetur cum cito futurum ſit iudiciū, more humano ſcilic. videtur prolixum. Ideo ſubiungetur, quia cito eueniet tibi.

VERS. 1.

Sequitur SIGNAVIT] quaſi hanc dedit Deus Ieſu Chriſto palam facere ſeruis ſuis, & ipſe Ieſus Chriſtus *ſignauit*, id eſt oſtendit ſigno hanc viſionem.

VERS. 1. *Ioanni plura manifeſtantur vt aliis aperiat.*

MITTENS PER ANGELVM] cui Chriſtus primo reuelauit tanquam digniori, ſeruo ſuo Ioanni, tanquam amico ſecretiori, vt aliis conſeruis ſuis manifeſtaret. Et nota quod Chriſtus virgo, Angelum virginem, Ioanni virgini tranſmiſit.

*Quis angelus miſſus ad Ioannem.*

Et nota quod Angelus iſte qui miſſus eſt ad Ioannem, fuit Angelus ſanctus, qui aliquando loquitur in perſona Chriſti: vt ibi, *ego ſum Alpha & Omega*, aliquando in perſona ſua, vt *vide ne feceris*, verſu vltimo infra. Sicut nuncius deferens verba alicuius principis, aliquando loquitur in perſona Domini, ſic & *ſignauit*, id eſt ſub ſigno figurauit, ſcilicet Deus pater *mittens per Angelum ſuum*, id eſt Chriſtum, ſuum ſubſtantialem filium, qui eſt Angelus magni conſilij, *ſeruo ſuo Ioanni*, ſubiecto & humili, typum Eccleſiæ gerenti: *vel ſignauit*, id eſt denunciauit Chriſtus Ioāni per Angelum comparata reuelatione à Deo, & merito iſti præ cæteris.

*Chriſtus Angelus magni conſilij.*

VERS. 1. Ioan. 1.

QVI TESTIMONIVM PERHIBVIT VERBO DEI.] id eſt Chriſto, vt eſſet filius Dei ab æterno: Cum dicit, *In principio erat Verbum*, & etiam teſtimonium perhibuit Ieſu Chriſto quod eſſet verus homo, cum dicit: *Verbum caro factum eſt*. Ecce integrum & verum teſtimonium, ne putaretur quod tantum de auditu, & non de viſu eſſet eius teſtimonium, ſed quod vidit oculis carneis Ioannes vigeſimo ſecundo. *Hic eſt diſcipulus iſte qui teſtimonium perhibet de his*, &c.

Ioannes ergo perhibuit teſtimonium de verbo Dei, videlicet quod eſſentialiter increatum, perſonaliter incarnatum, ſingulariter reuelatum: Ex quorum primo verbum eſt principium productionis. Ex ſecundo medium reparationis. Ex tertio principium redemptionis Ex quarto ferculum refectionis. Ex quinto ſpeculum fruitionis.

VERS. 1. *Quod vidit Ioanne: Verbum caro*

TESTIMONIVM IESV CHRISTI QVÆCVNQVE VIDIT.] & quid vidit: certe Verbum caro factum eſt, id eſt carni vnitum carne natum, carne velatum, in carne paſſum. Carni vnitum Verbum, & ecce maieſtas ſeruilis. In carne naſcitur Verbum, & ecce veritas commenſurabilis. In carne continetur Verbum, & eſt immenſitas abbreuiabilis. In carne patitur Verbum, & ecce ſubſtantialitas deſpicabilis.

Patet ergo huius doctrinæ authentica, & irrefragabilis auctoritas ex quatuor, ſcilicet. ex Dei reuelantis maieſtate, *quam dedit illi Deus*, ex Ieſu Chriſti mediatoris idoneitate *Apocalypſis Ieſu Chriſti*: ex Angeli deferentis ſedulitate, *loquens per Angelum ſuum*: ex Ioannis recipientis fidelitate, *ſeruo ſuo Ioanni*.

*Triplex prærogatiua Ioannis* *Seruire Deo regnare.*

Patet etiā Ioannis triplex prærogatiua, ſcilicet eius præuia electio: *quia ſeruus Chriſti*, cui ſeruire regnare eſt. Sapientiæ infuſio, quia ſcilicet *miſit Ieſus Chriſtus per Angelum ſuum*. Fidelis acquiſitio, *quia teſtimonium perhibuit verbo Dei*.

Sequitur huius doctrinæ vtilitas.

BEATVS QVI LEGIT.] ſcilicet illuminato intellectu inueſtigando, & *qui audit* deuoto affectu ſuſtinendo, *& ſeruat ea* effectu adimplendo. *Beatitudo ex tribus.*

VERS. 3. *Quomodo beatus qui legit verba prophetiæ huius.*

BEATVS IGITVR QVI LEGIT ET QVI AVDIT VERBA PROPHETIÆ HVIVS.] quantum ad profunditatem eius, quantum ad eminentiam eius, & ſingularitatem & quę per larga volumina Prophetarum promiſcue & confuſe protulerunt, hæc in ſumma Ioannes coarctauit. Tot enim continentur hic myſteria quot verba.

Sed qualiter vocatur hæc doctrina non prophetica cum dicat Aug. contra Fauſtum, Prophetia eſt quę vltra humanas coniecturas futura prænunciat. Sed in hoc libro narrantur præterita, ſicut de paſſione Chriſti & de multis aliis præteritis: igitur, &c. Reſpondeo ſecundum Gregorium ſuper Ezechielem: Prophetia eſt de tribus temporibus, & non dicitur Prophetia: quia prædicit futura, ſed quia prodit occulta. Et quia in hac ſacra doctrina occulta produntur & reuelantur. Ideo merito dicitur prophetia: licet in ea multa occulta enarrantur præterita: & *quoniam non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores*, ad Rom. 2. ideo ſequitur, *& ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt*, ſcilicet corde retinendo, ore prædicando, & opere adimplendo, quia ſecundum gloſſam iſti ſunt beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, vt opere compleant, vt mente recondant, vt vitam æternam poſſideant. Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Et reuera iſta ſunt legenda, audienda, ſeruanda.

*Quomodo vocatur prophetica hæc doctrina.* *Rom. 2.* *Luc. 11.*

TEMPVS ENIM PROPE EST.] quantum ad ſui initium non quantum ad ſui terminum, quo tribulationes finientur, & præmia reddentur.

VERS. 3.

Vel TEMPVS PROPE EST.] ſcilicet iudicium, quando vnuſquiſque recipiet ſecundum opera ſua. O quam prope æſtimabat tempus iudicij Hieronym. Cum dicebat, ſiue bibam aut comedam, aut aliquid aliud faciam: ſemper mihi in auribus ſonare videtur iſta vox, O vos mortui ſurgite ad iudicium, & occurite ad iudicium ſaluatoris. Vox inquam,

cui omnino obediunt elementa, quæ petras ſcindit: & inferos aperit: vincula mortis diſrumpit, & diſſoluit, quæ vniuerſos mortuos reſurgere facit, & ad iudicium venire compellit. Si igitur nos ſumus in quos ſæculorum deuenerunt fines. Et in fine ſæculorum debet eſſe iudicium: cito venturum poſſumus æſtimare.

*Mortis nihil certius.*

*Cur finis noſt. a hora incognitus.*

Vel PROPE EST TEMPVS.] ſcilicet mortis debitum exoluendi, & præmium recipiendi. Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis, quia ita prope eſt tempus illud conſideremus mortis præſentiam momentis omnibus præſentandam, meditandam, locis omnibus exoptandam, modis omnibus tolerandam, & fuit ratio, quare voluit nos latere finem, vt quia incerti ſumus quando moriamur parati ſimus ad mortem venire. Sic ergo ſi conſideremus velocitatem reuolutionis, vilitatem corruptionis, abundantiam deſolationis, carentiam conſolationis, neſcientiam peregrinationis, & finem habitationis, non dubito quin timeremus. Et quia tempus prope eſt nos paremus. Abbas Helias ſuper iſta tria formidabat dicens. Tria ſuper omnia paueſco, vnum eſt quando anima de corpore egreſſura eſt. Secundum eſt quando debeo Deo occurrere. Tertium quando proferenda eſt ſententia omnium generalis.

*Senſus myſticus.*

*Zelus prædicatoris in tribus.*

*Nehem 8. Tria in auditore neceſſaria.*

*Quæ requiruntur in opere virtuoſo.*

*Ioan. 14. Perſeuerantem quænam probant.*

*Pſalm 64.*

BEATVS QVI, &c. SCRIPTA SVNT.] In quo quidem verbo ſpiritus deſcribit prædicationis officium quantum ad quatuor, primum eſt: zelus prædicantis *qui legit*: motus obtemperantis *qui audit*, virtus operantis *& ſeruat*. Fructus conſiderantis, *quia beatus*, zelum autem prædicantis oſtendunt tria quæ decet prædicatorem habere, debet enim legem Dei pronunciare, aperte ſine obſcuritate, diſtinctè ſine præcipitatione, intelligibiliter ſine curioſitate. De his tribus habetur Nehem. 8. *legerunt in libro legis Dei diſtinctè, & aperte ad intelligendum*, motum autem obtemperantis tria probant, ſcilicet, intelligere fideliter, retinere memoriter, complere efficaciter. De quibus infra ſecundo capitulo. *Qui habent aures audiant*. Ad virtuoſam operationem requiruntur tria, videlicet quod ſint informata charitate, regulata intentione, perfecta ſine circumſtantiæ omiſſione, de his tribus, Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem*, &c. Fructum vero perſeuerantis, tria probant videlicet, æternalis prædeſtinatio, temporalis gratificatio, finalis glorificatio. De quibus in Pſal. *Beatus quem elegiſti*. &c.

Patet igitur huius doctrinæ celſitudo in Deo reuelante qui eam dedit. Mediatoris altitudo in Chriſto communicante, quia ipſam Ioannes aperuit. Delatoris ſollicitudo in Angelo annunciante, quia Angelus tanquam finalis nuncius Ioanni *nunciauit*: ideo gratitudo de omnibus, quia *teſtimonium perhibuit*, & quatuor continentur tantum in lectione hodierna.

VERS. 4.

*Ad ſalutationem tria requiruntur. Ioannis economia.*

*Cur Ioannes nomen ſuum ponit in Apocalypſi.*

IOANNES SEPTEM, &c.] Poſtquam poſita eſt huius doctrinæ irrefragabilis auctoritas & deſiderabilis auctoritas, ponitur doctoris ad diſcipulos amabilis affectuoſitas qua eis optat, & deſiderat omne bonum ſibi. Ad captandum beneuolentiam, præmittitur ſalutatio. Deinde ſubdiuiditur narratio ibi, *Ego Ioannes Frater veſter*, &c. Et quia ad ſalutationem tria requiruntur. Videlicet qui ſalutat, qui ſalutatur, & ſalus quæ optatur. Ideo nomen ſalutantis primo præmittitur cum dicitur *Ioannes*, ſcil in quo eſt gratia conuerſationis Angelicæ, reuelationis Propheticæ, perfectionis Apoſtolicæ, prædicationis Euangelicæ, contemplationis Anagogicæ: ille, ſcilicet, qui ſalutat.

Sed quare Ioannes præmittit nomen ſuum hic cum in Euangelio tacuerit? Reſpóſio. Ioannis Euan-
A gelium fuit à filio Dei prædicatum & diuulgatum. Et ideo nomine ſui fuit intitulatum, ſed quia beatus Ioannes ſcripſit illum librum relegatus in exilio, de facili potuit credi alterius, ſicut quidam dixerunt. Et ideo merito ſcribens iſtum librum caute nomen expreſſit in exordio iſtius libri.

VERS. 4.

*Duplex Aſia.*

IOANNES igitur SEPTEM ECCLESIIS QVÆ SVNT IN ASIA.] ſecundum expoſitores duplex eſt Aſia. Maior quæ continet tertiam partem mundi, & minor quæ continet ſeptem ciuitates, quarum nomina inferius declarantur. Inter quas Epheſus erat metropolis. In hac igitur minori Aſia primo prædicauit Paulus. Sed poſt diuiſionem Apoſtolorum obtinuit eam Ioannes in ſortem. Et
B ibi nomen Chriſti magnifice ampliauit. Per iſtas igitur ſeptem eccleſias: vniuerſæ mundi Eccleſiæ deſignantur: quia omne tempus quo regitur eccleſia vij. dierum circulo terminatur. Vel propter ternarium animæ, ſcilicet rationis, memoriæ & voluntatis & quaternarium corporis, ſcilicet quatuor elementorum. Vel quia in fide Trinitatis ſunt fundatæ omnes eccleſiæ & per quatuor mundi partes diffuſæ. Vel propter ſancti Spiritus ſeptiformem gratiam qua omnes eccleſiæ illuſtrantur.

*Septem eccleſiarum numeratione aliæ intelliguntur & quare.*

*Cur Ioannes tantum ſeptem ſcribit eccleſiis.*

Sed cum doctor debeat eſſe communis quare ſcribit tantummodo iſtis eccleſiis? Reſpondeo: huic regioni Deus præpoſuit beatum Ioannem ſpecialiter & eccleſiæ Aſianæ ſuam detexit præcipuè Prophetiam quamuis vt dictum eſt omnibus dirigatur. Ioan-
C nes ergo ſeptem eccleſiis Aſiæ ſpecialiter: quia in eis omnibus myſterialiter optat ſalutem dicens.

VERS. 4.

*Gratiam & pacem deſiderat Ioannes & quare*

*1. Cor. 15.*

*Pax quotuplex.*

*Pace nihil optabilius.*

GRATIA, id eſt peccatorum remiſſio: *& pax*, quantum ad præmia: vel *gratia*, id eſt formatio virtutum *& pax*, id eſt tranquillitas mentis & quies animarum: ex gratia ablatio omnis mali, ex pace adeptio omnis boni. Gratia enim eſt diuinæ miſerationis donum gratuitum per quod bonæ voluntatis intuitum: & operis promeremur effectum: vt dicit Iſidorus libro de differentiis. Vel gratia operans iuſtificando: cooperans merendo: conſummans perſeuerando, de qua primæ Corinthiorum decimoquinto. *Gratia ſum id quod ſum & gratia Dei in me vacua non fuit*. Et pax ſcilicet temporis, exterius, & pax pectoris interius: pax æternitatis ſuperius: de
D qua Auguſtinus decimonono de ciuitate Dei capitulo decimotertio. Tantum eſt pacis bonum vt in terrenis atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri: nihil delectabilius contueri, & nihil poſtremo poſſit melius inueniri. More igitur magiſtri ſui Ioan. pacem annunciauit: pacem prædicauit, pacis nomine ſalutauit: hæc debet eſſe hæreditaria poſſeſſio virorum Apoſtolicorum: quam Chriſtus moriens ſuis diſcipulis iure hæreditario delegauit Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Eſt autem pax ſerenitas mentis, tranquillitas animæ, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt quæ ſimulatos colligit: bella compeſcit, lites conprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, amare inſtruit, odiſſe non nouit, neſcit extolli, non nouit inflari, hanc qui
E accipit, teneat: qui perdit repetat, donec de medio fiat. Sunt enim quatuor per quę quis poteſt pręciſe pacem retinere, ſcilicet, promptitudo obedientiæ in honeſtis obſequiis, fortitudo conſtantiæ in præferendis moleſtiis, manſuetudo eloquentiæ in mutuis colloquiis, diſſimilitudo diſplicentiæ in viſis, vel auditis contumeliis.

*Ioan. 14. Pacis deſcriptio.*

*Exod. 3.*

GRATIA igitur ET PAX VOBIS AB EO QVI EST.] æternaliter genitus à Patre, cuius nomen eſt qui eſt. Exod. 3.

ET QVI ERAT] apud patrem inconnumerabiliter

biliter antequam mundus fieret contra Arrianos, A qui dicunt ipſum non fuiſſe ante mundi conſtitutionem.

*Varias oppugnat haereſes Ioannes.*

Et qui venturus est.] ſcilicet ad iudicandum æquanimiter, ſecundum meritum ſuum rediturus contra Manichæos, qui dicunt generale factum iudicium propter illud Ioannis, *qui non credit, iam iudicatus eſt*, vel contra Saducæos, qui dicunt animas perire cum corpore. In hoc igitur quod *erat* pater, quod ipſe eſt auctor creationis, & quia *eſt* quod eſt author conſeruationis, & quia *venturus eſt* quod eſt auctor retributionis.

*Sap. 7. Spiritus ſanctus vnus in natura, ſed multiplex in gratia.*

Et a septem spiritibus.] id eſt à Spiritu ſancto qui eſt vnus in natura, & ſeptem in gratia Sap. 7. Eſt enim in illo ſpiritus intelligentiæ, ſan- B ctus vnicus in naturæ conditione, multiplex in gratiæ diſtributione.

*Per thronum Chriſti humanitas intelligitur.*

In conspectu throni eius sunt.] Per thronum poteſt intelligi Chriſti humanitas, quia thronus eſt ſedes iudicis excelſa & eleuata, & caro Chriſti eſt ſuper omnes choros Angelorum exaltata. In conſpectu igitur iſtius throni dicuntur eſſe ſeptem ſpiritus, quia ſeptiformis gratia Spiritus ſancti Supra Chriſtum corporaliter requieuit, vel per ſeptem ſpiritus Angelorum, vniuerſitas deſignatur, qui aſſiſtunt in conſpectu Throni, id eſt diuinæ maieſtatis, Tob. 11. *Ego ſum Raphael vnus de ſeptem qui aſtamus coram Deo*, vel ante Deum, ab eis igitur optat Ioannes, bona fidelibus ſicut à iuſtis, & interceſſori- C bus qui orationes conferunt coram Deo Tob. 12. *Ego obtuli orationem meam.* *Tob. 11.* *Tob. 12.*

Sed quare ſubticetur perſona patris? vtiliter ſane ſacræ Scripturæ, vt vbi fiat mentio vnius perſonæ tota Trinitas intelligatur, & quia filius eſt correlatiuum ad patrem, quæ poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, ſed ſequitur.

Vers. 5. Et a Iesu christo qui est testis fidelis.] Hic ponitur operationis, vel ſalutationis præfatæ repetitio, vt prærogatiuæ Ieſu amplius explicentur. vnde primo ponuntur prærogatiuæ quantum ad humanam naturam. Secundo quantum ad diuinam. *Ego ſum Alpha & Omega.* Primo igitur oſtenditur Chriſtus deſiderabilis ratione benefi- D cij. Secundo terribilis ratione extremi iudicij, ibi, *Ecce venit in nubibus.* Redditur ergo in primis commendabilis, quantum, ſcilicet ad teſtationem infallibilis veritatis, *quia teſtis fidelis.* Secundo quantum ad veritatem inuictæ poteſtatis, quia *primogenitus mortuorum.* Tertio quantum ad exuberantiam ſuæ pietatis. quia *dilexit nos, & lauit*, dicit ergo, *Et à Ieſu Chriſto gratia, & pax vobis*, conferatur vt præmiſſum eſt, & in hoc congruum nomen, & rectum ipſius filij Dei. Vt enim dicit Aug. ſupra cap. 3. Ioan. hom. 3. Septem ſignificationes habet Ieſus, & ſeptem Chriſtus. Ieſus enim nomen proprium eſt illi, vt Moyſes & Helias, Chriſtus ſacramenti nomen eſt, vt ſi dicatur Propheta, ſacerdos, Ieſus igitur intelligitur ſaluator, *ipſe enim ſaluum faciet popu-* E *lum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Actuum 4. Et de hoc Bernar. in ſermone de natali Ieſus, Quid tam neceſſarium perditis? quid tam optabile miſeris? quid iam vtile deſperatis? Ieſus ſalus ſingularis, forma exemplaris, vita ſalutaris. Vel ſalus infirmantium, forma ſuſpirantium, vita ſperantium. Ipſe enim idem eſt Chriſtus, vt enim ait Aug ſupra Ioan. hom. 7. Meſſias Hebraicè Chriſtus, Græce vnctus, Latine idem eſt, quia igitur Ieſus ab ipſo omnis mali ablatio, quia Chriſtus ab ipſo omnis boni diffuſio. *Gratia enim & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* Ioan. 1. Igitur quia Ieſus, ipſum inuocent omnes languidi, omnes morbidi, omnes inualidi, vt ſaluentur. Quia Chriſtus, ipſum inuocent diuitiis perditi, virtutum egeni, omnes rei, omnes deſolati, vt donis gratiarum impleantur & ditentur. Et hic Ieſus Chriſtus eſt teſtis, quod patet ex verbo veritatis, Ioan. 18. *In hoc natus ſum, &c.* vſque *veritati.* Ex ſigno vel facto ſanctitatis, Ioan. 5. *Opera quæ ego facio*, vſque *de me.* Ex iudicio æquitatis. *Ego ſum iudex & teſtis.*

*Chriſtus deſiderabilis ratione beneficii: terribilis ratione extremi iudicii.* *Septem ſignificationes habet Ieſus, totidem Chriſtus.* *Matth. 1.* *Act. 4.* *Ieſus encomia.* *Ioan. 1.* *Ioan. 18.* *Ioan. 5.* *Item 29.*

*Cur potius filius dicitur teſtis quam pater.*

Cum tria ſint quæ teſtimonium dant in cælo, quare magis appropriatur filio quod ſit teſtis fidelis quã alteri perſonæ? Ad hoc reſpondetur, teſtis vocatur, quia pro teſtimonio veritatis vſque ad mortem peruenit carnis. Ipſe enim fuit teſtis in promulgatione Euangelicæ prædicationis, ipſe enim fuit teſtis in inſtructione conſcientiæ interioris, Iob. 16. *Eſt in cælo* B *teſtis meus.* Item ipſe eſt teſtis in iudicio generalis diſcuſſionis, Pſa. *Et teſtis in cælo fidelis* in recta atteſtatione, & æqua diſcutione, in iuſta retributione; & promiſſi perfecta exſolutione: & iſte teſtis fuit tam fidelis, quod fuit pro teſtimonio veritatis mortuus, vt mortem tolleret. *Iob. 16.* *Pſalm. 88.*

Primogenitus mortuorum.] quia moriendo pro peccatis noſtris, prior eſt effectus mortuus. Ozee. 13. *Ero mors tua ô mors.* vel primogenitus, id eſt primus inter mortuos ad immortalitatem reſurgens, ſcilicet tam cauſalitate quam dignitate. Nam & ſi quidam ante ipſum ſuſcitati fuerunt à mortuis non reſurrexerunt abſolutè, quia iterum abierunt in corpore ſecundum Haym. *Sed Chriſtus reſurgens ex mortuis* C *iam non moritur*, &c ad Ro. 6 Nam ſicut ille qui primo exit de ventre matris omnium, ſ. terræ exiuit inquantum per reſurrectionem dicitur primogenitus mortuorum, vel ideo primogenitus, quia ſua reſurrectio eſt cauſa noſtræ reſurrectionis 1. Corinth. 3. *Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium*, & vſque *viuificabuntur*, Vel ideo dicitur primogenitus mortuorum: quia peccatum non fecit, & tamen mortuus eſt: quia ergo ſicut de morte triumphauit viriliter reſurgendo merito dicitur. *Rom. 6.* *1. Cor. 3.*

*Cur princeps regum terræ dicitur.*

Princeps eps regum terræ] Princeps inquam generoſitate, celſificus dignitate, inclitus victorioſitate, magnificus, liberalitate munificus dicitur & & princeps ob fondamentalem ſuſtentationem: pro- D pter hoc ſecundum Papiam princeps dicitur baſis. Item merito dicitur princeps ob paternalem dilectionem ſui patris Item ratione dicitur princeps ob ſereniſſimam poteſtatem, & rectam dominationem ſecũdum leges antiquas. Princeps dicitur publica poteſtas quædam diuinitatis imago & quia talis fuit Chriſtus ſuper omnes principes merito dicitur princeps regũ terræ: id eſt prælatorum vel principum ambientium terrenæ: quos permittit ad tempus dominari ad bonorum exercitationem & remoueri: vt dicit gloſſa, & qui modo iudicant alios, eoſdem in futuru iudicaturus eſt. *Quare mali damnantur.*

*Sancti reges. Prædicator rex.*

Vel Regum terræ,] id eſt Sanctorum eccleſiam regentium: vel reges terræ poſſunt dici prædicatores qui dum corpora carnalia à prauitate refrænant ſuper E terram: vt rex imperant. Vel etiam Reges ſunt qui motus ſuos ſciunt regere. Dicitur ergo primogenitus mortuorum quantum ad imitationem patientiæ & princeps regum terræ quantum ad formam iuſtitiæ. Licet igitur ſit princeps tam magnificus.

*Quod Chriſtus dilexit nos prius ideo ipſum diligere debemus & quare.*

Tamen nos dilexit et lavit a peccatis nostris in sangvine svo,] vbi oſtenditur exuberantia ſuæ pietatis, vbi tria per ordinem tanguntur. Primo redimentis zelus inæſtimabilis, *quia dilexit nos*, quod probat exhibitio operis. *Maiorem hac dilectionem nemo habet: vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Secundo redemptionis fructus inpretiabilis, *quia lauit nos à peccatis noſtris*, Tertio redimendi modus incomparabilis: quia *in ſanguine ſuo*, non arietis aut vituli, vt dicit Gloſſa: Diligamus Deum igitur, quoniam prior dilexit nos. Patet Ioan. 4. hanc dilectionẽ *Zelus Chriſti redimentis nos.*

*Motiua Chriſtum diligendi.*

reuocans ad memoriam Bernardus ſuper Cantica dicebat. Super omnia te reddit mihi amabilem bone Ieſu. Calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ hic omnino amorem meum facile vindicat ſibi totum: hic inquam & noſtram dilectionem blandius allicit, iuſtius exigit & arctius ſtringit, vehementius afficit, hæc eſt ex qua oritur Strenuitas morum. Pietas affectionum. Sanctitas deſideriorum. Claritas operum. Iucunditas virtutum. Subtilitas intellectuum. Dignitas meritorum. Subtilitas præmiorum. Vel ratione abſtinentiæ. Vel ratione beneficentiæ. Vel ratione impetrandæ veniæ. Vel ratione obtinendæ gloriæ, debemus Chriſtum ſuper omnia diligere.

*Dilectio Chriſti ad nos.*

ET LAVIT NOS,] lauacro quintuplici. Primum eſt ſalutaris gratiæ & mundat à peccatis. Secundum eſt baptiſmalis regenerationis, & mundat à culpa originali: nam ad Titum 3. *ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritusſancti quem effudit in nos abunde.* Tertium eſt pœnitentialis compunctionis, & hoc mundat etiam à delictis. Pſalm. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis,* &c. Quartum ſapientialis inſtructionis, & illud mundat ab ignorantia intellectuali Ioan. *Vade & lauare in natatoria Siloe.* Et ſequitur. *Abiit & lauit: & venit videns.* Quintum eſt pœnalis afflictionis, & illud mundat à miſeria mundali, infra. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*: lauit igitur iſte quintuplici lauacro.

*Lauat nos Chriſtus quintuplici lauacro.* — *Pſalm. 50.* — *Ioan. 9.*

*Quoties ſanguine ſuo nos lauit Chriſtus.*

IN SANGVINE SVO] ſex vicibus. Primo in circumciſione, & nos debemus lauari in confeſſione. Secundo in oratione, quando factus eſt ſudor eius velut guttæ ſanguinis. Tertio in flagellatione, & nos in ſanctificatione. Quarto in ſpinarum coronatione, & nos in carnis mortificatione. Sexto in lateris perforatione, & nos in ſincera cordis dilectione: nec ſolum lauit nos in ſanguine ſuo.

VERS. 6. Sed FECIT NOS REGNVM,] id eſt tales in quibus regnet & habitet,

ET SACERDOTES,] vt vnuſquiſque ſibi ſacrificet. Primæ Petri ſecundo. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* Vel fecit nos regnum, id eſt reges: motus illicitos reprimentes & ſacerdotes: ſanctos noſipſos Deo immolantes.

*1. Petr. 2.*

Ad litteram, regnum iſtius regis qui nos reges conſtituit, eſt regnum omnium ſæculorum. Longitudine æternitatis interminabilis. Latitudine capacitatis incoarctabilis. Altitudine ſublimitatis incomprehenſibilis. Sic ergo fecit nos regnum & ſacerdotium Deo, id eſt ſibi eſt Dominus, & Patri ſuo cum quo eſt coæternus; Vel expoſitiue ſic fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo, de quo Io. 19. *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum,* &c. hoc modo exponitur copulatiue non expoſitiue, & melius, quia ſic oſtenditur vtraque vera: cum tot & tanta nobis contulerit beneficia: & fecerit tales & tantos.

*Variè exponitur quomodo nos fecit regnum & ſacerdotes Deo.*

Sit igitur IPSI GLORIA: & honor: quoad bonos: ET IMPERIVM,] id eſt poteſtas quoad malos, &c. Item ipſi gloria: quia glorificat electos ex ſua miſericordia, & imperium, quia condemnat reprobos exigente iuſtitia: *in ſæcula ſæculorum*, id eſt in perpetuum, *Amen* id eſt vere. Vel ita. Gloria in ſe, honor à creaturis, imperium, quia omnia poteſt, &c.

*Cur gloria Chriſti & imperium.*

Sed quæritur. Cum æternitas ſit interminabilis vitæ poſſeſſio tota ſimul vt ait Boetius quinto de conſolatione 11. cap. quare in plurali *in ſæcula ſæculorum dicitur*? Reſpondeo ſecundum Anſelmum pro ſolutione, quod Seculum in ſingulari dicitur ob indiuidualem vnitatem. Sæcula in plurali ob interminabilem immenſitatem. Eſt igitur ſenſus ſecundum ipſum in ſæcula, ſcilicet æternitatis, quæ dicuntur ſecundum reſpectum ſæculorum tempus, cum enim ſæculum temporum continet omnia temporalia, illa æternitas omnium temporum ſæcula. Secundum vero Hugonem ſuper ecclesiaſticam hierarchiam in principio. Sæcula ſæculorum eſt quidam gradus & progreſſio in melius ſicut Cantica Canticorum: & Prouerbia Prouerbiorum.

*Quid æternitas.*

AMEN] Et interpretatur verum, & eſt nomen Hebræum, & manſit interpretatiuum, vt honorem haberet velamento ſecreti.

Sed qualiter lauit nos in ſanguine ſuo cum peccatum ſit animæ diſformitas. Reſpondeo: quamuis ſanguis Chriſti ſit quid materiale, tamen fides paſſioni eius & gratia diffuſa in animabus fidelium attigit intima cordis, & lauit fide, ſcilicet purificans corda eorum. Patet igitur in locutione Ioannis affectio erga diſcipulos, qua optat eis quicquid eſt deſiderabile in hac vita, ſcilicet pacem & gratiam. Et hoc per iſtum, cuius æternitas eſt incommenſurabilis: *quia eſt & erat*: & venturus eſt, cuius veritas ineffabilis: quia *teſtis fidelis*: cuius poteſtas inſuperabilis: *quia primogenitus mortuorum*: cuius æquitas inflexibilis, & maieſtas inattingibilis vel imperſcrutabilis, quia *princeps regum terræ*: cuius ciuitas inæſtimabilis: cuius paties inexhauſtibilis: quia *dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

*Peccatum animæ diſformitas.* — *Varia Chriſti Domini elogia.*

ECCE VENIT IN NVBIBVS, &c.] Poſtquam demonſtrata eſt multiplex vtilitas quam conſequimur ex primo aduentu Saluatoris. Hic ſubditur eius poteſtas, quia apparebit in ſecundo aduentu ad vindictam maiorum: vt qui ex timore primi aduentus peccata non dimiſerunt, ſaltem ex timore ſecundi aduentus reſiliant à peccatis. Inſinuans igitur aduentus certitudinem & appropinquationem: quia *ecce venit* cum potentiali dominatione; quia *in nubibus*, id eſt ſanctis omnibus adueniet. Euidentem apparitionem, *videbit eum omnis oculus.* Terribilem lamentationem, & confuſionem: quia *plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ*: dicit ergo. *Ecce venit*, id eſt cito veniet ad iudicium, accipiens præteritum pro futuro propter aduentus infallibilem veritatem. *Ecce* ergo quantum ad euidentiam, *venit* quantum ad propinquitatem & apparentiam, Præſens enim eſt cuius pars præteriit: pars quoque futura eſt: quaſi diceret, qui venit in primo aduentu. Tanquam ſponſus ad cohabitandum. Tanquam amicus ad conueſcendum. Tanquam ſaluator ad redimendum. Tanquam agnus ad immolandum, *Ecce venit* ad iudicium: Tanquam iudex ad condemnandum. Tanquam leo ad diripiendum. Tanquam rex ad imperandum, Tanquam vltor ad vindicandum.

*Variis modis reuocamur à peccatis.* — *Præteritum pro futuro vſurpatur ad infallibilem certitudinem declarandam.* — *In primo aduentu quomodo venit. In ſecundo quomodo futurus eſt.*

Sed qualiter IN NVBIBVS, id eſt ſanctis omnibus, quæ nubes dicuntur pluentes per prædicationem, coruſcantes per miraculorum operationem, eleuati per mundanorum abdicationem, volantes per altam contemplationem. Dan. 7. Et ſic in nubibus cœli filius Dei veniebat.

*Sancti cur nubes.* — *Dan. 7.*

Hic per ordinem nota decem terribilia, quæ in aduentu ſummi regis ad iudicium, de quo fit mentio, apparebunt. Primum terribile eſt 15. ſignorum præceſſio. Sicut enim ſecundum Chryſoſt. Cum paterfamilias moritur, tunc tota familia deponit ornamenta lætitiæ, & induit ſe veſtimento lugubri in ſignum doloris. Sic appropinquante mundi termino, omnes creaturæ oſtendent ſignum doloris, iuxta dictum Saluatoris. Lucæ 21. *Erunt ſigna in Sole,*

*Signa præcedentia iudicium. Primum.* — *Luc. 21.*

&

*15 ſigna præcedentia conſummationem in 15. diebus. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Nona. Decima. Vndecima. Duodecima. Decimatertia. Decimaquarta. Decimaquinta.*

*& Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione*, Hieronym. refert ſe reperiſſe 15. ſigna explicata in annalibus Hebræorum, vnde in prima die eriget ſe mare, 40. cubitis ſuper altitudinem montium ſtans in loco ſuo, vt murus. Secunda die tantum deſcendet vt vix poſſit videri. Tertia die, Marinæ belluæ apparentes ſupra mare dabunt rugitus vſque ad cœlum. Quarta die ardebit mare & aqua. Quinta die herbæ & arbores dabunt rorem ſanguineum. Sexta die ruent ædificia. Septima die ad inuicem collidentur. Octaua fiet generalis terræmotus, qui adeo erit magnus, vt nullus poſſit ſe ſuſtinere. Nona die, æquabitur terra, & omnes montes & colles in puluerem redigentur. Decima die exibunt homines de cauernis & ibunt lugentes. Vndecima die ſurgent oſſa mortuorum & ſtabunt ſupra ſepulchra. Duodecima die ſtellæ de cœlo cadent. Decimatertia die morientur viuentes vt cum mortuis reſurgant. Decimaquarta die ardebit cœlum & terra, & fiet cœlum nouum & terra noua. Decimaquinta die, fiet reſurrectio omnium generalis.

*Secundum.* Secundum terribile erit mundi conflagratio vel confractio: quæ, ſicut dicit Auguſtinus, ventura creditur ante iudicium. O quam anguſtæ tunc erunt reproborum viæ, cum vndique in tot aduerſis & ſe videbunt & totum mundum ardere. Ignis enim ante ipſum præcedet.

*Tertium. Matt. 24.* Tertium terribile. Tubæ angelicæ clangor & aduocatio. Matth. 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna.* Vnde Hieronym. Ecce de cœlo cum millibus venit debellaturus orbem, imperator immenſus egreditur.

*Quartum.* Quartum terribile erit mortuorum reſurrectio, conſtat enim per fidem catholicam: quia in fine omnes reſurgent. Quod patet per auctoritates innumerabiles. Oſtenditur etiam per rationes efficaces. Probatur per exempla multa. Si enim contingeret aliquem defunctum coram multitudine alicuius ciuitatis reſurgere de ſepulchro, conſtat quod tam terribilis eſſet huius reſuſcitatio, quod omnes fugerent præ timore. Terribilis ergo iſta reſurrectio, quando omnes qui in monumentis ſunt cuiuſcunque conditionis ſint, reſurgere oportebit. In figura cuius de reſurrectione dominica *exterriti ſunt cuſtodes.* Matth. 27. *Matth. 27.*

*Quintum Iudex ſupremus nullo modo tunc flectetur.* Quintum terribile erit, iudicantis conditio. Non enim flectetur timore: quia omnipotens eſt. Nec munere: quia iuſtiſſimus eſt. Nec errore, quia ſapientiſſimus eſt. Nihil valebunt ibi allegationes aduocatorum, ſophiſmata philoſophorum, eloquentia oratorum: nec aſtutiæ verſutorum ſecundum Bernardum.

*Sextum.* Sextum terribile erit accuſantium multitudo, ſcilicet mens conſcia, propria peccata: cuncta dæmonia. Omnis enim creatura tunc armabitur ad vltionem iniquorum.

*Septimum.* Septimum terribile erit ſententiæ ſtabilitas, quæ renouari non poterit propter iudicantis efficaciam, ſeu efficientiam, & propter facti euidentiam, & cuilibet alterius certa conſtituta nota erit.

*Octauum. Soph. 1.* Octauum terribile erit, diei illius deſcriptio, de quo Sopho. primo. Dies illa dies iræ, tribulationis, & anguſtiæ, Dies calamitatis & miſeriæ. Dies tenebrarum, & caliginis Dies nebulæ & turbinis, Dies tubæ & clangoris. O quam tremenda dies talis. Propterea tremens Eccleſia cantat frequenter. *Libera me Domine de morte æterna, in die illa* &c.

*Nonum.* Nouum terribile, erit ſententiæ expectatio. Et licet omnis ſententiæ expectatio ſit incuſſiua timoris: illius tamen ſententia eſt ſuper omnia formidanda: quia poteſt corpus & animam perdere in

A gehennam: Matth. Decimo.

*Decimum.* Decimum terribile, erit deficientia in adiutorio: quia non erit reſiſtentia virtutis, nec pœnitentiæ locus, nec defenſionis tempus, nec fugiendi facultas, nec latendi poſſibilitas. Nec apparendi ſecuritas: nec ſatisfaciendi vtilitas. Hæc igitur dicta ſunt ad excitandam conſiderationem noſtram circa aduentum iſtum: & magnificentiam ad iudicium venientis, de quo loquitur hic Ioa. Dicit ergo *veniet cum nubibus*, Tamen apparebit in humana carne viſibilis, quæ caro dicitur nubes, intonabit diſceptando, & ſententiando: in qua coruſcabit, occulta cordium manifeſtando, in qua pluet æterna ſupplicia infligendo, vel ſecundum gloſſam in nubibus intelligitur multiplex Dei clementia, in quam *Timorem incutit futurum iudicium.*

B veniet ad iudicium bonis præſtans refrigerium & illuminationem: malis vero timorem & obſcuritatem. Vt veniat corporaliter in nubibus ad literam materialibus Act. 1. *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum*, &c. Et ſequitur, *ita veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Iſte igitur aduentus eſt propinquus: & certus erit & manifeſtus. Vnde ſequitur. *Act. 1.* VERS. 7.

Quod VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS] per ſinecdochen: id eſt omnis homo tam bonus quam malus: vnde accipitur pro toto: vt ibi, *Videat omnis caro ſalutare Dei.* Vnde Beda. Qui venit occulte iudicandus, tunc veniet manifeſte iudicaturus. Boni videbunt vt lætentur. Mali vt amplius cru- *Videbit eum omnis oculus. Quomodo bonis & malis Chriſtus apparebit.*

C cientur: boni videbunt humanitatem. Qui igitur apparuit viſibilis quoad ſtatum beatiſſimæ paupertatis in humanæ carnis aſſumptione, quoad ſtatum acerbiſſimæ ſuæ paſſionis & pœnalitatis, in paſſionis afflictione. Tunc apparebit bonis laudabilis, per æternæ mercedis remunerationem: vnde etiam ſecundum Auguſt. Tota merces eſt hominis: quia tunc iſte videbitur. Videbit eum omnis oculus, cuius maieſtas eſt imperſcrutabilis. Exod. 3. *Vado & videbo viſionem hanc magnam.* Cuius claritas inoffuſcabilis. Matthæi 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi videbunt.* Cuius ſuauitas inæſtimabilis. Pſalm. 45. *Vacate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Cuius ſanctitas incomparabilis. Et propter hoc dixerunt illi gentiles Philippo. Ioan. 12. *Domine volumus Ieſum* *Exod 3. Chriſti Domini maieſtas. Matth. 5. Pſal. 45. Ioan. 12.*

D *videre.*

*Pueri ſine baptiſmo decedentes quomodo Chriſtum videbunt.* Sed contra prædicta arguitur. Quoniam ſi videbit eum omnis oculus, igitur & paruuli mortui ante baptiſmum, quod concedi poteſt. Non tamen cognoſcent eum eſſentialiter: quia ſic cognoſcerent ſuum damnum, & dolerent & per conſequens haberent pœnam materialem quod eſt falſum. Vel poteſt dici videbit eum omnis oculus, qui habuit hic vſum liberi arbitrij.

*Quomodo reprobi poterunt videre Chriſtum Dominum.* Sed qualiter reprobi qui erunt tenebris obſcurati poterunt videre filium hominis venientem cum virtute, & maieſtate magna iuxta ſententiam Matth. 5. Ad illud reſpondet Auguſt. Impij (inquit) ab illa claritate expellentur ſicut morbidi oculi fulgore lucis, præclariſſime obtundentur: vt ſit illis pœna quæ eſt aliis gloria: vnde patet & eſt verbum Philoſophi Quod excellens luminoſum corrumpit ſenſum, ma-

E xime morbidum.

Sic igitur, VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS ET QVI EVM PVPVGERVNT [ & cruciarunt, vt Iudæi incitando: Pilatus imperando, milites exequendo, peccatores eius præcepta tranſgrediendo. Zach. 12. *Aſpicient ad me quem confixerunt*, vt videlicet magis erubeſcant intuendo qualem & quantum ſauciauerunt. Et ideo dicebat Bernardus in meditationibus. Quis putas erit mœror: qui luctus, quæ triſtitia cum ſeparabuntur impij à conſortio iuſtorum & viſione *Zach. 12.*

Dei, & in poteſtatem dæmonum tradentur: ibunt cum illis in ignem æternum: ibique erunt cum ipſis ſine fine, in luctu, fletu, triſtitia & gemitu, procul relegati à patria paradiſi: & in gehenna nunquam lucem habituri, iuxta quantitatem culpæ pœnam interminabilem accepturi. Vnde Auguſt. libro de ſymbolo. Fortaſſe in corpore ſuo cicatrices Dominus retinuit, vt in iudicio hoſtes exprobraret & conuinceret eos, dicens. Ecce homo quem crucifixiſtis: Deum & hominem in quem credere noluiſtis: videte vulnera quæ infixiſtis, agnoſcite latus quod pupugiſtis: quod propter vos apertum eſt & introire noluiſtis. Pro tanta ergo confuſione

*Cur cicatrices Chriſtus Dominus retinuit in Corpore.*

PLANGENT SVPER EVM:] id eſt vehementer dolebunt: reſpicientes gloriam eorum qui fundati ſunt ſuper eum, Quia vere dolebunt de tormento inferni & corpore infecto tantum quantum de amiſſione tanti conſortij Sapient. 5. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos* &c.

*Quare & quomodo reprobi plangent.* *Sap. 5.*

VEL PLANGENT SVPER EVM,] quia amiſerunt tantum ac tam amabilem Deum. Magis enim dolebunt in ſe: quia talem perdunt Dominum quam quod in atrociſſimum incidunt tormentum & corruptionem.

Vnde notabiliter dicit. PLANGENT SVPER EVM.] Quia eum pro nihilo dimiſerunt: quia eius præcepta contempſerunt: quia propter breue gaudium pœnam perpetuam incurrerunt. Et infra 13. cap. *Et flebunt & plangent reges terræ: quia fornicati ſunt cum ea.* Et qui ſunt iſti plangentes? Erunt omnes tribus id eſt omnes reprobi per carnalia deſideria terram inhabitantes, honorem ambientes & in luxuriis degentes.

*Quantus reproborum dolor.* *Apoc. 13.*

ETIAM: AMEN.] quaſi dicat, verum eſt, geminat aduerbium. Et ad maiorem confirmationem vtitur Hebraico, Latino: vt credentes ex Iudæis & Gentilibus credant præmiſſa omnia eſſe vera. Hanc auctoritatem exponit pulcherrime Chryſoſtomus ſuper Matth. dicens. Plangent Iudæi ſuper eum videntes viuentem quem & conuiuificantem quem hominem mortuum putabant. Et conuincentes ſe corpore vulnerato: ſcelus ſuum denegare non poterunt. Plangent & gentiles ſe: qui diſputationibus Philoſophorum decepti irrationalem ſtultitiam putauerunt Deum colere Crucifixum. Plangent Chriſtiani, quia magis dilexerunt tenebras quam lucem. Plangent Hæretici, quia purum hominem crucifixum dixerunt. Cum videant ipſum eſſe iudicem quem Iudæi pupugerunt. Et plangent omnes tribus terræ, quia nec reſiſtendi virtus eſt contra eum, nec fugiendi tempus, nihilque eis remanet niſi luctus.

In iis ergo prædictis aduentus Chriſti, ad iudicium declaratur. Primo vt potentiſſimus, quia *Ecce venit cum nubibus.* Secundo vt apertiſſimus, quia *videbit eum omnis oculus.* Tertio vt terribiliſſimus, quia *plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*

EGO SVM ALPHA ET OMEGA.] Hic deſcribitur maieſtas filij Dei quantum ad naturam diuinam. Vt enim melius credantur quæ dicta ſunt de Chriſto: induxit Ioan. Chriſtum de ſe loquentem. Vnde ſubditur, *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis*, principium creationis, & finis retributionis, vel principium, quia in principio erat verbum: finis, & quia verbum caro factum eſt, ſecundum Hier. Apud Græcos, Hebræos & Latinos A. eſt primum elementum, quia quod apud nos eſt. A Apud Græcos Alpha. Apud Hebræos Aleph. O verò ſecundum Græcos finis eſt elementorum Quia igitur Deus eſt principium: à quo omnia acceperunt initium, & finis in quem omnia terminantur. Ideò dicit, *Ego ſum Alpha & Omega.* Sed quæritur cum Deus ſit cauſa efficiens formalis & finalis omnium, quare non dicit, quod eſt forma ſicut ait, quod eſt *principium & finis.* Reſp. Ad hoc dico, quod cauſæ formalis & efficiens coincidunt. Ipſe ergo Deus eſt cauſa omnium effectuum, formarum omnium complementum. *Ex ipſo enim, & in ipſo, & per ipſum omnia facta ſunt.* ad Rom. 11. Hic ergo dicit, Dominus Deus qui eſt, & qui erat æternaliter, & qui venturus eſt, iudicaturus finaliter.

*Maieſtas Chriſti Domini. Quomodo Chriſtus principium & finis.* *Rom. 11.*

OMNIPOTENS.] id eſt omnia potens, quia nec impediri nec cogi poteſt omnino eius potentia, poteſtas enim eius poteſtas æterna, vel hæc dicit *Dominus Deus*, in quo authoritas magnificentiæ, *qui eſt.* In quo immutabilitas permanentiæ, *& qui erat.* In quo æternitas exiſtentiæ, *& qui venturus eſt. Omnipotens* in quo virtuoſitas præſidentiæ.

*Chriſtus omnipotens.*

Accipiamus igitur pro collatione, *Ego ſum Alpha & Omega.* Vbi quatuor per ordinem oſtenduntur. Primo pluralitas perſonalis virtutis, ibi, *Ego.* Secundo ſimplicitas naturalis impermixtibilis, ibi *ſum.* Tertio cauſalitas primordialis, & præceſſibilis, quia *Alpha.* Quarto vtilitas finalis, & impertranſibilis in vltimo electorum, quod notatur in vltimo, elemento Græcorum quod eſt *Omega.*

Circa primum eſt aduertendum cum dicit, *Ego*, ex verbo nota fœcunditatem generationis, natiuitatem emanationis, proceſſionem ſpirationis, indiuiſibilem naturam, incommutabilem eſſentiam, impermanabilem præſentiam.

De duobus primis ſimul. Exod. 3. *Ego ſum qui ſum.* De ſecundo Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* De tertio Deuteron. 32. *Videte quod ego ſum ſolus, & non ſit alter Deus præter me.*

*Exod. 3. Ioan 8. Deut. 32.*

Nota quod Chriſtus dicitur Alpha, quoniam ab ipſo eſt productio naturarum, Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Infuſio gratiarum infra c. 3. *Hæc dicit teſtis fidelis qui eſt principium creaturæ Dei.* Inſpiratio doctrinarum Ioan. 8. *Ego principium qui & loquor vobis.*

*Cur Chriſtus dicitur Alpha.* *Geneſ. 1. Apoc. 3. Ioan. 8.*

Circa quartum & vltimum nota quod Chriſtus dicitur *Omega*, id eſt finis, quia ipſe eſt terminus rerum ſucceſſiuarum, ad Rom. 8 *Nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Eſt & ſtatus intellectiuarum. Pſal. *Omnis conſummationis vidi finem,* qui etiam eſt appetitiuarum. Pſal. *Delectationes in dextera vſque in finem.* Sic ergo habemus quantum ad iſtum aduentum tria per ordinem. Primum ſocietatem cœleſtis militiæ copioſiſſimam & gratiſſimam, *quia veniet cum nubibus*, id eſt Angelis & Sanctis, Secundum apparitionem apertiſſimam, *quia videbit eum omnis oculus.* Tertium creaturæ lamentantis confuſionem, & pœnam acerbiſſimam & ignominioſam, *quia plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*

*Omega. Rom. 8.* *Pſal 118. Pſal. 15.* *Tria habentur ex hoc aduentu Chriſti Domini.*

VERS. 9.

EGO IOANNES FRATER VESTER.] Terminata proœmiali quæ ad ſalutationem pertinet. Sequitur pars proſecutiua quæ procedit ad narrationem, quæ in ſeptem partes diuiditur ſecundum 7. genera viſionum. in quarum prima determinatur de prima viſione, quæ continet Eccleſiarum reprehenſionem, & earundem correptionem. In ſecunda parte de ſecunda viſione quæ continet ſedentis ſuper thronum dominationem, & apparitionem ſigillorum, & eorundem reſerationem, cap. 4. *poſt hæc vidi & ecce oſtium apertum*, in tertia parte, de tertia viſione, quæ continet Angelorum canentium tubinationem, & eorum propinationem, c. 8. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu, & data ſunt ei ſeptem cornua.* In quarta, de quarta viſione,

*Quid in quaque libri viſione continetur.*

ſione, quæ continet victorias pugnantis cum dracone, & eiuſdem deiectionem capite duodecimo. *Apertum eſt templum Dei in cœlo.* In quinta, de quinta, quæ continet myſteria ſeptem planetarum & ſeptem phialarum effuſionem, cap. 15. *Et vidi aliud ſignum magnum in cœlo & mirabile: Angelos ſeptem habentes plagas.* In ſexta de ſexta quæ continet Babylonis condemnationem: beſtiæ confuſionem cap. 16. *Et poſt hæc vidi ſeptimum Angelum deſcendentem de cœlo.* In alia de alia quæ continet vniuerſi mundi conſummationem & beatorum glorificationem cap. 21. *Et vidi ſolum nouum, & terram nouam*, & ſic patet diuiſio viſionum. Quarum prima eſt, Eccleſiarum increpatiua, & correctiua. Secunda dulcis & conſolatiua. Tertia terribilis comminatiua. Quarta præmuniens & exhortatiua. Et quatuor viſiones tangunt eccleſiæ exordium perfectum. Tres aliæ reſpiciunt eccleſiæ exitum & finalem ſtatum. Quarum prima eſt, Inſidiarum antichriſti demonſtratiua. Secunda finalis iudicij rememoratiua. Tertia gloriæ bonorum declaratiua.

*Quatuor viſiones de exordio in progreſſu Eccleſiæ. Tres aliæ de eius finali ſtatu.*

Vt autem melius fides adhibeatur dicendis. Primo ponit Ioann. quatuor conditiones antecedentes viſionem authenticam facientes. Secundo viſionem ſubiungit ibi, *Et audiui poſt me.* Ponit ergo conditiones quattuor. Primo ſui nominis proprietatem: quia *Ioannes.* Secundo loci congruitatem: quia illud *in Pathmos inſula*, vbi melius vacare poterat contemplationi & meditationi cœleſtium Arcanorum. Tertio exhibitionem & rationem: quia *propter teſtimonium*: igitur non propter ſuam prauitatem. Quarto tẽporis opportunitatẽ: quia *iſta vidit in Dominica die.*

Totus iſte liber eſt de reuelationibus & viſionibus & quia non eſt credendum omni ſpiritui: ideo confirmans viſionem auctoritate ſui nominis quod erat authenticum. Sic ergo Ioannes electus à Domino in diſcipulum plus cæteris dilectus, Virgo & cuſtos Virginis: quia *ſuper pectus Domini in Cœna*, recubuit, cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia, hæc enim omnia per ſui nominis expreſſionem confirmat.

VERS. 9. FRATER] Frater inquam noſter non tantum nomine, ſed gratia, non tantum carne, ſed fide. Hæc eſt igitur vera fraternitas quæ vincit mundi crimina. Matth. 24. *Omnes vos fratres eſtis.* Et licet eſſet Prælatus & Doctor egregius tamen fratrem ſe noſtrum omnium nominat, quod eſt nomen denotans æquiparentiam. Fuit ergo Ioannes frater amans veraciter, conſulens ſapienter, conſolans dulciter, ſubueniens libenter, communicans largiter, conuerſans concorditer. Hæ ſunt conditiones veri fratris. Dicitur enim frater quaſi fere alter. Sic ego ſum frater veſter.

*Matth. 24. Prælatus exiſtimet ſe aliorum fratrem. Conditiones veri fratris.*

VERS. 9. ET PARTICEPS IN TRIBVLATIONE] Et partem tribulationis ſuſtinendo, ideo vt non deficiatis, quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum.

VERS. 9. ET REGNO.] Regnum indeficiens præſtolando. Per tribulationem enim regnum acquiritur. 2. ad Theſſ. 6. *Suſtinebimus & regnabimus.* Cum patientia præſentia mala æquanimiter tolerando.

*Tribulatione regnum acquiritur. 2. ad Theſſ.*

VERS. 9. IN IESV.] id eſt propter nomen Ieſu ſaluificum præferendo, *vel in Ieſu*, id eſt in exemplo ſuæ patientiæ nos confortando, *qui cum malediceretur non maledicebat, ſed pro crucifigentibus exorabat.* 1. Petr. 2.

*1. Petr. 2.*

EGO AVTEM FVI IN INSVLA QVÆ VOCATVR PATMOS.] à Domitiano tyranno crudeliſſimo exulatus. In quo loco idoneitas, quia à frequentia hominum ſequeſtratus. Sed ne quiſquam putet quod propter ſuam culpam fuerit relegatus ſubdit.

VERS. 9. PROPTER VERBVM DEI.] Efficaciter prædicando, ſcilicet, ET TESTIMONIVM IESV A CHRISTI] verum Deũ & hominem aſſerendo. Hæc inquam fuit ratio propter quam fui in exilium deportatus.

Sequitur videntis ſtatus FVI IN SPIRITV.] id eſt in exceſſu mentis omnia corporalia tranſcendendo. Vnde anima ſopitis ſenſibus exterioribus, & quodammodo à corpore ſeparata poteſt eleuari ad cœleſtium contemplationem & inueſtigationem. Vnde non corporaliter, ſed ſpiritualiter non in ſummis, ſed in extaſi poſitus, vidit hanc viſionem nec tamen carnem funditus deſeruit, ſed ſpiritui æternitatis adhæſit ipſius ſpiritus. Ideoque virture illius, tam alta, tam magna, tam myſtica, tam profunda facta rimari potuit & ſcrutari. Qualiter autem Spiritus ſanctus tangit Spiritum Prophetarum. Aliquando ex præterito, aliquando ex præſenti, aliquando ex futuro, aliquando ex longinquo, aliquando ex proximo, demonſtrat ille Doctor egregius Gregorius valde eleganter ſuper Ezechielem.

VERS. 10. *Anima eleuatur ad cœleſtium contemplationem.*

B *Quomodo tanguntur Prophetæ.*

Sequitur temporis oportunitas, quia iſta vidit IN DOMINICA DIE.] In qua debet vacare præciſe orationi & deuotioni, atque meditationi. Solet enim rerum qualitas, ex tempore notari. Abraham enim in feruore diei vidit Angelos, Geneſ. 18. Loth. perditionem Sodomæ in veſpere, Geneſ. 19. Salomon non ſeruaturus ſapientiam de nocte ſuſcepit. 3. Reg. 3. Iudas non rediturus ad veniam à conſortio Domini de nocte confugit. Ioannes 13. Die vero Dominica Domini reſurrectio fuit. Sicut patet Marc. vlt. Et hac die fuit diuinorum chariſmatum gratuita collatio. Act. 2. In hac die facta Arcanorum cœleſtium Ioanni reuelatio vt hic dicitur: vnde electi Dei tali die debent vacare à ſingularibus laboribus, & à mundanis occupationibus, & à carnalibus voluptatibus, & intendere ſpiritualibus meditationibus, ſicut dicit Gregorius in regiſtro. Dominico die à labore terreno ceſſandum, & omnino orationi inſiſtendum, vt ſi aliquid negligentiæ per ſex dies igitur, per diem orationis dominicum precibus expietur. Ecce ergo perſona digna, locus idoneus, cauſa innocens, tempus conueniens, quanto enim ſanctius tanto reuelationi conuenientius.

VERS. 10. *Diebus feſtis vacandum præcipue orationi. Geneſ. 18. & 19. 3. Reg. 3.*

C *Dies Dominica prærogatiua.*

*Quantò tempus ſanctius tantò reuelationi magis idoneum.*

D Sequitur, ET AVDIVI POST ME VOCEM.] Primo ponitur Ioan ad audiendum excitatio. Secundo imaginationum repræſentatio, ibi, *Et conuerſus ſum vt viderem*, dicit igitur. Et audiui, non aure exteriori, ſed interiori, Pſ. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Poſt me*, quia de futuris erat reuelatio, quæ ſunt quaſi poſteriora.

VERS. 10. *Pſal. 84.*

VOCEM MAGNAM.] A Deo magno emiſſam: quia magnorum enunciatiuam, quia virtute proceſſiuam, quia ad magna, & magnifica excitatiuam. Pſalmiſta. *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia. Tanquam tubæ*, ſcilicet terribilis, ſed tamen præmunientis audientem, vel ad cauendum, vel ad fugiendum, vel ad expugnandum, E & animandum, per quam merito vox prædicatoris deſignatur, quæ docet fugere peccata & vitia, præcauere hoſtis antiqui aſtutias, verſutias, inſidias. Tentationibus, & blanditiis carnis viriliter reſiſtere. Et ad omnis perfectionis, & virtutis apicem anhelare Iſai. quinquageſimo octauo. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Tuba enim inuitat ad bellum, ad conuiuium ad feſta vocat, & ad caſtra mouenda & expugnanda.

VERS. 10. *Pſ. 28. Vox prædicatoris qua ſit debet eſſe. Iſa. 58.*

DICENTI: QVOD VIDES SCRIBE IN LIBRO.] in tabulis, in corde.

VERS. 11.

ET MITTE SEPTEM ECCLESIIS QVÆ SVNT IN ASIA, EPHESO, SMIRNÆ, PERGAMO,

MO, THYATIRÆ, SARDIS, PHILADELPHIÆ, LAODICIÆ.] In eis vniuerſalem Eccleſiam informando: ſicut immediatè per earum interpretationem & expoſitionem patebit. Epheſis interpretatur voluntas mea, vel conſilium: & ſignificat eccleſiam, in qua eſt voluntas Dei per charitatem perfectam. Smirna interpretatur canticum eorum: & ſignificat eccleſiam, in qua eſt ſemper ſpiritualis lætitia per ſpem firmam. Pergamum interpretatur diuidens cornua eorum, vel diuiſio cornuum: & ſignificat diſiunctionem bonorum à malis, quæ eſt in eccleſia per fidem non falſam. Thyatira interpretatur illuminata, & ſignificat eccleſiam prudentia illuſtratam. Sardis intelligitur principium pulchritudinis, & ſignificat eccleſiam temperantia decoratam. Philadelphia interpretatur ſaluans hæreditatem domus, & ſignificat eccleſiam fortitudine conſtantiæ roboratam. Laodicia interpretatur tribus amabilis, & ſignificat eccleſiam per iuſtitiam à Deo dilectam. Iſtis igitur ſeptem eccleſiis ſignificatur eccleſia vniuerſalis inſignita & decorata iſtis virtutibus & donis.

*In eccleſia voluntas Dei.* — *Quid Smirna ſignificat.* — *Etymologia harum eccleſiarum denotant varias eccleſiæ prærogatiuas.*

QVOD VIDES IN LIBRO MITTE
VERS. II. SEPTEM ECCLESIIS. In iſto verbo oſtenduntur aliqua neceſſaria prædicatori. Primum intelligentia: *quod vides*. Secundum memoria retentionis: quia *ſcribe*. Tertium frequentia lectionis: quia *in libro*. De primo, debent enim intelligere antequam proferant verbum Dei. De ſecundo dicit, *ſcribe*, id eſt in armariolo pectoris pone. De tertio dicit, *in libro*, contra ſacros contemnentes libros. Quartum diligentia executionis. *Ideo mitte ſeptem Eccleſiis* fructum collectum ſpargendo & ſeminando ſancta.

*Quatuor prædicatori neceſſaria.*

VERS. 12. ET CONVERSVS SVM VT VIDEREM VOCEM, QVÆ LOQVEBATVR MECVM. Præmiſſa excitatione ad intelligendum: hîc ſubdit repræſentationem imaginum. Et ponitur primo imaginaria viſio. Secundo ipſius pro parte conſolatio expoſita. ibi. *Cum vidiſſem*. Præmittitur ergo imaginum repræſentatio. Vnde hîc eccleſiæ imago repræſentatur & Chriſti: vbi primo oſtenditur, de quo eſt reuelatio: quia de ſtatu eccleſiæ quæ per candelabrum deſignatur & à quo: quia à Chriſto, qui per ſimilem filio hominis conuenientiſſime figuratur: dicitur ergo ibi. Et in medio.

ET CONVERSVS SVM ad cognitionem VT VIDEREM VOCEM DEI, qui loquitur mecum ad memoriæ commendationem.

Sed qualiter dicitur videre vocem, quæ non eſt viſibilis ſed audibilis? Reſpondeo. Per hoc patet quod ſpiritualem, non corporalem vocem audiuit. Hoc enim eſt illi idem audire quod videre, & econuerſo; vnde in ſequentibus vnum pro alio accipitur frequenter & vidi, & audiui: quamuis enim vox corporaliter dicatur audiri & non videri propriè: ſpiritualiter tamen vox dicitur videri, ſicut audiri. *Conuerſus & vidi ſeptem candelabra aurea*, id eſt ſeptem eccleſias, ſcientia nitentes, ſapientia pretioſas, ſolidatas patientia, obedientia ductiles, doctrina ſonoras, ponderoſitatem habentes in moribus, & in tribulationis fornace proficientes per ſeptem candelabra aurea deſignatas. Candelabra igitur aurea ſunt eccleſiæ pro veritate ſapientiæ, pro nitore iuſtitiæ, pro ſtabilitate conſtantiæ. Si igitur vox eſt in ore, ſed non opere, eſſe candelabrum non aureum. Sis candelabrum per prædicationem verbi: ſed aureum per fulgorem exempli. Luc. 10. *Nemo accendit lucernam & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt*. Ecce à quo eſt reuelatio. Et primo deſcribit ſimilitudinem totius: ſecundo partium eius, ibi *caput autem eius* dicit.

*Qualiter dicitur vox neceſſaria.* — *Eccleſia candelabris deſignata & tur.* — *Prædicator candelabrum ſed aureum. Luc. 10.*

VERS. 13. IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM. & intentum eccleſiæ vniuerſali propter curam & ſollicitudinem *ſimilem filio hominis*, id eſt Chriſtum verum Deum & hominem: ſed dicit ſimilem propter tria. Primum eſt, quia ſuſtinuit humanos defectus & ſimiles præter ignorantiam: vnde Ioan. noluit dicere vidi Ieſum Chriſtum qui eſt verus homo: ſed ſimilem hominibus in defectibus pœnalibus ad Rom. 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, vel ideo dicit, Similem filio hominis; quia deſtructa morte iam non moritur, vel ſimilem filio hominis: quia Angelus qui loquebatur Ioanni per viſionem Chriſtum repræſentabat, credo quod tunc Ioannes vidit Chriſtum Dei filium non tamen diſtincte.

*Cur Chriſtus dicitur ſimilis filio hominis.* — *Rom. 8.*

B VESTITVM PODERE, i. immaculata carne quam Deo obtulit ſacrificium veſpertinum: Poderis enim, id eſt veſtis talaris, id eſt vſque ad pedes longa: & ſignificat carnem Chriſti immaculatam, quam in ara crucis in noſtræ redemptionis pretium immolauit: vel poderis eſt eccleſia, qua Chriſtus veſtitur quæ dicitur talaris quia fides eccleſiæ vſque ad finem ſæculi perdurabit: vel *veſtitum podere*, id eſt fide, ſicut enim per veſtem quandoque aliquis cognoſcitur: & tamen veſtis immediatam, & nudam viſionem impedit, ſic fides, vnde nude ipſum videre non poſſumus: & dicitur talaris, vt hîc habes: ipſe enim eſt fidei noſtræ obiectum, quæ vſque in finem perdurabit.

*Poderis quanam eſt veſtis.* — *Cur Chriſtus veſtitus podere.*

C ET PRÆCINCTVM AD MAMILLAS ZONA AVREA, i. ſapientia illuſtrante, charitate feruente, caſtitate purificante, & venuſtante. Et nota, quod Dan. 9. dicitur eſſe vir veſtitus lineis & renes eius accincti auro obriſo; hic vero dicitur, quod erat præcinctus ad mamillas zona aurea, quod non vacat myſterio. Apparuit enim Danieli cinctus, quia teſtamentum nouum tactus impudicos, & cogitationes nefarias culpat, & Chriſtus ſemper eſt in medio in nouo, & veteri tanquam verum centrum poſitionis, inuenies eum iacentem in medio iumentorum Luc. 2. pendentem in medio latronum Io. 19. Stantem in medio diſcipulorum Ioannis 2. Primum D medium, prædicat virtutem puritatis & innocentiæ. Secundum pietatis & miſericordiæ. Tertium veritatis & modeſtiæ. Quartum honeſtatis & prudentiæ. Quintum pacis & concordiæ. Eſt igitur medium naturæ, quod conſiderat phyſicus, & eſt in influentia principium ſecundum quod medium Chriſtus fuit medium in conuerſatione. Luc. 22. *Ego autem in medio veſtrum ſum: ſicut qui miniſtrat*. Eſt medium colligantiæ, quod conſiderat logicus: & illud eſt connexione indiuiſum, ſecundum quod Chriſtus fuit medium in paſſione Ioannis 19. ibi *eum crucifixerunt in medio autem Ieſum: & cum eo alios duos*. Eſt medium æquiparantiæ quod conſiderat ethycus & illud eſt in retributione adæquatum: ſecundum quod medium Chriſtus eſt in finali iudicio & diſcuſſiue erit in medio E Ezechiel. ſecundo. *Vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu eius, & de medio eius, quaſi ſpecies electri*.

*Dan. 9.* — *Quod Chriſtus ſemper eſt in medio. Luc. 2. Ioan. 19. Luc. 2.* — *Medium naturæ.* — *Medium colligantiæ.* — *Luc. 2.* — *Medium æquiparantiæ.*

CAPVT AVTEM EIVS ET CAPILLI VERS. 14.
ERANT CANDIDI TANQVAM LANA ALBA, &c.] Deſcripta ſimilitudine totius deſcribit ſimilitudinem partium, & hoc partim myſticè, partim apertè. Vnde deſcribit Ioan. formam magiſtri ſui, qui eum docuit vt melius credatur ei qui talem magiſtrum habuit.

*Deſcribitur Chriſtus.* — *Caput autem eius.*

CAPVT inquit, id eſt mens, ET CAPILLI.] id eſt ſancti per fidem adhærentes Chriſto capiti per abſtinentiam extenuati, perſeuerantia dealbati, & cani facti, & mundificati.

TANQVAM

A

TANQVAM NIX VEL LANA ALBA.] propter refrigerium concupiſcentiæ. Lana enim naſcitur ex carne,ſed neſcit paſſiones carnis,tegumentum ſuaue, & ad fouendum vtile per quam propriè candor deſignatur.

*Sanctorum candor.*

Nix vero ex aqua congelatur & congelaſcit ex ſuperioribus vel labaſcit:ita refrigerium concupiſcentiæ deſcendit ex dono diuinæ gratiæ, per quam carnis maceratio vel mortificatio datur intelligi. Candor eſt ergo, & habet caput noſtrum candorem per naturam,capilli ſunt per gratiam.

Lana manſuetudinem habet patientiæ, nix ſanctitatem pudicitiæ, fideles albi ſunt per ſanctimoniam, rubei per zelum,aurei,per charitatem,nigri, per patientiam, criſpi, quando reſpicientes ad ſuum principium conantur omni ſtudio imitari eum. Vnde Canticorum ſeptimo. *Caput tuum, vt Carmelus, & crines capitis tui,vt purpura.*ex quibus concluditur ſanctorum adhærentium Deo ſublimitas,firmitas, ſpecioſitas ac ſanctitas.

*Oculi doctores denotant.*

ET OCVLI EIVS VELVT FLAMMA IGNIS,] id eſt intellectus illuminatus ad cognitionem, & affectus inflammatus ad amorem, vel per oculos ſignificantur Doctores diuina ſapientia illuſtrati ad contemplanda cœleſtia ſublimati; & ad diuinorum directionem ordinati. Daniel. quarto. *Oculi eius velut lampas ardens.*Lucent enim lumine ſapientiæ, ſed ardent feruore dilectionis, & amicitiæ.

*Dan.4.*

*Pedes quid ſignificant.*

ET PEDES EIVS SIMILES AVRICHALCO.]Aliquando pedes ſignificant ſtabilitatem æternitatis, aliquando veritatem humanitatis, aliquando veſtigia intentionis, aliquando firmitatem prædicationis. Hic vero per pedes intelliguntur inferiores in Eccleſia qui corpus Eccleſiæ ſuſtinent temporalia procurando, vnde ſæpe ſordidantur. Et propter hoc non auro, ſed aurichalco comparantur, vel pedes Domini ſunt electi multi qui erunt tempore Antichriſti. Nam ſicut aurichalcum multis concuſſionibus, & cremationibus depuratur, & meliorem calorem accipit.Ita illi multis tribulationibus depurabuntur, & puriores efficientur Sapientiæ tertio. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Ideo aurichalco comparantur, & non auro, qui quamuis ſint eiuſdem meriti, & virtutum,ſicut primi fuerunt;non tamen lucebunt miraculis, ſicut illi. Et ideo pedes eius ſimiles aurichalco:

*Pedes diſignant inferiores qui ſunt in Eccleſia.*

*Sancti tribulationibus ſiūt puriores. Sap.3.*

*Cur non auro,ſed aurichalco cõparantur.*

SICVT IN CAMINO ARDENTI.]quaſi dicat Sancti multi erunt,quaſi aurichalcū decoctum in camino ardenti,quia multis grauaminibus, & doloribus affligentur.

Vel pedes ſunt inferiores qui cum multis tribulationibus,& grauaminibus comedunt panem ſuum, quia in camino ardenti,quia comburuntur ardoribus tribulationum ex decoctione laboris, & alios calefaciunt. Et additur caminum ardentem, quia eorum laboribus & miſeriis, diem,id eſt,conſolationes recipiunt.

ET VOX ILLIVS.]ideſt prædicatio propter efficaciam intonationis, TANQVAM VOX AQVARVM MVLTARVM.] propter redundantiam ſpiritualis diffuſionis Eſt enim vox aquarum multarum, quia datrix gratiarum. Pſalmo. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit,*&c.Sicut enim aqua eſt mundatiua ſordium, extinctiua ignium, ſubmerſiua animalium, productiua viuentium, conglutinatiua, & & vnitiua partium deſidentium, aqua mollitiua ad recipiendum imagines formarum : ſic prædicatio ſordes vitiorum abluit, ardorem concupiſcentiæ extinguit, Pharaonem cum exercitu ſubmergit, virtutes viuificat, diſcordes conglutinat, ſuperbos mollificat.

*Pſal. Efficacia prædicationis.*

*Stellis notantur Epiſcopi & quæ de cauſa.*

ET HABEBAT IN DEXTERA SVA SEPTEM STELLAS.] quæ ſunt ſeptem Eccleſiarum Epiſcopi : in ſtellis enim inuenitur actus naturalis, affectus, actualis, motus circularis, curſus regularis, ſtellæ enim lucent naturaliter, illuminant actualiter, mouentur orbiculariter, currunt regulariter: Sic Epiſcopi & Prælati debent lucere, in ſeipſis per puritatem conſcientiæ, debent etiam illuminare ſubditos per claritatem, Sapientiæ quarto. *Fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum nocte,* debent moueri orbiculariter, id eſt faciliter per compaſſionem alienæ miſeriæ, Baruch tertio. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis*, &c. Debent currere regulariter per ordinem intentionis, Iudicum quinto. *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Habebat ergo in dextera dominationis, & protectionis ſuæ ſeptem ſtellas,id eſt ſeptemEccleſiarum Epiſcopos,vniuerſaliter omnes Eccleſiæ Prælatos.

*Debent lucere Prælati.* *Sapient.4.* *Baruch.3.* *Iudic.*

B

ET DE ORE EIVS GLADIVS ACVTVS EX VTRAQVE PARTE EXIBAT] id eſt vtriuſque Teſtamenti, quo culpas, ſcilicet veteris operis, illic reſecat peccata cogitationis, quia in veteri Teſtamento mala opera; in nouo autem non ſolum modo mala opera puniuntur, ſed etiam peruerſa deſideria, quæ quis concepit in corde ſuo. Ad Hebræos 4. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus,* &c. VERS. 16.

*Hebr.4.*

Vel dicitur ex vtraque parte acutus, quia ſeparat bonos à malis, vel imperfectos à perfectis : hic gladius ſecundum Hieronymum. Milites armat, hoſtem interficit, deſertorem perimit: & ideo ſignificat verbum Dei, hunc gladium habere prædicatores in ore arguendo. Vnde Iſaiæ nono, dicitur, *Poſui os tuum, vt gladium acutum* debent etiam habere ipſum in manu, opere adimplendo Canticorum tertio. *Omnes tenentes gladios ad bella doctiſſimi* debent etiam habere gladium ſuper femur carnis à ſpurcitiis abſtinendo Exo. 32. *ponat mihi gladium.*

*Verbi diuini efficacia.* C *Iſa.9.* *Cant.3.* *Exod.32.*

ET FACIES EIVS SICVT SOL LVCENS IN VIRTVTE SVA.] hoc poteſt exponi de filio Dei in carne apparente. Cuius humanitas Soli comparatur propter excellentiam claritatis, ſicut fuit prophetatum, Malachiæ quarto. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.*Illa autem eſt tam lucida ſicut ſol,quando lucet in virtute ſua, quod fit quando in meridie nubibus ſublatis in centro terræ, purificato per eiuſdem aeris ſpatia in clariſſimo fulgore ſplendet. Multo plus reſplenduit facies Chriſti, Matthæi decimo ſeptimo, Imo centies millenes, ſicut dicit Hilarius. Sed Euangeliſta non habuit creaturam cui poſſet comparare illius ſpeciem claritatis. Vel exponitur de Chriſto reſurgente,qui quaſi in figura oritur,ſicut ſol in carnis aſſumptione,& occidit in paſſione quando ſecundum Dionyſium ſol obſcuratus eſt nouo genere eclipſandi. Et ad locum ſuum reuertitur in glorioſa reſurrectione ſtolam claritatis, & ſubtilitatis reſumendo. Vel poteſt exponi de filio Dei ad iudicium veniente,cuius facies ſicut ſol in virtute ſua emittet radios obtundentes corda torpentium, inflammantes vero & accendentes corda fidelium.

VERS. 16. *Humanitas Chriſti Soli comparatur.* D *Matth.17.* *Chriſtus reſurgens Sol.* *Chriſtus iudicans Sol.* E

Vides ergo quod Ioannes deſcribit reuelationis effigiem partim myſticè, vt det materiam inueſtigandi,partim aperte,vt det animis fiduciam perſeuerandi,& deſcribit, gloriam, vt accendat deſiderium in illam tendendi, quia cum apparuerit in vita noſtra, tunc ei ſimiles erimus in gloria.

Accipiamus pro collectione, FACIES EIVS SICVT SOL LVCET IN VIRTVTE SVA,] in his verbis notatur fœlicitas beatorum & beatificabilitas,bonitas beatificans indicibilis,dulcoris in facie, veritas ſcientificans vel certificans indiuiſibilis fulgoris

goris in ſole, æternitas vel entitas æternificans inuincibilis vigoris in virtute.

*In facie Dei tria reperiũtur.* Circa primum eſt notandum quod in facie Dei inuenitur decor venerabilis, qui eſt allectiuus, amor admirablis qui eſt ampلectiuus,dulcor deſiderabilis qui eſt exceſſiuus. De primo Canticorum ſecundo.*Oſtende mihi faciem tuam,ſonet vox tua in auribus meis.Vox enim tua dulcis,& facies tua decora.*De ſecundo Eſther trigeſimoquinto.*Valde admirabilis es Domine,& facies tua plena eſt gratiarum.*De tertio in Pſalmo. *Oſtende faciem tuam,& ſalui erimus.* Quia aſpectus illius faciei ſaluificat, & beatificat.

*Cant. 2.* *Eſth. 15.* *Pſal.*

*Chriſtus lucens triplici radio.* Circa ſecundum eſt notandum quod Chriſtus dicitur ſol lucens triplici radio,videlicet,fontalis diuinitatis, vbi pax exuberat omnem effectum: idealis exemplaritatis,vbi lux reuerberat omnem viſum:imperialis maieſtatis,vbi pax exuperat omnẽ ſenſum,Eccleſiaſtici quadrageſimo quarto tripliciter, *Sol exurens montes,ignes exſufflans & refulgens radiis ſuis obcæcat oculos.*

*Eccl. 43.*

Circa tertium nota quod virtus Dei continuat eſſe naturæ per nutribilitatem, conſimilat eſſe gratiæ per placibili tatem, perpetuat eſſe gloriæ per fœlicitatem: vnde Pſal. *Exaltare Domine in virtute tua.*

*Pſal.*
VERS. 17.

*Diuerſa interpretatio de podere, de Zona aurea &c.* ET CVM VIDISSEM EVM,CECIDI AD PEDES EIVS]Ex dictis patuit ſeries viſionis de capite noſtro Ieſu Chriſto,& membris ſuis fidelibus. Aliter tamen poſſumus exponere de Eccleſia vniuerſali in diuerſis tẽporibus. Per poderem poſſunt ſignificari exiſtentes ſub lege naturali vſque ad diluuium. Per zonam auream Patriarchæ, & alij credentes vſque ad legis ſcriptæ exordium.Per caput & capillos candidos, & oculos,exiſtentes ſub lege, Prophetæ illuminati,& candidati per legis oraculum,& Prophetæ vaticiniũ. Per pedes ſimiles aurichalco,Apoſtoli fundatores, & ſuſtẽtatores fidelium.Per vocem aquarum multarum, multitudo credentium per ſeptem ſtellas, ſuſtinentes martyrium per gladium,electi pugnaturi contra Anti-Chriſtum.Per faciem, Beati contemplantes faciei diuinæ radium.

*Status contemplãtis deſcribitur.* Narrata ergo viſione reuelationis Hic deſcribitur ſtatus contemplantis quantum ad quatuor, quorum primum eſt Ioannis conſternatio, magiſtri confortatio,mandati reiteratio, partialis dictorum enodatio, ſiue expoſitio.Dicit ergo.

*Maieſtas Chriſti Domini.* ET CVM VIDISSEM EVM.] ſcilicet talem,tanta gloria refulgentem,quia veſtitum podere quantum ad gloriam immortalitatis,quam non deſeruit vſque in ſæcula,quia præcinctum ad mamillas. Zona aurea quo ad ornatum omnimodæ pretioſitatis:cuius caput cãdidum & capilli propter decorem totius venuſtatis: cuius oculi,velut flamma, propter fornacem igneæ charitatis:cuius pedes ſimiles auricalco, quia fundamentum,& baſis noſtræ credulitatis & firmitudinis: cuius vox tanquam aquarum multarum, propter redundantiam totius puritatis, ex cuius ore exibat gladius ſcindentis veritatis. Cuius facies ſicut ſol lucet propter exuberantiam claritatis: Ergo cum cũ vidiſſem,cecidi ad pedes eius tanquam mortuus:ferre non valens gloriam ſuæ maieſtatis. Simile habetur Daniel.decimo.*Vidi viſionem,& non remanſit in me fortitudo,*ſuper quo dicit Richardus de ſancto Victore.Quid fuiſſet ſi gloriam diuinitatis Chriſti vidiſſet, qui ſimilitudinem glorificatæ humanitatis ſuſtinere non potuit.Mens enim humana,quanto perfectius inuiſibilia bona cognoſcit,tanto amplius ipſa fit humilis, & ſibi vileſcit.Quod ante figuratum fuit.Eſther tertio,vbi dicitur quòd cum vidiſſet regem ſuper ſolium regni ſui fulgentem veſtibus ſuis pene exanimis fuit, per thronum ergo Aſſueri diuina maieſtas, per virgam eiuſdem poteſtas,per ardorem oculorum iudiciaria ſeueritas. Hic ſacta anima deſignatur per Eſther,

*Viſio Danielis.* *Eſther. 3.*

A quæ in ſe deficit, & humiliter tamen maieſtatem contemplatur.

*In anima contemplante quatuor.* Hic ergo figurantur quatuor quæ debent eſſe in anima contemplante,videlicet,contemplationis limpitudo,(*cum vidiſſem*, cordis humiliatio, quia *cecidi*, carnis maceratio,quia *tanquam mortuus*, intentionis rectitudo,quia *ad pedes eius.*

*Deprimamur in conſpectu diuinæ Maieſtatis.* Sed quia Deus humiles ſemper conſolatur,nec deficit ſperantibus in ſe,ideo ſequitur auxilium protectionis,vnde dicitur.

*Manus Domini auxiliatrix.* ET POSVIT DEXTERAM SVAM SVPER ME.] ſcilicet ad me conſolandum, & auxiliandum,ad fouendum, ad benedicendum,ad manifeſtandum,vel ad eleuandum. Iſtis ſex modis ponit Deus dexteram ſuam, vel ſui auxilij,&c.ſuper ſeruum ſuum,vnde nota quod dextra Dei dicitur eſſe,proſtratorum erectiua,Pſalm.*Dextera Domini fecit virtutem,dextera Domini exaltauit me.* Erectorum directiua, Sapientiæ quinto. *Dextera ſua teget eos,& brachio ſuo defendet illos.* Directorum deductiua Pſal.*Deducet te mirabiliter dextera tua.* Deductorum lætificatiua,Canticorum ſecundo, *Læua eius ſub capite meo,& dextra illius amplexabitur me.*

*Dextera Dei dicitur eſſe quadruplex.* *Sap. 5.* *Cant. 2.*

B

Poſuit ergo dexteram ſuper me dicens,NOLI TIMERE.] ſcilicet tribulationes imminentes, perſecutores detrahentes,dæmones infeſtantes.

Quæritur de quo timore fit mentio dicens, NOLI TIMERE, eſt ſciendum quod in ſcriptura ſacra ſunt, & reperiuntur octo genera timoris. VERS. 17.

*Timor quot modis dicitur.* Primus timor eſt naturalis quæ eſt fuga diſconuenientis. Et hoc timore Chriſtus timuit in paſſione.

*Timor naturalis in Chriſto.*

*Timor humanus qui.* Secundus timor dicitur humanus, quomodo homo timet contraria grauamina carnis,qui dum eſt infra terminos naturæ naturalis eſt,dum excedit, humanus appellatur.

*Timor mundanus.* Tertius eſt mundanus,quando vltra iudicium rationis timetur amiſſio rerum temporalium, qui eſt C vitioſus,ſicut humanus quando excedit limites rationis, quando videlicet timetur, vbi non eſt timendum.

*Timor ſeruilis.* Quartus timor dicitur ſeruilis, quando timore pœnæ ceſſat quis à peccatis,de quo dicit Auguſtinus, qui timet ſeruiliter, regnat in eo peccandi poteſtas & voluntas. Et ſequeretur opus ſi ſperaretur impunitas.

*Timor initialis.* Quintus timor dicitur initialis,quia partim timore pœnæ, partim timore iuſtitiæ declinatur à malo, in Pſalm.*Initium ſapientiæ timor Domini.* *Pſal.*

*Timor filialis.* *Eccl. 15.* Sextus dicitur filialis,quo tamen timore ſe ſeparandi à Deo declinatur à malo:de quo Eccleſiaſt.decimo D quinto, *Qui timet Dominum faciet bona.*

*Timor offenſionis.* *Pſal.* Septimus eſt offenſionis, quia licet nec pœna nec gloria mouetur: ſed tantum ne offendatur ſponſus, quia declinatur à malo, Pſalm.*Beatus vir qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.*

*Timor reuerentiæ.* Octauus eſt reuerentiæ,& honoris qui ſolus remanebit in patria.Pſalmiſta.*Timor Domini permanet in ſæculum ſæculi. Noli ergo timere* timore naturali, mundano,humano,ſeruili,Sed time timore filiali,& reuerentiali,& ſubdit rationem quare non debet timere.

*Ratio quare Ioannes non debebat timere.* Quia habet validum adiutoriũ, *quia ego ſum primus* à quo omnia,& *nouiſſimus*,ad quem omnia. Vel primus. E qui ante ſæcula genitus à Patre, nouiſſimus quia in fine temporis natus de muliere:*Et ſum viuus*,per ęternam generationem,& fui mortuus in carne per acerbiſſimam paſſionem:& ecce ſum viuens per glorioſam reſurrectionem.

IN SÆCVLA SÆCVLORVM AMEN. ] quoniam in ſempiternam durationem,quaſi dicat, Chriſtus Ioanni, & aliis fidelibus. Nolite timere pro me pati,qui eſtis membra. Cum ego qui ſum caput veſtrum non horruerim crucis ſubire tormentum, quia quamuis magnum ſupplicium,erit etiam magnum præmium.

Si

*Ardentiſſimus amor Chriſti.*

Si quæras ergo à Chriſto qualis fuit in paſſione amoris affectus,reſpondebit quod ardentiſſimus , & viſceroſus quod probat, dulcedo obmuteſcentis,prõptitudo ſe offerentis,immunitas patientis, ſubiectio obtemperantis, poteſtas prædeſtinantis.

*Modus patiendi in Chriſto qualis.*

Si quæris qualis modus? Reſpondebit quod amariſſimus,iniurioſus,& opprobrioſus , quod probant vtilitas pudoris,acerbitas doloris , nuditas corporis, vilitas opprobrij,iniquitas iudicij , atrocitas ſupplicij,ignobilitas conſortij.

*Fructus paſſionis Chriſti.*

Si quæras qui ſit fructus,quod patet efficaciſſimus, & virtuoſus. Mors enim Chriſti fuit,ſordidorum mundificatiua, mortuorum viuificatiua , aduerſariorum reconciliatiua,indoctorum informatiua,tepidorum excitatiua,diſperſorum aggregatiua, afflictorum conſolatiua,præmiorum reſtauratiua, cum enim paſtor noſter mortem ſuam commemorat, nobis oſtendit quod debemus aliquid dicere ad excitandum deuotionem,ad meditandum tantam dilectionem. *Cum enim iniqui eſſemus,reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius.* ad Roman.quinto.

*Rom 5.*

ET HABEO CLAVES MORTIS ET INFERNI ] Per mortem hic intelligitur diabolus cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Per infernum vero omnes perditionis filij in barathrum inferni perpetuo retrudendi. Horum ergo omnium claues Chriſtus ſe dicit habere:quia vult, & iubet tentationes conquieſcere.Exemplum de Iob. cuius tentatori dictum eſt, *Ecce in manu tua ſunt vniuerſa quæ habet, ſed animam illius ſerua.* Iob. 1. Vel ad litteram animat Ioan. ad tollerantiam tribulationum per hoc quod non ſolum habet imperium & dominium cœleſtium, ſed etiam terreſtrium & infernorum, ad Phil. *In nomine Ieſu omne genu flectatur*,&c.

*Diabolus mors.* *Iob.1.* *Philip.*

SCRIBE. ] ergo vt in corde retineas, talia futura pandas, *Scribe*, vt ſicut es eruditus per cœleſtem viſionem,ita alij erudiantur per eiuſdem deſcriptionẽ.

*Tria myſteria noſtræ fidei.*

QVÆ VIDISTI ] ſcilicet myſteria paſſionis , & incarnationis,& reſurrectionis,& quæ ſunt ad euidentiam, ſcilicet quantum ad futuram Eccleſiæ perſecutionem,fidelium probationem,per ſequentium furorem,malorum punitionem,bonorumglorificationem. Sequitur viſionis interpretatio

VERS. 20.

SACRAMENTVM SEPTEM STELLARVM, QVAS VIDISTI IN DEXTRA MEA. ET SEPTEM CANDELABRA AVREA. ] Sacramentum hîc accipitur pro myſterio videre , & aliud intelligitur ſicut in ſacramento altaris:& ideo exponit , ſeptem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt,id eſt Epiſcopi,vel rectores animarum , qui dicuntur Angeli his rationibus.Primo igitur ratione charitatis in confouendo, ratione ſanctitatis in cõuerſando,ratione ſcientiæ in inſtruẽdo,ratione meditationis in curando, ratione prudentiæ in intelligendo,ratione velocitatis in diſcurrendo,ratione officij in miniſtrando, ratione zeli in ſuffragando,ratione deuotionis in contemplando, Angelus enim nomen eſt officij non naturæ. Habet enim officium conſolantis, illuſtrantis & excitantis. Similiter & Prælatus debet conſolari afflictos, illuſtrare indoctos , excitare tepidos. Et tales doctores poſſunt comparari ſtellis,quæ in nocte huius ſæculi nitent,& lucent per munditiam vitæ , curſum ſuum peragrant per æquitatem iuſtitiæ, Cœleſtia nunciant per veritatem doctrinæ.Vnde Daniel.inquit , *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

*Sacramentũ pro quo hic accipitur.* *Rectores animarum Angeli dicuntur & quare.* *Officium Angeli.* *Doctores ſtellis comparantur.* *Dan. 3.*

VERS.20.

ET SEPTEM CANDELABRA SEPTEM ECCLESIÆ SVNT. ] Richard. Hæc candelabra ſuper tres pedes ſtabiliuntur,& per ignem purgantur,malleis contunduntur, & poſtmodum in forma candelabrorum producuntur.Sic Eccleſiæ fidelium in Trinitatis fide fundantur & radicantur Tentationibus malleantur: lucent vt candelabra & ſtabiliuntur, quia gratia pretioſæ.quia patientia ſolidæ,quia obedientia ductiles, quia doctrina ſonoræ,quia ponderoſitatem habentes in moribus,& tribulationibus:quia in fornace perficientes.

*Cur Eccleſiæ candelabrũ.* *Candelabra adeptantur in Eccleſia.*

Sed cum dicatur Tob.duodecimo.Quod *ſacramentum regis abſcondere bonum eſt*.Qualiter iſtud myſterium hic aperitur.Præterea quare expoſuit aliqua , & non omnia.Reſponſio. Angelus quædam expoſuit beato Ioanni,quædam ſignificata reliquit, quia ſi ex toto eſſet liber clauſus,tæderet nos eum legere.Item ſi per omnia appareret,eſſet facilis & vileſceret.Vt ergo excitaret intellectum fidelium ad inquiſitionem occultorum myſteriorum,& ne lectio vileſceret , alia viſa non aperuit. Item vt inſinuaret poſſibile eſſe fidelibus filio Dei reuelante , peruenire ad intelligentiam occultorum myſteriorum , aliqua ſacramenta declarantibus.

*Tob.12.* *Quare aliqua aperiuntur ab Angelo aliis non declaratis.*

In toto ergo capite iſto continetur informatio fidelium ad tolerandas paſſiones , & tribulationes in præſenti,vt à Chriſto tandem recipiantur in æterna tabernacula.

*Exhortatio ad tolerandas tribulationes.*

Pro collectione accipiatur , EGO SVM PRIMVS ET NOVISSIMVS: ET FVI MORTVVS: ET ECCE SVM VIVENS IN SÆCVLA SÆCVLORVM.] In quibus verbis quatuor per ordinem annotantur videlicet. Primum æternitas diuinitatis quantum ad principium durationis.Cum dicit *Ego ſum primus,& nouiſſimus.* Secundum infirmitas humanitatis quantum ad ſupplicium paſſionis.Cu madiungitur, *& fui mortuus.* Tertium claritas immortalitatis,quãtum ad gaudiũ reſurrectionis. Cũ ſubnectit, *Et ecce ſum viuẽs in ſæcula ſæculorum.* Poteſtas vniuerſitatis,quãtum ad dominium omnis ſubiectionis. Cum poſtponit, *Et habeo claues mortis & inferni.*

VERS.18.

Circa primum nota quia Dominus eſt primus & nouiſſimus,quia immutabiliter ſubſiſtens , quia intemporaliter producens , quia impertranſibiliter finiens,quia vltima collectiue reducens. De iis omnibus hic per totum. *Ego ſum Alpha & Omega,principium & finis.*

*Dominus eſt primus & nouiſſimus.*

Circa ſecundum attende quod mors Chriſti eſt cauſa reparationis à perditione.Ioannis decimonono. *Expedit vobis , vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Eſt cauſa reconciliationis à præuaricatione. *Cum iniqui eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius.* Multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius .Eſt cauſa etiam multiplicis fidelium & gentium vocationis: quia vbi *granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*,&c.

*Ioan.19.* *Mors Chriſti cauſa reparationis.*

Tertium attende quod Chriſtus eſt viuens , & vita eſſentialiter & ſubſtantiue, Ioannis quarto. *Ego ſum via,veritas,& vita*,cauſaliter, & protectiue,Ioannis ſexto , *Ego ſum panis vitæ , & do vitam mundo*, Item exemplariter & imaginatiue , ad Romanos ſexto. *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris : Ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Item finaliter & obiectiue , ad Romanos tertio. *Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra , tunc vos apparebitis cum eo in gloria.* Habet igitur Chriſtus claues vniuerſales gubernationis finalis,& dilectionis.

*Chriſtus viuens & vita* *Ioan.4.* *Ioan.6.* *Rom.6.* *Rom.3.*

tumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines ſatanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.

25. Tamen id, quod habetis, tenete donec veniam.

26. Et qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes.

27. Et reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.

28. Sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo illi ſtellam matutinam.

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

---

## *EXPOSITIO SECVNDI Capitis.*

VERS. 1. ANGELO EPHESI ECCLESIÆ SCRIBE, &c Narrata prima viſione & interpretata in generali, hic diſtinguuntur ſingulis Epiſcopis ſingulæ viſiones in ſpeciali. Et ſecundum hoc præſens caput in ſeptem partes diuiditur, quoniam correctio Eccleſiarum in præſenti capite exprimitur, admonitio verò trium Eccleſiarum in ſequenti concluditur. Innuens igitur reuelator, & perſonam epiſcopalem ſuſcipiens, & perſonam deferentis, & ſui ipſius præcipientis, dicit, *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe*, id eſt Archiepiſcopo Epheſi, vt correctus ſit cæteris forma & exemplum correctionis. Huic autem ſcribit primo, & principaliter tanquam priori, & principaliori & digniori. Quia Epheſus erat Metropolis Aſiæ. Vocat autem eum Angelum, quia Prælatus, Angelicus debet eſſe vita, Angelicus & doctrina, vitia extirpando, illuminando ſubditos ſecundum gradus Hierarchicos. Quia ſecundum Greg. hom. 6. Vnuiquiſque ſe à prauitate plurimum reuocat, ſi exhortari ad bene operandum curat. Si æternum regnum, vel ſupplicium erranti denunciat, cum verbum ſanctæ denunciationis impendit, profecto Angelus exiſtit. Huic ergo ſcribe, dicit Angelus Ioanni, qui hic geris perſonam docentis, hic eſt enim rectus ordo: vt doctor vel Prælatus primo audiat, & poſtmodum audita referat.

*Diuiſio. Correctio Eccleſiarum.*

*Epheſus Eccleſia eſt Metropolis Aſiæ. Prælatus debet eſſe Angelus.*

*Doctor primo audiat.*

VERS. 1. HÆC DICIT QVI TENET SEPTEM STELLAS IN DEXTERA SVA.] id eſt ſeptem Eccleſiarum Epiſcopos, omnes conſeruans ſua magnifica poteſtate

VERS. 1. QVI AMBVLAT IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM.] diſtribuens dona ſua Eccleſiis ſua mirifica largitate. Tenet ergo Chriſtus ſeptem ſtellas in dextera ſua: quia ſeptem Epiſcopos Eccleſiarum conſeruat in gratia. ſed errauerunt. In hoc eſt admiranda, ſed adhuc laudanda Dei clementia. Quia peccatores conſeruat, fugientes reuocat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapſos erigit, deuios reducit, ignaros inſtruit, redeuntes ſuſcipit, ſuſceptos cuſtodit.

*Chriſtus tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua. Laudanda Dei clementia.*

VERS. 1. TENET ERGO IN DEXTERA SVA SEPTEM STELLAS.] id eſt ſeptem dona Spiritus ſancti, ſcilicet ad inflammandum, vel ſeptem dotes ad glorificandum, paratus conferre omni volenti accipere. Prælati autem dicuntur ſtellæ, quadruplici ratione, quia enim ſtella habet, pulchritudinem in viſu, celſitudinem in ſitu, rectitudinem in motu, fir-

*Septem ſtellæ, ſeptem dona Prælati dicuntur ſtellæ.*

S. Bernard. de Senis, in Apocal.

A mitatem in ſtatu, ſic Prælatus debet habere, ſanctitatem in conuerſando, dignitatem in imperando, æquitatem in gubernando, firmitatem in defendendo. De 1. Baruch. 3. *Stellæ dederunt lucem in cuſtodiis ſuis.* De ſecundo Eccl. 40. *Species cæli gloria ſtellarum.* De tertio Iudicum 5. *Stellæ manentes in ordine ſuo pugnauerunt contra Syſaram.* De quarto Geneſ. 1. *Et ſtellas, ſcilicet fecit Deus, & poſuit in firmamento cæli.*

*Conditiones veri Prælati.*

*Baruch. 3. Prælati dicuntur ſtellæ. Eccl. 40. Iud. 5.*

QVI AMBVLAT IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM.] id eſt ſeptem Eccleſiarum, quæ per candelabrum deſignantur, quia ſi bonus paterfamilias gregem, & paſtores viſitans vniuſcuiuſque opus conſiderans ad vitam, & dona quæ tenet in dextera ſua ſingulis, prout opus eſt diuidens, Ieſus ergo in medio Eccleſiarum, ſicut cor in medio corporum ad influendum. Et ideo
B ſignificatur per lignum vitæ in medio paradiſi Gen. 1. Item in medio ſicut imperator in medio militũ ad regendum, vel ſicut Pontifex in medio ſacerdotum ad miniſtrandum Iſaiæ 12. *In medio tui ſanctus Iſrael.* Itẽ in medio ſicut Sol in medio terræ ad illuminandũ in tenebris exiſtentes, & ad deducendum ad portũ ſalutis, per hoc mare ſpacioſum vagantes. Eccl. 5. *Quaſi ſtella in medio nebulæ.* Itẽ in medio ſicut pugil ad defẽdẽdũ protegẽdum, & vndique expugnandum. Et ideo apparuit in medio diſcipulorum. Ioan. 11. Et hic in medio candelabrorum aureorum paratus ad ſubueniendum. Item fuit Ieſus in medio temporum natus: vt omnia perficeret. Sap. decimo octauo. *Dum medium ſilentium tenerent omnia.* Item media nocte na-
C tus: vt noctem peccati, ſua claritate expelleret. Item in medio mundi paſſus, vt omnes redimeret. Item in medio electorum vectus: vt ea quæ ſurſum ſunt & inferius coniungeret, & ad concordiam reduceret.

*Septem candelabra.*

*Ieſus eſt in medio Eccleſiarum Geneſ. 1.*

*Iſa. 12.*

*Ioan 12. Chriſtus in medio temporum natus & cur. Sap. 18.*

Ambulat ergo in medio candelabrorum aureorum, id eſt prædicatorum. Qui dicuntur aurei propter fulgorem ſapientiæ, ductibilitatem modeſtiæ, flexibilitatem obedientiæ, ponderoſitatem charitatis & beneuolentiæ

*Prædicator candelabrum aureum.*

VERS. 2. SCIO OPERA TVA ET LABOREM TVVM.] Hic ponitur pars executiua in qua exprimit quę ſcribenda promiſit: vnde hic quinque per ordinem continentur. Et primo præmittitur eius commendatio.
D Secundo increpatio hic. *Sed habeo aduerſum te pauca.* Tertio ad bonum exhortatio. Vnde: *Memor eſto vnde excideris.* Quarto comminatio ibi. *Sin autem venio cito.* Quinto blandior conſolatio ibi, *Sed habes bonum: quia odiſti facta Nicolaitarum.*

Et quia iſte præſul multum erat oppreſſus infeſtationibus pſeudoprophetarum. Et afflictio non eſt addenda afflicto commendat eum multipliciter. Primo, de bonorum ſuorum communicatione. In corporali afflictione. In patientiæ agnitione. In malorum extirpatione. In fictorum examinatione. In recta intentione. In principiorum declaratione.

*Afflictio non eſt danda afflicto.*

Dicit ergo, SCIO OPERA TVA.] Per ap-
E probationem: quia ſecundum Gregorium in moralib. Scire Dei eſt idem; approbare quod neſcire vero idem quod reprobare: iuxta illud Luc. 3. *Amen dico vobis, neſcio vos.*

*Luc. 3.*

ET LABOREM TVVM,] quantum ad laborem paſſionum. *Et patientiam tuam ſcio*: quia non murmuras de flagello illato. Nec de præmio dilato. Vere enim patiens eſt ſecundum Gregor. qui aduerſis afficitur: & à ſpei ſuæ rectitudine non curuatur. Qualiter in ipſa eſt radix cuſtóſque virtutum oſtendit Gregor. in fine moralium, concludens quod patientia pauperum non peribit in finem.

*Patientia.*

Dicit ergo, SCIO OPERA TVA:] vbi approbat eum, vt ſtrenuum in operando, vt conſtantem in tolerando, cum ſubiungit *& laborem tuum.* Vt longanimem in expectando. Cum ſubnectit *et pa-*

*patientiam meam*. Eſt autem labor perſonalis Triplex, A ſcilicet, ſanctæ meditationis. Pſalm. *Laboraui in gemitu meo,* &c. Veræ prædicationis. Quia raucæ factæ ſunt fauces meæ. Rectæ operationis in Pſalm. *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es & bene tibi erit.* Eſt enim labor paſtoralis, triplex: Zelus in corrigendo. Solertia in experiendo. Perſeuerantia in tolerando. Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos,*

*Labor perſonalis.* *Pſal. 50.* *Pſalm. 127.*

*Labor paſtoralis.* *Matth. 11.*

SCIO EGO OPERA TVA ET LABOREM TVVM ET PATIENTIAM TVAM.] Eſt autem triplex pars patientiæ. Pro malo malum non reddere. Pro maledicto non maledicere. In corde non mutumurare. Nec detrahere. Vnde qualis vnuſquiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat. Et vide quam eleganter coniunguntur opera, B labor, & patientia, quia in his tribus conſiſtit perfectio vitæ. Vnde Auguſt. Perfectio vitæ eſt bona agere: & mala æquanimiter perpeti & in his perſeuerare.

*Triplex pars patientiæ.*

*Illata contumelia quis ſit probat.*

*Perfectio vitæ in quo conſiſtit*

QVIA NON POTES SVSTINERE MALOS.] Vnde in re eſt feruidus zelus, & æmulatio. Non enim poterat ſuſtinere malos in ſuo conſortio quin corrigeret vel expelleret, Sed videtur quod in hoc non eſſet commendandus: quia ſecundum Gregor. in moral. Non eſt laudabile eſſe bonum cum bonis: ſed valde laudabile eſt eſſe bonum cum malis, ergo magis laudabile eſt ſuſtinere malos quam non ſuſtinere. Reſponſio, mali non debent ſuſtineri, quin arguantur, vel expellantur ſi nolunt ſe emendare ſeruato ordine iuris. Laudabile ergo eſt eſſe bonum cum malis ſi per bonum ho- C mo poteſt malum reducere & eum non dimittere. Sed magis laudabile eſt eſſe bonum cum bono, quam cum peruerſo peruerti: quoniam tales non ſunt expellendi præcipitanter, ideo commendat eum à ſoletti inueſtigatione, & rationabili communicatione, ſubdens.

*Mali ſuſtinendi.*

*Zelus iuſtorum.*

ET TENTASTI.] id eſt diligenter probaſti. Vel examinaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos & à Deo miſſos: bonum alienum vſurpando, Hier. 24. *Non mittebam & ipſi currebant.*

*Ierem. 24.*

ET INVENISTI EOS MENDACES] non ſolum lingua vel falſa doctrina, ſed ſimulatoria vita ſophiſticè conniuendo. Et quamuis ſecundum Auguſt. Mendacium ſit falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Tamen non ſolum eſt menda- D cium oris ſed operis & maius eſt operis quam locutionis, Vnde Ambroſ. in ſermone de paſſione. Confiteri ſe eſſe Chriſtianum vel Clericum, & contraria huic ordini facere, mendacium eſt. Licet autem Auguſtinus diſtinguat octo genera mendaciorum, Magiſtri tamen moderni ponunt tantum triplex mendacium, ſcilicet, Pernicioſum quod eſt crudelitatis, quod nulli prodeſt ſed obeſt. Officioſum, quod eſt quodammodo pietatis, quod nulli obeſt & alicui prodeſt. Iocoſum quod eſt ſocietatis: & iſtud eſt cauſa ſolatij. Primum eſt graue. Et ſecundum eſt minus graue. Tertium eſt leue. Non ſic perſona religioſa cuius verba debent eſſe vera & certa. Et quoniam iſti pſeudo Apoſtoli antiſtitem Epheſi af- E fligebant multipliciter, & vexabant, commendat eum longanimi perpeſſione illatarum iniuriarum dicens.

*Mendacium oris & operis.*

ET PATIENTIAM HABES,] patienter
VERS. 3. aduerſa tolerando, *Et ſuſtinuiſti propter nomen meum,* non propter humanam laudem: ex hoc meritum ſortiendo. *Et non defeciſti* vſque in finem firmiter perſeuerando. Quia patientia, eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum & difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio. Ideo hic deſcribitur perfecta patientia quantum ad ſuos actus. *Patientia enim opus perfectum habet.* Iacob. 5. Debet enim eſſe firma & ſolida non remurmurans de præmij dilatione. Ideo ait in principio. *Et patientia tua.* Debet etiam eſſe iucunda non anxia in malorum perpeſſione, propter quod ſubdit: *Et patientiam habes.* Debet eſſe recta & ordinata in intentione. Ideò ſubiungit. *Et ſuſtinuiſti propter nomen meum.* Debet etiam eſſe continua ſine intermiſſione, vnde ſubnectit. *Et non defeciſti,* id eſt non ſubtuliſti: ſed perſeueraſti. Nulla enim vtilitas ſeminum prius florentium: poſtea tabeſcentium. Perſeuerantia enim eſt ſecundum Bernard. Vigor ad bonum conſummandum, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, filia conſtantiæ: amica pacis, nodus amicitiæ, vinculum veritatis, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium habet mercedem, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo Dicit ergo.

*Patientia quid.*

*Iacob. 5.* *Vera patientiæ conditiones.*

*Patientiæ encomia.*

ET SVSTINVISTI PROPTER NOMEN MEVM.] Quia Chriſtus hic facit mentionem de nomine ſuo. Ideo & nos dicamus de eo aliquid. Et quia nomen nihil aliud eſt quam ratio innoteſcendi Et ſubſtantia innoteſcit per virtutem, virtus per operationem. Ideo notandum eſt quod triplex eſt operatio propter quam innoteſcit nomen filij, ſcilicet actio omnipotentiæ, mirabiliter influentis. Et ſecundum hoc nomen eſt Dominus Deus noſter. Et hoc nomen eſt admirabile. Secundum eſt clementiæ miſericorditer indulgentis: & ſecundum hoc nomen eius eſt Dominus Ieſus Chriſtus noſter, & hoc nomen inæſtimabile, Tertium eſt iuſtitiæ inflexibiliter exequentis. Et ſecundum hoc nomen eius eſt Dominus iuſtus noſter, quod eſt terribile.

*Triplex operatio ex qua innoteſcit nomen filii.*

C Primum ergo nomen eſt admirabile ratione potentiæ mirabiliter influentis. Ad mundum fabricandum. Pſalm. *Dominus Deus noſter,* &c. Ad mundum gubernandum Iſa. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis Deus fortis, pater futuri ſaculi, princeps pacis.* Iſtud ergo nomen ſic influens ſimpliciter eſt venerandum & humiliter: quia per ipſum omnia viſibilia & inuiſibilia fabricantur. Eſt inuocandum fideliter: quia per ipſum cœleſtia & terreſtria ſuſtentantur. Eſt benedicendum laudabiliter: quia per ipſum omnia & ſuperiora & inferiora pie & pacifice gubernantur. Dan. *Sit nomen Domini benedictum in ſaecula.*

*Admirabile nomen Dei.* *Iſa. 9.* *Nomen Dei venerandum tripliciter.*

*Dan 3.*

Secundum nomen filij eſt amabile ratione clementiæ, miſericorditer indulgentis: ſcilicet per remiſſionem ſcelerum, quantum ad dona veniæ. Matthæi 1. D *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Per immiſſionem ſpiritualium chariſmatum, quantum ad dona gratiæ. Canticor. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Per impletionem deſideriorum mentalium, quantum ad dona gloriæ. Io. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Iſtud ergo nomen comparabitur amabile, operando pro ipſo laudabilia bona, ſpernendo mundialia, tolerando moleſta Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij quoniam digni ſunt habiti pro nomine Ieſu, contumeliam pati.*

*Nomen filii Dei amabile & qua de cauſa.* *Matt. 1.* *Cant. 2.* *Ioan. 16.* *Act. 5.*

Tertium nomen filij eſt terribile, ratione iuſtitiæ inflexibiliter iudicantis. Et ideo eſt formidabile propter ſublimitatem Imperij, quod non poterit euitari: E propter ſeueritatem zeli, quia non poterit mitigari. Propter ſtabilitatem iudicij à quo non poterit appellari. De primo Ierem. 1. *Magnum eſt nomen tuum & quis poterit reſiſtere ei?* De ſecundo Iſa. 3. *Ecce nomen Domini venit de longinquo & quis nouit aduentum eius.* De tertio in Pſalmo. *Secundum nomen tuum Deus: ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.* Quamuis autem iſtud nomen ſit terribile impœnitentibus: eſt tamen vtile per fidem aſſerentibus. Per ſpem interpellantibus. Per charitatem præſtolantibus. Per obedientiam obtemperantibus. Per caſtitatem florentibus Pſalm. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.*

*Nomen filii Dei terribile.* *Ierem. 1.* *Iſa. 3.* *Pſal. 47.* *Nomen Dei terribile, quibus, & quibus vtile.* *Pſal. 9.*

Et ſequitur argumentatio increpatoria, quia licet in multis eſſet commendabilis, in aliquibus tamen erat

erat reprehenſibllis, vt in charitate in cuius feruore A primitus ſe conſueuerat exercere. Iam aliquantulum tepeſcebat. Commendauit ergo primo & poſtea increpat ad modum medici ſecundum Greg. qui prius membra infirmi collaudat & vlterins compalpat: deinde interdum vulnus tranſuerberat. Vnde dicit.

*Medici more procedit. Deus.*

VERS. 4.

SED HABEO ADVERSVM TE PAVCA:] de quibus ſcilicet es arguendus. *Quod charitatem tuam primam reliquiſti*, vnde es merito puniendus.

Sed quantum ad euidentiam litteræ quæritur. Cum reliquere charitatem ſit origo totius mali, nec aliqua opera viua ſint ſine charitate. Videtur quod male præmiſit *habeo aduerſum te pauca*. Reſpondeo. B Epiſcopus ad litteram cui ſcribebat fuit adeo perfectus in principio quod propter charitatem nimiam ſollicite laborabat: & pro ſalute orabat perſecutorum & aduerſantium. Poſtea vero relaxatur laboribus, & tædiis aliquantulum declinauit, vnde multi in initio feruentes ſunt, ſed proceſſu temporis tepeſcunt. Vnde propter iſtum torporem dicitur ei. *Dimiſiſti charitatem primam*: quia in gratia accepta vixerat minus ſecure. Vnde nota quod charitas dicitur multipliciter. Primo eſt quidam habitus infuſus à Deo. Ad Rom. 1. *Charitas Dei diffuſa eſt*, &c. Nec aliud eſt quam amor boni ſecundum Auguſt. de Trinitate. C Secundo charitas dicitur motus interior ſiue affectus ſequens: & iſta charitas ſecundum eundem eſt motus animi ad ſeruiendum Deo propter ſe, & proximo propter Deum. Tertio dicitur charitas ſecundum ipſum opus exterius ſecundum quod communiter dicitur oſtendere per affectum charitatem ſuam: Rom. 12. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* Quarto dicitur charitas feruor, ſeu ardor ipſius charitatis ad Philippen. 1. *Oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Et his duobus modis vltimis loquitur hic de charitate. Vel quia reliquerat aliqua priora. Vnde ſequitur. *Prima opera fac.* Vel quia reliquerat feruorem quem prius dimiſerat, non quod dimiſiſſet ipſum habitum charitatis. Per D quod patet quod arguendi ſunt torpentes ab operibus virtutis. Vel poteſt referri ad ſubditos, quia charitatem primam reliquiſti: id eſt dilectionem Dei & proximi: vnde patet quod Prælati puniuntur & reprehenduntur propter peccata ſubditorum maxime ſi fuerint negligentes. Heli enim quamuis eſſet bonus, fuit tamen punitus lethaliter: quia corrigere noluit filios oberrantes: licet tamen charitas multos laudatores habere dignoſcatur, vt ſi quid in laudem eius dicere cœpero fortaſſis magis præſumptio quam deuotio videbitur. Hæc eſt tamen prærogatiua charitatis: quia cum omnis virtus donum Dei ſit: nulla præter ſolam charitatem habet vt non ſolum donum Dei, ſed & Deus dici poſſit. Charitas ergo omnem animæ languorem ſanat: Vitiorum omnium radices extirpat: mentem illuminat, E animam lætificat, Deum demonſtrat: animam in qua charitas habitat ſuperbia non inflat: inuidia non deuaſtat, ira non diſſipat, triſtitia non vexat, auaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat. Illabere ergo nobiſcum ô dulcis, ô ſuauis charitas, dilata cor noſtrum, expande deſiderium, deſcende in mentis noſtræ ſinum: amplifica cordis noſtri habitaculum vt capere poſſit hoſpitem & manſorem dominum tam charum, & habere pretium charitatis: vt ſublata de medio videatur nihil eſſe omnis virtus, hodie enim periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in mendaciis, charitas in ſimulatis amicitiis. Quem dabis mihi bone Ieſu, dicit Bernardus, de numero prælatorum qui non magis inuigilet marſupiis euacuandis, quam vitiis extirpandis. Vtinam tam vigiles eſſent ad curam quam alacres currunt ad cathedram: plus fulgent calcaria quam altaria: ſæ-

*S. Bernard. de Senis, in Apocalyp.*

*Plurimi non perſeuerant.*

*Charitas dicitur multipliciter. Rom. 1.*

*Rom. 12. Phil. 1.*

*Arguendi tepidi in operibus virtutis.*

*Prælati propter peccata ſubditorum puniuntur. Charitatis prærogatiua & encomia.*

*Sublata charitate aliæ virtutes tales non cenſentur.*

*Inuectio in males prælatos.*

pius inueniuntur in ſtabulo quã in templo, currũt velocius ad coquinam quã ad miſſam, plus diligunt piſcem aſſum, quam Chriſtum paſſum; ſi tamen in cordis palato ſaperent iugum ſuaue iuſtitiæ, charitatẽ quã dulciter capit quã glorioſe laquear, quam ſuauiter premit, quam delectabiliter onerat, quam faciliter vnit, quam fortiter ſtringit, quam ſapienter erudit, charitatem priſtinam redimerent & nouiſſimis prouiderent.

MEMOR ESTO ITAQVE VNDE EXCIDERIS.] VERS. 5.
Ecce conſolatoria admonitio ſtatum priſtinum ad memoriam reuocando. *Et age pœnitentiam* pro commiſſis ſatisfaciendo, & *prima opera fac* nunquam à ſimilibus reſiliendo.

*Punitur qui ad meliorem frugem non redit.*

Et ſequitur comminatio terribilis. *Si non pœnitueris & ad ſtatum priſtinum redieris veniam tibi cito*, ſcilicet morte vel iudicio ad te condẽnãdum & in corpore & in anima puniendum, vel veniam cito & ſubito ex inſperato, vel tibi indiſpoſitio vel impræparato.

VERS. 6.

ET MOVEBO CANDELABRVM TVVM,] id eſt auferam tibi promiſſum præmium. Vnde per candelabrum hic deſignatur merces quæ debetur curæ paſtorali. Et ſequitur conſolatio & collaudatio ne minis & terroribus deficiat.

*Nicolaus qui dicti ſunt. Act. 7. Error eorundem.*

SED HIC HABES BONVM INTER ALIA: QVIA ODISTI FACTA NICOLAITARVM,] deteſtabiles ſecundum Bedam Nicolaitæ dicti ſunt à Nicolao diacono de quo Act. 7. quoniam hoc refert Clemens de zelo coniugis pulcherrimæ fuiſſe interpretatum: ac reſpondiſſe quod quicunque eam vellet accipere vxorem: vnde Hieron. in originali, Nicolaitæ hæretici peſtiferi qui ſub nomine Nicolai ferunt hæreſim. Dicebant quod quicunque fornicatus fuiſſet octaua die pacem reciperet. Dicit ergo, *odiſti facta Nicolaitarum* non naturam ſed culpam, quia videlicet comedebant idolothyta, cibos ſuos gentibus commiſcebant: & hunc mundum non à Deo factum ſed à quibuſdam potentibus aſſerebant.

QVOD EGO ODI:] quia perfecto odio oderam illos deteſtando vitium & peccatum. Nunc autem pertractemus verbum præmiſſum.

MEMOR ESTO ITAQVE VNDE EXCIDERIS: ET AGE POENITENTIAM, ET PRIMA OPERA FAC.] Iſtud ergo verbum poteſt dirigi toto generi humano dilapſo à ſtatu innocentiæ, vel cuilibet homini qui cecidit à ſtatu gratiæ. Vnde primo reuocat ad memoriam lapſum præuaricationis cum præmittit. *Memor eſto vnde excideris.* Secundo indicat remedium reformationis cum ſubiungit. *Et age pœnitentiam.*

VERS. 5. *Applicatio præcedentiũ verborum homini lapſo.*

Tertio informat ad meritum ſatisfactionis cum ſubnectit & *prima opera fac. Memor eſto itaque.* Præuaricans à fidei ſinceritate. Deſperans à ſpei ſtabilitate. Arrogans ab innocentiæ ſimplicitate. Oberrans à perſeuerantiæ longanimitate. De primo Rom. 11. *vide bonitatem*, &c. De ſecundo Eccleſ. 14. *fœlix qui non habuit*, &c de tertio 2. Corinth. 11. *Timeo ne ſicut ſerpens*, &c. De quarto 2. Petri 3. *Cauete ne inſipientium errore.* &c.

*Rom. 11. Eccleſ. 14. 2. Cor. 11. 2. Petr. 3.*

Circa ſecundum attende quod remedium ſatisfactionis reconciliat præuaricantes, reparat deſperantes, ſimplificat arrogantes, reducit oberrantes. De primo Ierem. 16. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod loquutus ſum aduerſus illam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem illi.* De ſecundo 1. Petr. 3. *patienter agit*. De tertio infra c. 3. *Ego quos amo, arguo.* De quarto Eccleſ. cap. 17. *Pœnitentibus autem dedit viam iuſtitiæ, confirmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit illis in ſortem veritatis.*

*Ierem. 16. 2. Petr. 3. Eccleſ. 17.*

Circa tertium vbi informat ad meritum ſatisfactionis, attende quod hoc meritum, in Pœnitentia

*Satisfactionis meritum.*

inchoatur, Iuſtitia exaltatur, Charitate dilatatur, Patientia confirmatur. De primo Ioſue 3. *Vidit opera*, &c De ſecundo Eccleſ. 20. *Qui operatur*, &c. De tertio infra cap. eodem. *Noui opera tua, ſidem*, &c. De quarto Iacob. 1. *patientia opus*, &c.

*Ioſue 3. Eccleſ. 20. Iacob. 1.*

VERS. 7. Sequitur. QVI HABET AVREM, AVDIAT QVID SPIRITVS, &c. [ Hæc eſt tertia pars principalis: ſcilic. concluſio epiſtolæ ſuæ, poſt commendationem & reprehenſionem exhortatur ad attentionem promittens glorioſam remunerationem. Ibi *vincenti dabo*, &c. vnde dicit, *Qui habet aurem*, *audiat* ad intelligendum. Audiat ad obediendum & exequendum. *Quid ſpiritus*: dicat etiam quantum ad vniuerſalem ſtatum. Hic ſæpius replicat iſtud verbum vt attendat huius ſacratiſſimæ viſionis quod tria ſunt ſibi neceſſaria: ſecundum quod dicit Hugo in dydiſcalo. Natura, exercitium, diſciplina, in natura conſideratur vt faciliter audita percipiat, & præcepta firmiter retineat, in exercitio, vt ſedulitate natura ſpiritum extollat: In diſciplina laudabiliter viuens, mores conſcientia componat. Quæ autem neceſſaria ſunt viro eccleſiaſtico enumerat: ibi, ita inquiens. Meum ſtudium humilis inquirendi vita, &c.

*Tria ſunt neceſſaria viro eccleſiaſtico.*

Tertio docet ibi virum & ſtudioſum, & docilem, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſci oporteat. Quo ordine vt illud prius quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio vt id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad curioſitatem: aut in vanam gloriam & pompam ſæculi: ſed ad propriam ædificationem vel proximi, quoniam ſecundum Hug. ibidem. Pauci ſciunt ſeruare modum in audiendo & diſcendo idcirco multi cæcutientes & pauci ſcientes inueniuntur.

*Quomodo quis vtiliter legere debet.*

Sed quæritur non dicit quid filius dicat, cuius eſt proprium dicere, quia ipſa ſapientia patris eſt & magiſter eccleſiæ. Reſponſio. Poteſt dici quod ſpiritus hic ſumitur eſſentialiter pro vt ſupponit pro tota Trinitate vel ideo dicit de ſpiritu & non de filio: vt per hoc innuat: quod illa dictio vel locutio erat pure ſpiritualis & non corporalis.

Sequitur præmiſſa præmiatio. *Vincenti* ſcilicet mundum, carnem, & dæmonem quæ nobis mouent diuerſa prælia: *dabo edere de ligno vitæ*, ſc. ſacræ ſcripturæ. Prouerb. 3. *lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam & qui tenuerint eam beati.* Vel prædicatio deuota Prouerb. 16. *lignum vitæ deſiderium*, &c. vel pœnitentia Prouerb. 11. *fructus iuſti lignum vitæ.* Vel crux Chriſti in qua pependit vita noſtra. Deuteron. 11. *vita tua quaſi pendet ante te.* Item palma dicitur lignum vitæ quæ habet radicem amaram & fructum dulcem. Et ſignificat crucem. Cantic. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius*, ſi in humani generis redemptione, hoſtium deiectionem, mortis deſtructionem: vitæ reparationem, ruinæ angelicæ reſtaurationem, hominis ad Deum reconciliationem, peccatorum remiſſionem, Baptiſmi regenerationem, Item lignum vitæ Chriſtus Deus noſter. Ezechielis. *Omne lignum*, &c. Item charitas eſt lignũ vitæ de quo quidem ſtipite rami omnium virtutum & meritorum prodeunt. Non enim habet aliquid viriditatis ramus boni operis, &c. Hæc ergo omnia poſſunt dici de ligno vitæ: eo quod dat comedentibus in præſenti gratiam & in futuro gloriam.

*Prou. 3. Lignum vitæ prædicatio deuota. Prou. 11. Deut. 8 Palma eſt crux. Cant.*

*Lignum vitæ Chriſti charitas.*

*Tres paradiſi.*

VINCENTI DABO EDERE, &c. ſecundum Hugonem, in libro de arca Noe. Tres ſunt paradiſi: vnus terreſtris. Cuius incola fuit primus homo Adam terrenus. Secundus paradiſus eſt vita fidelis, quæ eſt eccleſia ſanctorum quam fundauit & inhabitauit primo ſecundus Adam ſcilicet Chriſtus, tertius paradiſus eſt cæleſtis qui eſt regnum Dei. In primo, lignum vitæ eſt; arbor materialis, in ſecundo humanitas ſaluatoris, in tertio ſapientia Dei, verbum patris. Ex primo li-

A gno vita corporalis, ex ſecundo vita ſpiritualis, ex tertio vita æternalis.

Modo per tractemus iſtud verbum. *Vincenti dabo*, &c. Poteſt enim accipi pro ſtatu viæ vbi dominus promittit ſeipſum dare in ſacramento altaris, quod eſt in paradiſo Dei mei, quia in eccleſia. Iſtud ergo ſacramentum quod repromiſit nobis dare, eſt Roboratiuum virtuoſitate, propter hoc dicit *vincenti*. Communicatiuum liberalitate: quia *dabo*. Refectiuum ſatietate: quia *edere*. Viuificatiuum ſalubritate: quia *de ligno vitæ*. Delectatiuum ſuauitate: *in paradiſo Dei mei*. Ad iſtius autem ſacramenti altiſſimi dignam perceptionem, quinque requiruntur: quæ in iſta auctoritate per ordinem tanguntur. Primum eſt cultus præparantis: quia *vincenti*: vnde

*Euchariſtiæ ſacramentum. Ad dignam receptionem corporis Chriſti quinque requiruntur.*

B infra eodem capite habetur, *vincenti dabo manna abſconditum*. Secundum eſt ritus diſpenſantis: quia *dabo* Ioan. 6. *Panis quem ego dabo*, &c. Tertium eſt modus manducantis: quia *edere*. Pſalm. *Edent pauperes*, &c. Quartum eſt virtus reformantis. Ibi *De ligno vitæ*. Prouerb. 3. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam*. Quintum eſt fructus deguſtantis: *quod eſt in paradiſo Dei*. Ezech. 18. *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore*, &c.

*Ioa. 6. Pſalm. Prou 3. Ezech. 18.*

Poteſt iſtud verbum accipi pro fructu pœnitentiæ, vbi eſt lignum in medio paradiſi afferens fructus 12 ſecundum quod habetur in fine iſtius libri. Et ſunt iſti videlicet. Sanitas interminabilis. Pſalm. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*. Auguſt. de ciuit. Dei: ibi eſſe noſtrum non habebit mortem noſſe, non

C habebit timorem: amare non habebit offenſionem. Vbertas indefectibilis, Iſa. *Tunc videbis propter veritatem & afflues*: propter ſuauitatem, & mirabitur cor tuum propter nouitatem & dilatabitur propter curioſitatem. O quanta eſt felicitas ſecundum Auguſt. Vbi nullum erit malum & nullum deerit ſeu latebit bonum. Satietas infaſtidibilis. Eccleſ. 24. *qui edunt me*, &c. Veritas indubitabilis 1. Corinth. 13. *Tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum*. Iucunditas intriſtabilis: Iſa. trigeſimo quinto, *Gaudium & exultationem obtinebunt*. Securitas informidabilis. Prou 1. *Qui me audiunt*, &c. Tranquillitas imperturbabilis, Pſalm. *Delectabuntur in multitudine pacis*. Libertas inſubiugabilis. Ad Galat. 4. *Quæ ſurſum ſunt quærite non quæ ſuper terram*. Claritas inoffuſcabi-

D lis. Tobiæ 13. *Beatus ero*, &c. Formoſitas indeformabilis infra 21. cap. *Nihil coinquinatum introibit in ea*, &c. Laus imperturbabilis. Iobiæ 13. *Per omnes vicos*, &c. Æternitas interminabilis: Iſa. 35. *Lætitia ſempiterna*, &c.

*Pſalm. Iſa. 40. Eccleſ. 24. 1. Cor. 13. Iſa. 35. Prou. 1. Pſalm. Galat. 4. Tob. 13. Ioan. 21. Tob 13. Iſa. 35.*

Patet ergo ex iſta epiſtola quod Primas Aſiæ, primo extollitur ne deficiat, ſecundo corripitur ne corruat, tertio inſtruit, vt pœniteat, quarto merces promittitur, vt alliciat,

VINCENTI DABO EDERE DE LIGNO VITÆ.] Summa ei gloriæ fœlicitas eſt poſt triumphales victorias aſpectu filij Dei ſatiari & multitudini beatorum charitate perpetua copulari & ſociari. Ideo dicit *Vincenti dabo*, &c.

E ET ANGELO SMIRNÆ ECCLESIÆ, &c.] Hic ponitur ſecunda pars principalis, in qua iſte epiſcopus cui ſecunda epiſtola dirigitur commendadatur à tribus videlicet. A laboris & doloris perfecta perpeſſione, à terrenarum rerum contemptu & abdicatione. Tertio hortatur eum blanda & ſuaui allocutione, vnde dicit. *Et Angelo Smirnæ eccleſiæ ſcribe.* Reuelando, ſcilic. myſteria? hic dicitur primus à quo omnia creata & nouiſſimus per quem omnia recreata & reſtaurata: qui fuit mortuus in aſſumpta humanitate. Et viuit reaſſumpta immortalitate.

VERS 8. *Hic epiſcopus à tribus laudatur.*

Sequitur. SCIO TRIBVLATIONEM TVAM: [quoad carnis afflictionem. ET PAVPERTATEM quoad omnem abdicationem. Ille

VERS. 9. *Pauper Chriſto conformatur.*

enim

*Pauper Chriſto conformatur.* *Paupertatis encomia.*

enim diſperſit & dedit pauperibus ſecundum gloſſam, volebat enim conformari capiti Chriſto qui paupertatem toto deſiderio concupiſcens, deſcendit à ſummo cœli ordine & cardine, vt eam ſibi eligeret & nobis ſua æſtimatione faceret pretioſam, fœlix plane paupertas quæ ſecuros imo glorioſos faciat per ſingula flagrare electos in illo timendo examine meritorum, in iſto tanto diſcrimine iudiciorum. Magna vero abuſio quod diues velit fieri vermiculus vilis, pro quo Deus maieſtatis voluit depauperari, pauper enim fuit in principio: quia panniculis inuolutus. Et pauper in medio, quia ſicut aduena peregrinus progreditur non habens vbi caput ſuum reclinet. Pauper in extremo, quia in ara crucis totus nudus diſtenditur.

*Chriſtus ſemper pauper.*

*Qui pauper quomodo diues.*

Sed diues eſt in ſpe remunerationis: quia *beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: diues eſt in plenitudine cœleſtis manſionis, in exercitatione virtutis: & exhibitione boni operis in verbo prædicationis, diues in cœlo quamuis pauper in mundo: licet talis ac tantus ſis,

VERS. 5. TV BLASPHEMARIS, infamaris AB HIS QVI SE DICVNT IVDÆOS ESSE, ] quantum ad interiorem profeſſionem, & non ſunt quantum ad veræ fidei confeſſionem, confitentur enim ſe Deum noſſe, factis autem negant.

VERS. 7. SED SVNT SYNAGOGA SATANÆ, ] ideſt congregatio aduerſantium fidei Chriſtianæ, pater ergo quod ille epiſcopus fuit valde perfectus, qui ſuſtinuit tribulationem contra concupiſcentiam carnalem, & paupertatem contra oculorum appetentiam, & blaſphemias, contra ſuperbiam, ſed tamen erat diues per virtutum affluentiam.

*Quid ſynagoga ſathanæ.*

Et ſequitur confortatio. NIHIL HORVM TIMEAS QVÆ PASSVRVS ES: ] ſiue paupertatem in rebus, ſiue tribulationem in corpore, ſiue vituperationem in fama. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Sequitur tormentorum pronuntiatio.

*Matt. 10.*

ECCE MISSVRVS EST DIABOLVS. ] ſuggerendo, Deo permittente ad virtutum probationem.

*Quid nomine carceris intelligitur.*

ALIQVOS EX VOBIS IN CARCEREM. ] Nomine carceris dat intelligere afflictionem, paſſionem, vexationem.

VT TENTEMINI ] & ſuperando, æternum brauium mereamini.

*Perſecutio tempore decem Imperatorum.*

ET HABEBITIS TRIBVLATIONEM DIEBVS DECEM, ] perſecutio durabit tempore decem Imperatorum Romanorum quæ ſignificatur Danie. 7. per decem cornua. Quia à Nerone vſque ad Diocletianum fuerunt decem principes Romanorum perſecutores fidelium, vel finitum accipitur pro infinito, quaſi diceret. Multis diebus ſuſtinebitis tribulationes, decem diebus habebitis tribulationes. Et omne quod patimur eſt momentaneum reſpectu gloriæ quam expectamus, ac ſi millenarius numerus decennio comparetur, per decem dies curſus agonis noſtri intelligitur: quia decennarius numerus eſt perfectus, in quo populus Chriſtianus in terram viuentium introducitur, vel per decem dies quibus eccleſia tribulatur, omne tempus intelligitur quo mandatis decalogi, ſcilicet decem præceptis tanquam pugiles armamini quibus triumphabitis.

*Præceptis decem armamur.*

Sequitur dulcis admonitio ad perſeuerandum & ex hoc ſequens retributio glorioſa ad præmiandum. *Eſto fidelis vſque ad mortem* non deficiendo, & vſque ad mortem pro veritate certando.

ET DABO TIBI CORONAM VITÆ, ] ſcilicet æternam, pro brauio, quod ſignificatur nomine coronæ, ob honoris regalis excellentiam, ob triumphalem victoriam, ob interminabilem indeficientiam, ob eiuſdem vndique influentiam. Corona

A enim proprie eſt regum, ſeu pontificum & victorum: Et corona figuræ ſphœricæ eſt: ideo merito per ipſam ſignificatur gloria quam Deus præparauit diligentibus ſe. Vnde Richard. Tolerantia nanque tranſitoria, corona æterna, pugna modica, merces immenſa, pœna leuis, gloria inæſtimabilis. Et ideo pro tali gloria certandum eſt conſtanter.

*Corona propriè Regum.*

*Pro gloria certandum conſtantiſſime.*

Sumatur igitur pro collectione. ESTO FIDELIS VSQVE AD MORTEM ET DABO TIBI CORONAM VITÆ, ] verbum eloquentis & diligentis fidelem animam in finem ſuum, in quibus verbis. Primo excitat ad ſanctitatem ibi, *eſto fidelis*. Secundo informat ad firmitatem ibi, *vſque ad mortem*. Tertio inuitat ad felicitatem, quia *Et dabo tibi*

B *coronam vitæ*. Circa primum nota quod triplex fidelitas inuenitur in ſcriptura: ſeruus tenetur Domino fidelitate diſpenſationis Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis* diſpenſator *& prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Et 1. Corinth. 4. *hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur.* Amicus tenetur amico fidelitate dilectionis, Eccleſ. 6. *Amicus fidelis fortis protectio; qui inuenit illum inuenit theſaurum.* Sponſus tenetur ſponſæ fidelitate deſponſationis Oſeæ 5. *Sponſabo te mihi in fide & ſcies quia ego Dominus. Eſto ergo fidelis.* Et ſequitur.

*Fidelis anima dirigitur in finem.* *Triplex fidelitas reperitur.* *Luc. 12.* *1. Cor. 4.* *Eccleſ. 6.* *Oſea. 5.*

VSQVE AD MORTEM, ] id eſt continue ne frangaris in patientia, Eccleſ. 4. *vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccleſ.

*Eccleſ. 4.* *Eccleſ. 34.*

C 34. *Aliquoties vſque ad mortem periclitatus ſum horum cauſa. Et liberatus ſum gratia Dei.* Ne labaris in obedientia. Ad Philip. 3. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu.* Et ſequitur. *Semetipſum exinaniuit factus obediens vſque ad mortem.* Vnde propter hoc nota quod triplex corona redditur animæ fide ſcilicet. Decoris ad ornandum. Vnde *corona aurea ſuper caput eius,* &c. Honoris ad regnandum: quia *gloria & honore coronaſti eum.* Amoris ad dotandum. Pſal. *Poſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo.*

*Ad Ph. 4.* *Triplex corona redditur animæ fideli.*

Vel poteſt eſſe verbum Ieſu Chriſti ad prælationis officium aſſumentis, in quibus quidem verbis primo oſtendit. Quid committitur, quid coniungitur, quid connectitur. Primo enim committitur gradus admi-

*Prælato quæ neceſſaria.*

D niſtrationis. *Eſto fidelis,* ſcilicet æmulator præceptorum, diſpenſator commiſſorum theſaurorum. 1. Reg. 2. *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem qui iuxta cor meum & animam meam faciat: & ædificabo ei domum fidelem.*

Iuxta ſecundum eſt notandum quod continuanda eſt vſque ad mortem promptitudo obedientiæ, rectitudo iuſtitiæ, fortitudo patientiæ: quia obedientiæ debetur corona honorificæ dignitatis. Prouerb. 27. *diligenter agnoſce vultum pecoris tui.* Sequitur *retribuetur tibi corona iuſtitiæ.* Iuſtitiæ debetur corona magnificæ poteſtatis. Iſa. 34. *In die illa erit Domino corona.* Sed patientiæ debetur corona inuictæ tranquillitatis Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.*

*Corona debetur obedientiæ.* *Prou. 27.* *Iuſtitiæ quæ debetur corona.* *Iſa. 34.*

E Sequitur epiſtolæ concluſio, & cum hoc vtilis obauditio, *qui habet aures audiendi*, exterius, *audiat*, interius, *quid ſpiritus dicat eccleſiis*, eleuans ſuperius ſequitur. *Qui vicerit*, diabolica tentamenta, carnis incendia, mundi blandimenta, *non lædetur à morte ſecunda*, id eſt damnatione perpetua, prima mors animæ eſt in peccatis, ſecunda eſt in pœnis: prima mors corporis, quando ab anima corpus diſſoluitur: ſecunda quando æterno ſupplicio deputatur: aſſimilatur autem prima mors animæ primæ morti corporis in multis. Sicut enim corpus primo diſtemperatur, poſtea infirmatur, deinde moritur, poſtea effertur, deinde ſepelitur, & ad vltimum lapide operitur. Ita anima primo, diſtemperatur per malam cogitationem, poſtea infirmatur per noxiam delectationem, ſeu executionem, moritur per

*Quæ patientiæ debetur corona.* *Mors prima & ſecunda animæ.* *Mors animæ in quibus aſſimilatur cum morte corporis.*

conſenſum, effertur per operis euidentiam, ſepelitur A per conſuetudinem, ad vltimum lapide operitur per obſtinationem. Item ſicut mors corporis lædit

*Mors corporis in quinque lædit.*

in quinque, ita & mors animæ. Primo enim mors corporis ſeparat ipſum ab anima, & mors animæ ſeparat ipſam à Deo. Secundo mors corporis ſeparat à parentibus & amicis carnalibus, & mors animæ ab Angelis & ſanctis omnibus. Tertio mors corporis facit amittere diuitias mundi, & mors animæ aufert diuitias cœli. Quarto mors corporis priuat totum ſenſum, & mors animæ totum ſpiritualem intellectum. Quinto mors corporis aggrauat

*Mors animæ abſentia Dei.*

dolorem: ſed mors animæ maior eſt. Mors igitur ſecundum Auguſt. de ciuit. Dei: vbi nulla anima viuere dicenda eſt, quæ à vita Dei fuerit elongata. Nec B corpus quod extraneis doloribus ſubiacebit, ac per hoc durior: quia morte finiri non poterit, *qui ergo vicerit non lædetur à morte ſecunda*, id eſt à morte gehennæ. Et hæc dicta ſint pro themate collectionis, in quibus quidem verbis duo facit, primo incitat ad pugnam: quia *qui vicerit* ſecundo informat ad coronam: quia *non lædetur à morte ſecunda*. Qui ergo vicerit, primo potenter, ne deiiciatur per violentiam: ſecundo prudenter, ne decipiatur per fraudulentiam: tertio perſeueranter ne confundatur per

*Quomodo vincendum.*

erubeſcentiam. Talis inquam non læditur à morte ſecunda. Vincenda ſunt ergo carnis oblectamenta in fide mediatoris mundi, blandimenta in ſpe remuneratoris Chriſti, argumenta in ſanguine redem-

*Mors ſecunda.*

ptoris. Eſt attendendum quod mors ſecunda dicitur C mors in morte & ſuper mortem ratione acerbita-

*Iob.23.*

tis: quia *tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*. Iob. 23. vt ſubita contrariorum mutatio inferat cru-

*Iob.*

ciatum. Dicitur etiam mors cum morte & ſine morte ratione æternitatis: quia ſecundum Iob. *vbi vmbra mortis & nullus ordo: ſed ſempiternus horror inhabitat*. Dicitur etiam Mors poſt mortem & vltra mortem ratione diuerſitatis. Et ideo *mors peccatorum peſ-*

*Pſalm.*

*ſima* iuxta Pſalmiſtam. Sic ergo patet quod iſte ſecundus Epiſcopus in nullo fuit reprehenſibilis. Et in multis commendatur quantum ad paſſionum tolerantiam, & quantum ad temporalium inopiam, & quantum ad ſpiritualium exuberantiam.

VERS.12. ET ANGELO PERGAMI ECCLESIÆ SCRIBE,] Præmiſſa prælatorum vigilantium commendatione. D Hic ſubditur reprehendentium negligentia in ſubditorum correptione: quorum quidam peccabant ſpiritualiter per idololatriam. Quidam autem carnaliter per carnis laſciuiam. Ponens igitur primo laudes ipſius Epiſcopi: ſecundo increpationes: tertio promiſſiones, dicit *Et Angelo Pergami eccleſiæ*

*Correctio vtilis.*

*ſcribe*, ſcilicet quæ ſequuntur, vt correctus de torpore & negligentia inuigilet ſollicitus ſuper gregem: hic dicit.

*Rhomphæa ſententia iudiciaria & qua de cauſa.*

QVI HABET RHOMPHÆAM EX VTRAQVE PARTE ACVTAM.] ſecundum Iſidorum, Rhomphæa eſt gladius bis acutus: vnde per rhomphæam figuratur verbum domini vel ſententia iudiciaria: quia dicitur acuta ex vtraque parte temporis: quia ſcindet illos qui præteriti ſunt, & præſentes, & qui poſtea ſunt venturi. Itē ex vtraque parte generis, quia ſcindet tam nobiles quam ignobiles. Item ex vtraque parte E criminis, quia ſcindet tam carnalia quam ſpiritualia. Item ex vtraque parte Eccleſiæ, quia ſcindet Prælatos & clericos ſubditos & laicos tam ſæculares quā clauſtrales. Item ex vtraque parte ſexus, quia tam mares quam fœminas Item ex vtraque parte ætatis, quia tam iuuenes quam ſenes, ex vtraque parte fortunæ. quia tam diuites quam pauperes.

Vel ſacra ſcriptura dicitur rhomphæa ex vtraque parte acuta, quia eſt noui & veteris Teſtamenti. Et quia in vtroque peccata operis reuocat & cogitationis, vel quia ſeparat bonos à malis ſicut gladius. Membra à membris, vel quia ſimplices per hiſtoriam perfectos inſtruit per allegoriam. Vel ſacra Scriptura

*Sacra Scriptura rhomphæa.*

poteſt dici rhomphæa bis acuta quia ad commendandum aliquos vtitur authoritate, ad alios ratione. Sequitur.

*Congregatio malorum quies ſathanæ*

SCIO VBI HABITAS,] quia in medio ſæuienti. VBI SEDES EST SATHANÆ,] id eſt congregationis malorum tibi aduerſantium, vbi Sathanas quieſcit, ET TENES NOMEN Chriſtianitatis titulo inſignitum. ET NON NEGASTI FIDEM MEAM, ] habens ſupple mea potentia cor ſtabilitum.

*Nominibus multis filius Dei appellatur*

Attende quod filius Dei viui ſeptem nominibus appellatur. Primum nomen eſt Chriſtus. Matth. 1. *De qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus*, id eſt vnctus: fuit enim vnctus in regem & ſacerdotem. Et ab

*Matth.1.*

*Matth.11.*

iſto nomine dicti ſumus Chriſtiani. Secundum nomen eſt Nazarenus, Matth. 11. *Quoniam Nazarenus vocabitur*, id eſt floridus: quia Chriſtus habuit candorem lilij in natiuitate, liuorem violæ in flagellatione, ruborem roſæ in paſſione. Tertium nomen eſt Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus

*Luc.1.*

Quartum nomen eſt filius altiſſimi. Luc. 1. *vocabitur altiſſimi filius*. Quintum nomen eſt magiſter. Sextum

*Ioan.14.*

nomen eſt Dominus de quibus duobus Ioan. 14 *vos vocatis me magiſter, & Domine, & benedicitis ſum etenim*,

*Matth.1.*

Septimum nomen eſt Ieſus. Matt. 1. *Vocabis nomen eius Ieſum*.

*Prælati virtutem nominum Chriſti debet habere.*

Virtutem iſtorum nominum debent habere Prælati qui debent, primo eſſe Chriſti, id eſt vncti per miſericordiam, ſecundo Nazareni, id eſt floridi per innocentiam, tertio Emanuel, per omnium ædificationem, quarto filij altiſſimi, per compaſſionem, quinto Magiſtri per veritatis inſtructionem, ſexto Domini per ſeruorum ſubuentionem, ſeptimo Ieſus per ſalutis omnium procurationem.

Dicit ergo, NON NEGASTI FIDEM MEAM, ET IN DIEBVS ANTIPAS TESTIS MEVS FIDELIS.] Secundum Haym. obſcura eſt ſententia, & ideo oportet aliqua ſubaudire, vnde intelligatis quod Antipas fuit quidam Chriſtianus fideliſſimus, qui ob confeſſionem Chriſtianæ fidei occiſus eſt à quibuſdam reprobis illius Eccleſiæ in qua ſedes eſt Sathanæ. Inter quos ille Epiſcopus habitat, & prius aderat, nec tamen fidē negauit pro qua vidit alios occidi. Eſt ergo ſenſus, *& non negaſti fidem meam*. quod apparuit euidenter in diebus illis quibus Antipas teſtis meus fidelis qui occiſus eſt apud vos, vbi Sathanas habitat, loquitur quantum ad prauos habitantes in illa Eccleſia. Sed viriliter reſtitiſti. Per iſtum autem Antipam omnes martyres intelliguntur.

*Multiplex Martyrium. S. Franciſcus martyr per Chriſti & proximi compaſſionem.*

Vbi nota quod multiplex eſt martyrium, primum eſt ſanguinis effuſione, ſicut Laurentius, ſecundum carnis maceratione, ſicut Hieron. tertiū eſt per Chriſti, & proximi compaſſionem, vt Franciſcus, quartum paupertas in vbertate, vt Iob. & Dauid, quintum largitas in paupertate eſt. Sic & fiebat in Pergamo, ſicut Tobias, ſextum eſt auſteritas in iuuentute, ſicut Daniel, ſeptimum eſt continuitas in bona operatione, octauum cuiuſlibet aſſiduitas in prædicatione propter animarum ſalutem.

SED HABEO ADVERSVM TE PAVCA, QVIA HABES ILLIC TENENTES DOCTINAN BALAAM, QVI DOCEBAT BAALACH MITTERE SCANDALVM CORAM FILIIS ISRAEL EDERE ET FORNICARI] VERS.14.

Poſita illius Epiſcopi commendatione: Sequitur de eius reprehenſione, reprehenditur in duobus, primo quia non corrigebat ſequentes doctrinam Balaā ad idololatrandum. Secundo quia non corripiebat ſequentes doctrinam Nicolaïtarum. 4. ca. primo ergo allegat ipſius negligentiam, ibi *ſimiliter*, ſecundo animat ad pœnitentiam ibi, *pœnitentiam age*, tertio innuit periculum dilationis, ibi, *ſi quo minus*, quarto promit

promittit ſi hoc fecerit præmium æternæ retributionis,ibi,*Vincenti dabo manna abſconditum*:Ne grex prædicta emendatione poſſet extolli inaniter, reprehendit eum in quibus erat reprehenſibilis curialiter,dicens.*Sed habeo aduerſum te pauca*, ſcil.ſi corrigas, ſed magna ſi negligas,& quæ ſunt illa determinat.

QVIA HABES ILLIC.] i. in Epiſcopatu tuo *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat mittere ſcandalum coram filiis Iſraël,edere,& fornicari.* Nota hic hiſtoriam,Num.24.Et tunc littera plana erit & facilis.

Num.24.

Baalach volens ſubiugare filios Iſraël conſuluit Balaam,qui ſciens Iudæos promptos ad luxuriam, conſuluit Baalach, vt pulchras mulieres adduceret coram eis, quarum pulchritudine relaberentur in amplexus earum, & in blandimentis deliciarum comederent ſacrificia Fegor ſiue Beelfegor, & ſic à Deo derelicti caderent coram eo. Quod & factum, quia multi dediti erant gulæ & luxuriæ,& per conſequens idololatriæ, vnde benè coniungit iſta duo edere & fornicari,quia vnum ſequitur ad aliud. Vnde Hieronymus venter vino æſtuans, cito in libidinem ſpumat,vicina enim ſunt venter & genitalia.

*Ingluuies & luxuries inuicem coniunguntur.*

Ad litteram Balaam interpretatur vorator, & ſignificat ventrem Prælatorum multorum doctrinam, eius tenentium, qui ad aliud non ſtudent niſi potationi, & comeſtioni, & vtinam non luxuriæ & libidini. Vnde ſicut filij Iſraël ceciderunt & interierunt, quia commixti ſunt inter gentes. Sic timendum ne Eccleſia cadat pariter & pereat propter curioſitatem, & ſuperflua ornamenta propter exceſſus, propter pompas,& vanitates Prælatorum. Et ſicut iam videtur aliqua de iis oriuntur. Nonne multi hodie mittunt ſcandalum coram filiis Iſrael, quorum vitam deſcribit Hugo in libro de Clauſtro ſpiritualli, hi ſunt quorum thalamus eſt ornatior altari: Scyphus calice pretioſior, equus carior miſſali, capa, caſula pulchrior, camiſia delicatior alba, ecce quomodo obſcuratum eſt aurum rubigine peccatorum, mutatus eſt color optimus decoris & honeſtatis,fœditate vitiorum.Secure adeo dicerem,quod ſi ceſſaſſent mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, Deus non permiſiſſet Eccleſiam cadere in tantam ignominiam & contemptum. Vtinam legiſſent doctrinam Gregor. in paſtorali dicentis. Intereſt, vt Epiſcopus ſit cogitatione mundus, actione præcipuus, in ſilentio diſtrictus, in verbo diſertus, ſingulis compaſſione proximus,præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, benè agentibus per humilitatem ſocius, circa delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus,internorum curam externorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentia interiorum ſolicitudinem non relinquens.

*Periculum in Eccleſia ex malis Prælatis.*

*Qualis debet eſſe Epiſcopus.*

*Nota errorem Nicolaitarum.*

VERS.15.

SED ITA HABES TV, TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARVM. Ecce ſecundus defectus, quia in Epiſcopatu ſuo habebat ſequentes doctrinam Nicolaitarum,qui communicabant vxores ſuas omnibus, & omnes communicandas eſſe docebant, & licitum eſſe habere plures. Iſti ſunt,de quibus dicitur. Deuter.31. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.*Sequitur.

Deut.31.

SIMILITER POENITENTIAM AGE.]Vbi poſt præmiſſum defectum,animat ad profectum,allegans quod niſi faciat,imminet periculum,vnde dicit.

VERS.16.

SIMILITER POENITENTIAM AGE.] per iuſtitiam puniendo præterita, per temperantiam reprimendo præſentia, per prudentiam cauendo futura, per fortitudinem perſeuerando in bona vita inchoata, hæc enim quatuor ſunt in vera pœnitentia. Sapientiæ octauo.Sobrietatem & prudentiam,docet & veritatem & iuſtitiam, quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus.

*Quatuor ſunt in vera pœnitentia.* Sap.8.

Agas ergo pœnitentiam, *ſi minus*,id eſt ſi in aliquo minus feceris, & commiſeris, vel defeceris, *veniam tibi*,id eſt contra te,quia aliquos non corrigis, *cito*,in morte, vel in iudicio, quia omne tempus breue eſt reſpectu æternitatis,Ioel.3. *Cito reddam viciſſitudinem meam ſuper caput veſtrum.*

*Sententia iudicis alias gladius dicitur eſſe.*

ET PVGNABO.] gladio oris mei per ſententiam iudiciariam quæ dicitur gladius, quia vſque ad medullas cordium, & diuiſionem animæ ac ſpiritus penetrabit, peribit fuga à veloce.

Iſte igitur bellator pugnabit tam velociter & fortiter vt nullus poſſit effugere,nec reſiſtere,quia peribit Luc.22. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum poteſtate magna & maieſtate.* Pugnabit tam prudenter, vt nullus poſſit latêre. Sap. 5. *Induet pro thorace iuſtitiam, & pro galea iudicium certum.* Item pugnabit potenter, & cum magno exercitu, & ipſe peccator erit omni auxilio deſtitutus. Pugnabit enim pro eo orbis terrarum contra inſenſatos, id eſt omnis creatura accuſabit peccatores, qui eis abuſi ſunt: vnde Gregor. quam anguſtæ viæ erunt reprobis in iudicio ſuper erit iudex iratus, ſubtus patens cahos inferni, à dextris peccata accuſantia,à ſiniſtris infinita dæmonia ad infernum trahentia,intus erit conſcientia mordens, exterius ignis ardens, miſer peccator ſic deprehenſus quid faciet: latêre erit impoſſibile, apparere intolerabile.Si quæris quis te accuſat,totus mundus.Nam offenſo Creatore,omnis creatura odio habet perditum. Antequam ergo intremus campum certaminis ſecundum Hier. faciamus fructus dignos pœnitentiæ, quia ibi oportebit vnumquodque recipere diffinitiuam ſententiam ſcelerum perpetratorum.

Luc.22. Sap.5.

*Omnis creatura armabitur aduerſus impios.*

*Miſeria maxima peccatoris in iudicio.*

VERS.17.

QVI HABET AVRÊS AVDIENDI AVDIAT QVID SPIRITVS ECCLESIIS DICAT.] Poſtquam excitauit ad odium mali,hic reuocat ad amorem boni, mercedem inæſtimabilem promittendo, vnde dicit.

VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITVM.] Iſtud poteſt exponi multipliciter de dulcedine intima,quæ datur ſanctis in hac vita, vel æterna quæ dabitur in futuro,vtraque tamen tanta eſt vt omnis qui ſentit dicat,quid eſt hoc?vtraque eſt abſcondita, quia parum & paucis datur ſentire in hac vita. Vnde Pſal. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abſcondiſti timentibus te.*

*Magna ſpiritualis dulcedo.* Pſal.

Pœnitentia tua ergo poteſt intelligi dulcedo contemplationis, primo propter ſaporis ſuauitatem. Sicut enim manna habebat ſaporis ſuauitatem & delectamentum. Sic anima ſancta in ieiuniis, diſciplinis, infirmitatibus ſuauitatem inuenit. Modicum quantum ad quantitatem, ſic dulcedo hæc quæ conceditur, modica eſt reſpectu futuræ. Item erat quaſi pilo tuſum: item manna erat albi coloris, & ſic interna ſuauitas mentem albificat,per innocentiam,& frigidat concupiſcentiam,ſed ſole adueniente liqueſcit,quia immixta mundi lætitia euaneſcit,vnde Aug. Delicata eſt diuina conſolatio,nec datur admittentibus alienam

*Pœnitentia quomodo ſuauiſſima.*

*Diuina conſolatio delicata.*

VINCENTI ERGO DABO MANNA ABSCONDITVM.] id eſt pœnitenti deuotionis ſpiritum prius abſconditum & ignotum. *Et dabo ei calculum candidum*,id eſt corpus meum præfulgidum,ſecundum Iſidor.Calculus eſt lapis pretioſus,qui carbunculus dicitur eo quod in tenebris conſtitutus. Sicut carbo ſuccenſus fulgere perhibetur per quem Dei filius deſignatur, qui candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum,ſine macula illuminans ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis.

IN CALCVLO NOMEN NOVVM SCRIPTVM.] ſcilicet Chriſtianum,à Chriſto enim dicuntur Chriſtiani, *quod nemo ſcit*,id eſt per experientiam, *niſi qui accipit*, i. niſi qui prædeſtinatur ad accipiendum per gratiam & tandem per gloriam.

Vel

Vel aliter, VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITVM.] id eſt totius dulcedinis quantum ad animam,& *dabo illi calculum candidum*,id eſt corpus glorificatum,& *in calculo*,id eſt in corpore glorificato,*nomen nouum*,id eſt filij vel amici regis.1.Ioan.3.*Filij Dei ſumus, & nondum apparuerit quod erimus. Scimus autem quia cum apparuerit ſimiles ei erimus.Quod nemo ſcit* perfectè & certitudinaliter, *niſi qui accipit*, id eſt donec accipiet experimentaliter. In hac enim vita perfectè non poteſt ſciri gloria corporis glorioſi.

*1.Ioan.3.*

*Moralis expoſitio. De re corporis glorioſi.*

Exponamus aliter iſtud verbum glorioſum, DABO MANNA ABSCONDITVM, ET DABO ILLI CALCVLVM CANDIDVM ET IN CALCVLO NOMEN NOVVM SCRIPTVM QVOD NEMO SCIT NISI QVI ACCIPIT. Hic alloquitur Spiritus ſanctus animam fidelem in ſtatu viæ ſuper miſſione futuræ gloriæ, vbi promittuntur ſibi tria per ordinem quæ in verbo propoſito annotantur, ſcilicet præmiũ eſſentiale fœlicitatis, quia *Vincenti dabo manna*, præmium accidentale ex claritate corporis, quia *dabo illi calculum candidum*, præmium accidentale ratione ſuperadditi decoris,quia *in calculo nomen nouum ſcriptum*. Calculus enim eſt per quem ſignificatur corporis glorioſi impaſſibilitas, lucidus per quem ſignificatur claritas,limpidus per quem deſignatur ſubtilitas.Iocundus per quem deſignatur agilitas.

Aliter poteſt eſſe verbum Spiritusſancti ad animam in ſtatu viæ ſuper refectione mentali in ſacramento altaris,vbi tria tanguntur. Prima diſpoſitio in vincente,viuifica refectio in manna manente,velatio myſtica in homine neſciente,*quia nemo ſcit niſi qui accipit*.Sacramentum vero altaris dicitur manna ratione originis pulchritudinis.

*Refectio ſacramentalis.*

Manna n. erat diſtillatione cœlicum: *Et hic panis qui de cœlo deſcendit*: erat firmatione Angelicum, & hic *eſt panis Angelorum*. Erat prægustatione viuificum. Similiter *qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Ioan. 6.Calculus vero eſt amor diuinus qui eſt, primo ignitiuus dilectionis,ſecundo purgatiuus affectionis,tertio impreſſiuus congregationis, quarto firmatiuus confortationis. Iſa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus*. Quatuor n. ſunt abſcondita in Deo,ſ. diuinitas quam abſcondit pelagus profunditatis. Pſ. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ.* Poteſtas quam abſcondit amictus humanitatis in Pſ. *Abſcondita eſt fortitudo eius.* Bonitas quam abſcondit typus cibabilitatis vel comeſtibilitatis in Pſal. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,quam abſcondiſti timentibus te.* Veritas quam abſcondit fumus curioſitatis. Matth. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ*.&c.

*Viuificans eſt Diſpoſitio ad recipiendum. Sacramentum. Ioan 6. Amor diuinus quid operatur. Pſal. Pſal. Matth.5.*

Poteſt etiam accipi verbum iſtud ad laudem vnius martyris. Vbi tria per ordinem tanguntur,ſcilicet, primo ſtadium pugnatoris, ſecundo brachium adiutoris, tertio brauium comprehenſoris. Vnde dicit, *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum,& in calculo nomen nouum ſcriptum quod nemo ſcit niſi qui accipit*, hic in verbo propoſito repromittit Ieſus ſeipſum date nobis in viaticum noſtræ peregrinationis. Manna enim abſconditum eſt corpus Chriſti ſub ſacramento velatum, quod per manna ſignificatur ratione originis, quia deſcendit de cœlo, ratione pulchritudinis, quia candidum ratione dulcedinis, quia habens omne delectamentum ratione plenitudinis, quia in minima parte totum,hoc ergo manna abſconditum Domini eum perfectè vincenti carnem,mundum, Diabolum dans, & iſtum cibum refectiuum dat,& purgatiuum, id eſt calculum purgatiuum,ignitiuum,allectiuum, videlicet paſſionis Chriſti,per quod in anima ſcribitur nomen nouum,ſcilicet Chriſti ſignaculum quod nemo ſcit,niſi qui accipit credendo per fidem,imitando per operationem, guſtando per deuotionem, & tandem fruendo fœliciter per apertam & beatiſſimam viſionem.

*Manna corpus Chriſti & qua de cauſa. Vincenti mundum, &c.datur corpus Chriſti.*

Vel in iſto verbo promittit Chriſtus ſe dare nobis in præmium noſtræ retributionis, dicens, *Vincenti* mundi blandimenta, carnis oblectamenta, diabolica argumenta: *dabo manna abſconditum*, ſcilicet viſionem,fruitionem,tentionem quæ ſignificatur per albedinem coloris,per dulcedinem ſaporis, per fortitudinem vigoris, quia ab igne non exterminabuntur, *Et dabo illi calculum candidum*, id eſt corpus clarum, impaſſibile,ſubtile, agile, quæ figurantur per calculum,qui eſt lapis lucidus, floridus, limpidus, & fœcundus. Vnde ſecundum Hier. ad Damaſum, *Et in calculo nomen nouum ſcriptum*, ſ. Chriſtiani caracteris priuilegium: *Quod nemo ſcit niſi qui accipit*, quia nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit præmium quod Deus præparauit his qui diligunt eum.

Vel poteſt eſſe Chriſti promittentis Beato Franciſco illud ſingulare priuilegium Seraphicæ apparitionis & conſignationis,dicens, *Vincenti*, id eſt, Beato Franciſco,de quo cantatur,mundum vicit, & vitium ſe victo victor inclitus, *Dabo*,&c.Vbi quatuor ſibi promittit quæ apparent in viſionis ſerie ſupra dicta. Primo promittit iubilum exceſſiuum. Cum dicit, *Dabo manna abſconditum.* Sicut enim manna aliquo certo ſapore non determinabatur. Sic iubilus eſt quoddam ſpirituale & ineffabile gaudium quod non poteſt exprimi nec taceri, vt dicit gloſſa ſuper illud. *Aſcendit Deus in iubilo.* Secundo promittit incendium compaſſiuum. Cum addit. *Dabo illi calculum candidum*, id eſt ignitum paſſionis amplexum. Calculus enim lapis ignitus carbunculus, qui propter flammeum colorem igneus appellatur. Tertio eidem repromittit,ſignum figuratiuum. Cum ſubdit, *Et in calculo nomen nouum ſcriptum.* Vnde iſtud Chriſtus eſt cuius ſcriptura eſt crucis figura. Vnde per caracterem habentem crucis figuram, ſcilicet per crucem deſcribit ſecundum Iſidorum. Nomen igitur Chriſti ſcriptum beato Franciſco, datur quando cum crucifixi titulo conſignatur. Quarto repromittit ei myſterium ſecretiſſimum,Cum concluditur quod *nemo ſcit niſi qui accipit*.

*Franciſco datur ſingulare priuilegium.*

*Iubilus ineffabile gaudium.*

*Cruxis figura. Quandonam nomen Chriſti datum eſt B.Franciſco.*

Hæc quatuor in viſione prædicta per ordinem ſunt adimpleta. Nam in aſpectu Seraphico inexpreſſibiliter oblectabatur,ex paſſione coniungebatur: ſed crucifixo indicibiliter compatiebatur,& ſibi reuelabatur myſterium, quia ſicut ipſemet dicit. Nulli quamdiu viueret reuelauit, forte audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Patet ergo quod iſte Epiſcopus redditur commendabilis quantum ad paſſionum tolerantiam & quantum ad longanimitatis perſeuerantiam. Sed erat reprehenſibilis quantum ad torporem, & negligentiam, & maximè, quia non refrænabat ſubditorum exceſſus, & quantum ad comeſſationem, & carnis petulantiam, & in his tota epiſtola comprehenditur.

*In aliqua virtute non debemus deficere.*

ET ANGELO THYATIRÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] Hæc Hæc eſt quarta pars, in qua quarta epiſtola Epiſcopo Thyatiræ dirigitur: vnde in tres partes diuiditur principales,ſcilicet in præfationem & narrationem,ibi. VERS.18.

NOVI OPERA TVA.]& in concluſionem,ibi, *Qui habet aures audiendi audiat.* Poſtquam igitur correxerat Epiſcopum Pergami ſuper delicto idololatriæ, hic iſtum corrigit à laſciuia carnalium. More igitur priſtino commendans eum in operis bonitate, in fidei firmitate,in charitatis feruore, & in myſterij impletione,in patientia tribulationum, in profectu virtutum dicit.

*Corrigit hunc Epiſcopum.*

ET ANGELO THYATIRÆ.] ad ipſum excitandum,ad eum informandum. VERS.18.

Hæc

A Hæc dicit filivs.] Dei filius inquam à Patre æternaliter genitus in pretium redemptionis expoſitus, in pręmium noſtræ retributionis exhibitus. Et propter hoc dicebat illa fidelis Martha. *Ego credidi* per fidei profeſſionem, *quia tu es Chriſtus* per humanitatis aſſumptionem, *Filius Dei viui*, per æternam generationem, *qui in hunc mundum veniſti* ad captiuorum liberationem, qui primo igitur dictus eſt filius hominis nunc dicitur filius Dei ad oſtendendum, quod idem eſt Dei filius & hominis, quoniam diuina natura & humana vnitæ ſunt in vnitate perſonæ.

*Ad quid Chriſtus venit in mundum.*

Qvi habet ocvlos tanqvam flammam ignis.] penetratiuos & lucidos plenitudine ſapientiæ & ſcientiæ.

B Et pedes eivs similes avrichalco.] agiles & veloces ratione potentiæ. Propter primum non erit poſſibilitas malis latendi, propter ſecundum non eſt locus nec opportunitas euadendi. Tali igitur ſimilitudine inducitur Dei filius, vt mali qui erant Thyatiræ terrerentur. Eccl. 23. *Oculi eius multo lucidiores ſunt ſuper ſolem.* & hoc quatuor de cauſis, ſol n. tantum præſentia; Deus vero videt præterita, præſentia & futura. Item ſol tantum exteriora; Deus vero exteriora & interiora, item ſol ea quæ in mundo ſunt tantum ſub ſole: Deus autem ea quæ in cœlo ſunt ſuper ſolem. Prou. 15. *Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos.*

*Eccl. 23.*
*Prou. 15.*

Oculi ergo Domini ſunt Prælati qui ideo comparantur flammæ ignis, & debent eſſe lucidi per munditiam, & per puram conſcientiam, per bonam famam C & feruidi per zelum, & charitatem: Debent n. alios illuminare ad Dei cognitionem verbo prædicationis, & inflammare ad amorem exemplo bonæ conuerſationis Debent etiam tam in ſe quam in aliis rubiginem peccatorum conſumere, & paleas terrenæ cupiditatis comburere.

*Oculi Domini ſunt Prælati, & quomodo.*

Iſti ergo oculi debent eſſe clari per oſtenſionem teneri, per compaſſionem, gemini per Dei & proximi dilectionem. Item oculi delectantur in pulchritudine & Prælati in bonorum promotione. Item oculi abominantur turpia & Prælati vitia & peccata.

*Quales debent eſſe Prælati.*

Item oculi ægri reparantur panni ſerici abſterſione. Item fellis linitione, & Prælati æternæ damnationis recordatione. Item ſanguinis minutione & Prælati conſanguineorum amiſſione. Oculi autem D iſti læduntur ab intentionis albugine, tenebris ignorantiæ, ſtercore luxuriæ, nimio lumine, fumo ſuperbiæ, igne iracundiæ, vitio gaſtrimargiæ, nimio fletu triſtitiæ, ſenio malæ conſuetudinis, vento gloriæ inanis. Hæ ſunt proprietates quas ponit Richardus comparans Prælatos oculis.

*Quomodo oculi id eſt. Prælati ſanantur. Quomodo oculi id eſt. Prælati læduntur, & quibus.*

Sequitur narratio, & eius multiplex commendatio. Novi opera tva qvæ facis]
Vers. 19. meritum acquirendo, *& fidem*, id eſt fidelitatem tibi commiſſam fideliter diſpenſando. Eſt autem fides ſecundum Hug. Certitudo rerum abſentium ſupra opinionem, & infra ſcientiam, primo fides ergo debet eſſe vera ſine fictione, ſecundo firma ſine trepidatione, tertio pura ſine contrarij admixtione, quarto ſincera bona operatione. *Fides enim ſine bonis operibus mortua eſt.* Iacob. 1. Et quoniam fides non ſufficit niſi E operans ſit per dilectionem,

*Fidei quatuor conditiones.*

Ideo ſequitur, Et charitatem.] animam pro ſubditis exponendo. Et hæc eſt paſtorum perfecta charitas, *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, debet enim bonus paſtor animam ſuam ponere pro ſubditis, ſcilicet concupiſcibilem, bona ſpiritualia acquirendo, facere rationem erudiendo, iraſcibilem corrigendo, ſenſitiuam bene operando, nutritiuam bene confouendo, generatiuam continendo. Charitas n. primo gignitur, deinde nutritur. Poſtea roboratur. Finaliter vero perficitur in prima, quando A ille qui eſt vera charitas ſecundum Gregorium, qua abſentia ſunt nobis per ignorantiam, nobiſipſis præſentia exhibet per amorem, diuiſa confuſa, imo dinata, ordinata & inæqualia ſociat, imperfecta conſummat, quoniam charitas benigna eſt, ideo ſequitur.

*Fides ſine operibus mortua. Boni paſtoris munia.*
*Charitatis progreſſus.*

Et ministerivm] in eleemoſynarum largitione, & pauperum reuelatione, quibus de ſuis facultatibus libenter largitur erogabat, quod eſt miniſterium Epiſcoporum. Vnde quicquid ipſi theſauriſant vt parentibus non indigentibus tribuant, vel in vſus ſuperfluos expendant vel ioculatoribus conferant, hoc totũ furantur, & ſubtrahunt pauperibus crucifixi: vnde Iſa. 3. *Rapina pauperum in domo veſtra eſt.* Et quoniam *omnes qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patiuntur.*

*Epiſcoporum munus eſt eleemoſynas dare, & qui non facit fur eſt.*

B Sequitur: Et patientiam.] ſcilicet malos ſufferendo, & præmium expectando. Pſal. *Viriliter age & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*, flagellantem, & præmia differentem.

*Patientia efficacia.*

Vbi notandum eſt quod duodecim ſunt gradus patientiæ, per quos aſcenditur ad charitatem Chriſti. Primus eſt malo non reſiſtere Matt. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo.* Secundus malum pro malo non reddere. Rom. 13. *Nulli malum pro malo reddentes.* Tertius eſt, malum non reſpondere. Prou. 26. *Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.* Quartus eſt inimicum diligere. Quintus malefactoribus bene facere de iis duobus, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos.* Sextus eſt contra flagella non murmurare. 1. Cor. 10. *Ne murmuraueritis ſicut quidam* C *eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Septimus eſt flagella, & quælibet aduerſa libenter ſuſtinere. Octauus eſt de flagellis gaudere de iis duobus. 2. Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Nonus, tribulationem dulcem reputare. Deuter. 32. *Inundationes maris quaſi lac ſugent.* Ideo decimus eſt de tribulationibus gratias referre. Ad Theſſal. 5. *In omnibus gratias agite.* Vndecimus ſe ad alia ſuſtinenda parare. Matth. 5. *Si quis percuſſerit te in vnam maxillam præbe ei & alteram.* Duodecimus eſt in flagellis dolorem non ſentire. Prou. 23. *Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non ſenſi.* Et quandoque iuſti proficiunt de bono in melius.

*Duodecim gradus patientiæ quibus ad charitatem aſcenditur.*
*Prou. 26.*
*Matth. 5.*
*1. Cor. 10.*
*2. Cor. 12.*
*Deut. 32.*
*Theſſ. 5.*
*Matt. 5.*
*Prou. 23.*

Item ſequitur: Et opera tva novissima plvra prioribvs,] ſemper de bono in melius proficiendo. D

Et eſt ſciendum quod in iſtis eſt ordo præpoſterus, quia primus eſt fides, poſtea charitas, & ex charitate opera, quia cum per opera cognoſcatur fides, & charitas ideo præmiſit opera ordine neceſſario commutato.

*Fides per opera cognoſcitur.*

Sequitur: Sed habeo adversvm te pavca.] hic ponitur Epiſcopi dura increpatio qui ideo reprehenditur, quia permittebat aliquos in Epiſcopatu ſuo enormiter euagari. Sicut ergo te collaudaui multipliciter. *Sed habeo aduerſum te pauca*, in quibus es corrigendus valde acriter. Vers. 20.

Qvia permittis mvlierem Iesabel.] quæ ſe dicit Propheta‍re, id eſt ſecreta occulta videre, & futura prædicentem *docere*, callida, E *& ſeducere*, & oſtendit in quo ſeducebat, & qualia docebat, fornicari cum meretricibus, *Et manducare de idolis*, id eſt de immolatis idolis & dæmoniis.

Dicitur quod hæc Iezabel fuit vxor ipſius Epiſcopi quæ ad commeſſationes & fornicationes, & idololatriam multos trahebat verbo & exemplo. Alij dicunt quod loquitur de illa Iezabel quæ fuit vxor Achab, Regis Iſraël *quæ depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit ſe ad modum meretricis.* 4. Reg 9. Vel dicit quod aliqua meretrix erat in illa Eccleſia ſeducens, & peruertens homines. Ideo Iezabeli comparatur quæ cõſtruxit Baal qui Prophetas Domini occidit,

*Iezabel quæ fuerit.*
*4. Reg. 9.*

quæ

quæ vineam Nabot,& hortum olerum commutauit. A Hæc eſt mulier quam deſcripſit Auguſt. Mulier eſt hominis confuſio,iraſcibilis beſtia, continua ſollicitudo,indeficiens pugna,quotidianum damnum, domus tempeſtatis,ſollicitudinis impedimentum, hominis continentis naufragium. Hæ ſunt proprietates mulieris quæ eſt ſeducibilis ad credendum, leuis eſt ad loquendum,facilis ad iraſcendum,grauis ad indulgendum,debilis ad patiendum, quæ ſemper nititur in vetitum. Talis ergo mulier docet fornicari. Vnde videndum eſt quot modis fornicario dicatur, incitamenta fornicationis, indicia fornicationis & damna fornicantium.

*Mala mulieris incommoda,& deſcriptio.*

*Fornicatio quid.*

Eſt ergo fornicatio ſecundum Bernar. Sitis auida, corruptio fœtida,amaritudo continua,delectatio momentanea, pœna æterna,per quam corpus conſumi- B tur,per quam hebetatur intellectus,& obtenebratur, & ratio confunditur.

*Quadruplex fornicatio.*

Haymo vero diſtinguit quadruplicem fornicationem.

*Prima. Matth. 5.*

Prima eſt coinquinatæ conſcientię quæ eſt in animo, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo* Matth.5.

*Secunda. Fornicatio.*

Secunda ſeruandæ idololatriæ, & eſt cum lapide & ligno.

*Tertia.*

Tertia eſt ſitibundæ auaritiæ, cum videlicet diuitiæ terrenæ inordinatè concupiſcuntur, indebitè acquiruntur & inutiliter conſeruantur,pluſquam creator diliguntur. Hæc eſt auaritia quæ *eſt idolorum ſeruitus*. Ad Epheſ.5.& Pſal. *Perdidiſti omnes qui fornicantur* C *abs te.*

*Epheſ. 5. Pſal 72.*

*Quarta. Tob.4. 1.Cor.6.*

Quarta eſt deteſtandæ immunditiæ,cum tamen voluntas perducitur ad effectum Tob.4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.* Et 1.Corint.6. *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus eſt,qui autem fornicatur in corpus ſuum.*&c.

*Fornicationis incitamenta*

Incitamenta autem fornicationis ſunt aſpectus curioſus,tactus delitioſus,affatus moroſus.

*Indicia fornicationis.*

Indicia autem fornicationis ſunt affatus moroſus, exquiſitus ornatus, geſtus laſciuus, tactus impudicus.

*Damna fornicationis.*

Damna autem ſunt, mentis anxietas, ſeu vexatio, corporis conſumptio,hæreditatis diſſipatio,nominis D infamatio,diuinæ gratiæ ſubſtractio

Spiritualiter iſta Iezabel interpretatur æternæ pœnæ acquiſitio,fluxus ſanguinis, ac ſterquilinium Et ſignificat voluptates carnales quæ fluunt ſanguine peccatorum & carnalium operum,& tales finaliter in ſuis ſtercoribus computreſcunt. Ad oſtendendum igitur diuinæ miſericordiæ longanimitatem, Subdit peccantium ingratitudinem,quia dat tempus ad pœnitendum illis Epiſcopis, & non eſt qui pœniteat. Vnde ſubdit.

VERS.28. ET DEDI ILLI TEMPVS VT POENITENTIAM AGERET.] Dat tempus quantum ad lamentum contritionis,ad iudicium confeſſionis, ad lauacrum ſatisfactionis,in quo tempore erat præſeruata ſinceritas conuerſationis,deteſtanda enormitas fornicatio- E nis, quo conſideranda ſeueritas vltionis, deſideranda ſuauitas fruitionis, de tempore enim non habemus niſi nunc ſecundum Philoſophum ad iſta eſt datum tempus, & dat ergo nobis tempus, in ſpacium reuerſionis,in auxilium directionis,quia qualitas temporis nos dirigit ad pœnitendum, in documentum conſiderationis,vt conſiderantes inſtabilitatem temporis, & eorum qui ſunt in tempore ad illum qui eſt immobilis,perennis,& ſtabilis,toto mentis deſiderio flagitemus.

Vel DEDI ILLI TEMPVS, VT PENITEMTIAM AGERET.] in pueritia,adoleſcentia,iuuentute,& ſenectute.& non vult pœnitere, quia obmittit pœnitere in iuuentute, & non valet in ſenectute, dat ergo Deus ad pœnitendum non ad peccandum. Iob. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ,& ipſe abutitur eo in ſuperbia.* Sed quia nullum malum remanet impunitum. poſt qualitatem culpæ ſubdit quantitatem pœnæ dicens.

*Iob.24.*

*Nullum peccatum impunitum relinquitur.*

*Lectus quid ſignificet.*

ET ECCE EX QVO NON VVLT POENITERE MITTO EAM.] ſuis demeritis exigentibus, in locum damnationis æternæ. Vnde ſecundum aliam tranſlationem habetur,*in luctum*.vel ſecundum Haimo, per lectum audacia & ſecuritas peccādi intelligitur,quaſi diceret. *Ex quo non vult pœnitere*.ego permitto quod peccet libere degens enormiter in peccatis.

*Lectus malus triplex. Amos 6. Prou.7.*

Eſt autem lectus malus,triplex. Primus emollientis laſciuiæ. Amos 6. *Væ qui dormitis in lectis eburneis.& laſciuitis in ſtratis veſtris.*

Secundus mentientis concupiſcentiæ,Prou.7. *Intexui funibus lectum meum ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto,* loquitur meretrix.

*Iob.7.*

Tertius indeficientis impudicitiæ. Iob.7. *Si ſuſtinuero,infernus domus mea eſt,& in tenebris ſtraui lectulum meum.* Iſte igitur lectulus eſt languidus, morbidus, fœtidus,torpidus.

*Lectus bonus triplex. Cant.3. Cant.1.*

Eſt autem econtrario lectus bonus triplex. Primus rigatus lachrymarum fœcunditate. Pſ. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum,lachrymis meis*,&c. Cant.3. *In lectulo meo quæſiui per noctem quem diligit anima mea.* Secundus ornatus virtutum varietate. Cant.1. *Lectus noſter floridus.* Tertius vallatus Angelorum ſocietate. Cant.3. *Cum lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.*

Iſte igitur lectus eſt candidus,nitidus floridus,placidus,vt dicit Greg. *Ecce ego mitto eam in lectum,& qui mœchantur cum ea,* eius peccatis aſſentiendo in *tribulatione maxima erunt* afflictionem intolerabilem ſuſtinendo. Magna eſt tribulatio in hoc mundo,maior in purgatorio, maxima in inferno, vel magna propter magnæ gloriæ amiſſionē,nunc propter ignis exuſtionem,maxima propter vermis corroſionem:vide ſi erit ibi tribulatio maxima, quia ſecundum Bernardum, Nihil aliud ibi audietur niſi fletus,planctus,vlulatus, & cruciatus, clamor & tremor, labor, & ardor, immenſa tenebra,obſcuritas, anxietas, & acerbitas. Ibi erit dolor intolerabilis,fœtor incomparabilis, timor horribilis,mors animæ & corporis. Sic ergo in tribulatione maxima erunt, *niſi pœnitentiam egerint ab operibus ſuis*, dum tempus eſt pœnitentiam faciendi. O quam miſericors Deus & alliciendus. Primo enim ſuſtinet delinquentes:deinde arguit impœnitentes,bonum ergo ſcutum eſt,& bonus clypeus, & forte munimentum pœnitentia,ad euadendum periculū mortis æternæ. Pœnitentia n. ſecundum Chryſoſt. Salus animarum,diſſipatrix vitiorum, reparatrix virtutum, expugnatrix dæmonum. Quid plus dicam portam aperit paradiſi,& os inferni claudit.

*Tribulatio magna triplex.*

*Inferni miſeria.*

*Miſericors Deus, pœnitentia eſt ſcutum & clypeus.*

*Pœnitentia definitio,*

Sequitur: ET FILIOS EIVS.] id eſt imitatores *interficiam in morte,* quia ſemper morientur De qua Pſal. *Mors peccatorum peſſima,*quia mala in ſeparatione cor- E poris & animæ,peior in amiſſione gloriæ, peſſima in cruciatibus gehennæ, *Et ſcient omnes Eccleſiæ,*quantum ad congregationes fidelium & infidelium,*quoniā ego ſum ſcrutans renes,& corda*, id eſt cogitationes, & deſideria cordium,vel ſecundum Haym.per renes,delectationes deſignantur concupiſcentiæ carnalis. In corde exprimuntur cogitationes, quaſi dicat. Ego ſum ſcrutans facta,& cogitationes, & cordis ſecreta, & quoniam ipſe eſt iuſtus iudex ſubdit, *Et dabo vnicuique ſecundum opera*, bonis æterna præmia, & reprobis dira ſupplicia,

*Mors peccatoris mala.*

*Pſal. 7.*

*Deus cordis ſcrutator.*

Sequitur: VOBIS AVTEM DICO CÆTERIS QVI THYATIRÆ ESTIS.] Poſita malorum communicatione. Hic ponitur bonorum confortatio,magnum præmium promittendo,quaſi dicat, ſic fiet vt prædictum eſt diuerſis. *Vobis autem dico cæteris qui Thyatyræ* VERS.24.

*eſtis*

*eſtis* diſſimiles in conuerſando, *quicunque non habent* A *doctrinam hanc*, nec eam approbant fornicando, & de idolothytis comedendo, *& qui non cognouerunt altitudines Sathanæ*, eius ſuperbiam, & quod ſuggerit deteſtando, & fugiendo, vel altitudinem Sathanæ vocat, Ioan. profundam aſtutiam diaboli qua ſub quadam ſpecie bonitatis ſuggerebat legalia eſſe obſeruanda cum Euangelio, *Non mittam ſuper vos aliud pondus*, ſcilicet tribulationum legalium, quemadmodum dicunt, ſcilicet quidam peruerſi egreſſi de Iudæa qui terrendo fideles dicebant, quod adhuc erat Deus miſſurus maiores tribulationes quàm paſſi eſſent, vt ita à fide recederent. Vel quemadmodum dicunt Iudæi legalia eſſe obſeruanda cum Euangelio. Sed contra hoc dicit, *quod non mittet aliud*

*Sathanæ altitudo, quid.*

*Legalia non debent cum Euangelio obſeruari.*

VERS. 25. *pondus*, ſcilicet tribulationem, vel obſeruationem legalium. B

TAMEN ID QVOD HABETIS.] nempè cum tribulatione euangelium *tenete* patienter & fideliter, *donec veniam*, & retribuam cuilibet ſecundum meritum ſuum.

VERS. 26. ET QVI VICERIT.] talium doctrinis & aſtutiis reſiſtendo. *Et cuſtodierit vſque in finem*, omnia mandata mea, opere adimplendo *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes*, gentiliter viuentes domando & ſuppeditando.

VERS. 27. ET REGET EAS IN VIRGA FERREA.] iuſtitia inflexibili iudicando. In virga attende rectitudinem: in ferro inflexibilitatem: ex quo patet quod ad regendum datur prælationis poteſtas ad dominandum, non ad congregandum diuitias vel ad habendum delicias. Et nota quod triplex eſt virga, ſcilicet aurea, & hæc eſt præſens diſciplina. Prouer. 23. *Stultitia colligata eſt in corde pueri & virga diſciplinæ fugabit eam*. Secunda eſt lignea quæ eſt pœna purgatoria, quæ poſtquam percuſſerit frangitur & comburitur. Tertia eſt ferrea & eſt infernalis pœna, quæ nunquam deficiet ſicut ferrum. C

*Prælatio ad quid datur.*

*Prou. 23. Virga triplex.*

ET TANQVAM VAS FIGVLI CONFRINGENTVR] quidem vt pereant, alij vt in melius commutentur. Sicut facit figulus qui quædam vaſa frangit vt reparet, quædam omnino fracta dimittit. Bene ergo per vaſa figuli intelliguntur homines, qui ſunt de luto plaſmati quantum ad corpus: Et de nihilo quantum ad animam. D

*Homo cur vas figuli.*

VERS. 28. DABO ERGO POTESTATEM SICVT ET ACCEPI A PATRE MEO.] ſecundum humanitatẽ. Magna promiſſio ait Richard, vt quod habet, & ipſe per plenitudinem, electi eius habeant per plenitudinis participationem dicit Haymo. ſub Chriſto præcipiendi ſublimitas, & in regimine flexibilis æquitas, quia ſic promittitur gloriæ perennitas.

*Chriſti poteſtas electis promittitur.*

ET DABO ILLI STELLAM MATVTINAM] id eſt ſtolam animæ, quæ dicitur ſtella propter claritatem diuinæ cognitionis. Matutina propter inchoationem beatitudinis, quæ ſemper quaſi innouatur, vel ſtella dicitur propter corporis immortalitatem, ſed matutina propter claritatem. E

*Stola animæ ſtella matutina.*

Vel ſtella matutina dicitur Chriſtus qui eſt Lucifer qui neſcit occaſum: ſicut enim Lucifer diem adducit, ſic Chriſtus mundo fidem & cognitionem. Item ſicut Lucifer diem vicinum prænunciat, ſic Chriſtus reſurgens à mortuis generalem omnium reſurrectionem demonſtrat. Item ſicut ſtella in ſex radiis noctem illuminat ſic Chriſtus ſex virtutibus quaſi ſibi propriis mundum illuſtrat. Prima eſt humilitas ad Phil. 2. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*. Vbi dicit gloſſa: quanta Chriſti humilitas, humiliauit ſe vſque ad incarcerationem, mortalitatis humanæ participationem, diaboli tentationem, populi irriſionem, vſque ad maxillæ percuſſionem, vſque ad flagella, vſque ad ſputa, vſque ad mortem. Et ſi hoc parum eſt, adde graue mortis ſupplicium:

*Stella matutina quid. Chriſtus ſtella matutina. Chriſtus in ſex virtutibus illuminat totum mundum. Phil. 2.*

*S. Bernard. de Senis, in Apocal.*

A & modum, quia mortem autem crucis quod erat tunc ignominioſius genus mortis. O pellis morticina, quid tendis ſanies fœtida? quid inflaris, princeps humilis, & ſuperbus ſeruus adſit:

Secunda virtus eſt mititas. Matt. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, felix doctrina quæ à mititate incipit, & in dulcedine terminatur.

*Matth. 11.*

Tertia virtus eſt charitas. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Tu Domine habuiſti, maiorem qui poſuiſti pro inimicis.

*Ioan. 15.*

*Ad quid dedit ſe Chriſtus.*

Quarta eſt largitas quia dat omnibus affluenter & non improperat, dedit enim ſeipſum, in exemplum informationis, in auxilium protectionis, in pretium redemptionis, in viaticum noſtræ peregrinationis, in

B præmium noſtræ retributionis.

Quinta eſt innocentia, quia quaſi Agnus immaculatus pro nobis eſt immolatus.

Sexta eſt patientia, *Nam patiens & multum miſericors eſt*, patiens ad ſuſtinendum, miſericors ad indulgendum, dicatur igitur pro themate, *Dabo ſtellam matutinam*. Hic loquitur Deus animæ beatæ dicens, *Dabo*, &c. id eſt brauium fidelitatis æternæ dabo, ſc. obiectiue, adiectiue, & ſubiectiue. Dabo inquit vt ſubiectum comparticipans per imaginem Trinitatis, obiectum beatificãs, quod faciet virtus diuinitatis, adiectum collætificans, quod faciet vultus humanitatis.

Stella igitur ſignificat obiectum beatificans: nam eſt ſtella in aſpectu illuminoſa, quod in Deo ſignificat

*Stella ſignificat obiectum beatificans.*

C lucem ſplendoris. In affectu gratioſa, & ſignificat fidem ardoris, quia ſine fide nemo Deo placere poteſt, in affectu virtuoſa, & ſignificat pacem amoris.

Stella ergo ſignificat in Chriſto, eſſentiam incontaminabilem, entitatem incomprehenſibilem, vitam irreprehenſibilem.

Stella etiam ſignificat ſubiectum comparticipans. nam ſtella eſt Situ indiuiſibilis per quod deſignatur titulus hæreditatis, & ſignificat obedientiam, Stella etiam In claritate viſibilis, & in motu interminabilis, nam habet æternitatem in motu, & etiam vniformitatem, matutina autem dicitur, quia dicit nouitatem oriendi, per quod excluditur terminus miſeriæ, claritatem illucendi per quod accipit decorem glo-

*Stella in Chriſto tria indicat.*

D riæ, primitatem inſpiciendi per quod deſignatur cauſa lætitiæ.

QVI HABET AVRES AVDIENDI.] ad intelligendum myſteria: audiat hæc ſecreta celeſtia.

Sic ergo patet quod ille quartus Epiſcopus: primo commendatur quantum ad bonorum exuberantiam. Secundo corripitur quantum ad torporem & negligentiam & potiſſime quia non extirpabat carnalium petulantiam. Tertio ad pœnitentiam inducitur ad impetrandum veniam. Quarto terror immittitur ad deprimendum malitiam. Quinto merces promittitur ſeruantibus iuſtitiam. Et in iſto concluditur illud caput.

E

# SYNOPSIS
## CAPITIS TERTII

*IVBETVR Joannes ſcribere Epiſcopo Sardenſi, quod dicatur viuere ſed mortuus ſit, ni pœniteat minatur quod veniet ei ſicut fur in nocte. Sin autem reſipiſcat & vincat, promittit ei veſtes albas, & quod ſcribet eum in libro vitæ. Epiſcopo Philaldelphenſi modicæ virtutis ſuadet, tene quod*

*habes, vt nemo accipiat coronam tuam, quod ſi fecerit, pollicetur quod faciet eum columnam in templo Dei, & ſcribet in eo nomen Dei & nouæ Hieruſalem. Tandem exprobat Epiſcopo Laodicenſi quod neque calidus ſit, neque frigidus, ſed tepidus, quem proinde Deus ore ſuo ſit euomiturus, ſuadet ergo ei vt emat aurum ignitum, veſteſque albas induat & collyrio vngat oculos, quod ſi fecerit vincenti promittit ſeſſionem in throno ſuo.*

CAPITIS TERTII.

1 ET Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hęc dicit qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.

2. Eſto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena cotam Deo meo.

3. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & ſerua, & pœnitentiã age. Si ergo non vigilaueris. Veniam ad te tanquam fur: & neſcies qua hora veniã ad te.

4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.

5. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius:

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

7. Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

8. Scio opera tua. Ecce dedi corã te oſtiũ apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicã habes virtutem, & ſeruaſti verbũ meum & non negaſti nomen meum.

9. Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te.

10. Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra.

11. Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo & nomen meum nouum,

13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

14. Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.

15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus eſſes, aut calidus.

16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

17. Quia dicis: Quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus.

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat cõfuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

19. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

21. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.

22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

---

*EXPOSITIO TERTII Capitis.*

ET ANGELO ECCLESIÆ SARDIS SCRIBE, &c. VERS. 1. Præmiſſa correctione negligentium prælatorum in cura ſubditorum hîc agit de correctione prælatorum in cura defectuum propriorum, quantum ad duos Epiſcopos, ſcilicet iſtum & vltimum: quia medius bonus fuit: ſcilicet Philadelphiæ: quorum quidam deficiebãt & peccabant ex peccato commiſſo. Ex hypocriſi & fictione: quidam ex apparentia & oſtenſione: alij ex nimia ſui oſtenſione. alij ex ignauia & torpore ſeu remiſſione. Vnde primum caput in tres partes diuiditur ſecundum quod tres epiſtolæ tribus Epiſcopis diriguntur. Scribit ergo Epiſcopo Sardis hoc ordine: quia primo eum increpat de hypocriſi & ſimulatione, ſecundo animat eum ad pœnitentiæ exercitationem ibi, *in mente ergo*

*Prælati in quibus ſolent peccare.*

*ergo habe, qualiter acceperis & audieris certa*, ne crederent omnes ſubditi ſui mali quod commendat aliquos in bonorum operatione: fructificatione ibi. *Sed habes pauca nomina in Sardis* dicit ergo quod & Angelo, id eſt prælato vel Epiſcopo Sardis eccleſiæ ſcribe, ad eum, ab hypocriſi reuocandum, & ad veritatem vitæ reducendum & in bonis operibus confirmandum. A

HÆC DICIT QVI HABET SEPTEM SPIRITVS.] id eſt ſeptiforme donum Spiritus ſancti ad inflammandum, informandum, & proficiendum. *Et ſeptem ſtellas*, Id eſt eccleſias vniuerſas ad regendum, confouendum, & protegendum. Et nota verborum ordinem. Prius enim dicit quod habet ſeptem Spiritus & ſeptem ſtellas, quia in ſpiritu, vita ſpiritualis, in ſtella vero, illuminatio cæleſtis aperitur, & eſt viuere idem quod vitam oſtendere, & prius eſt viuere quam lucere. Iſte igitur Epiſcopus lucebat, ſed non viuebat, nec ardebat, ad modum corporis mortui, & ideo imperfectus, quia ſecundum Bern. Lucere tantum vanum eſt, ardere parum, lucere & ardere perfectum. B

*Hypocrita lucet, ſed non viuit.*

*Septem dona Spiritus ſancti exprimuntur.* *Iſa. 11.*

Per ſeptem Spiritus Dei. De quibus fit hic mentio. Septem dona Spiritus ſancti congrue deſignantur qui eſt vnus in natura, ſeptiformis in gratia, de quibus. Iſa. 11. dicit. *Replebit eum Spiritus timoris Domini*: Breuiter ergo dicendum eſt aliquid de ſingulis donis. Et primo de dono timoris. Eſt igitur Timor ſecundum Auguſt. ſpiritualis fuga mali, ne perdat homo quod amat. Et licet timor dicatur multipliciter. Sicut alias fuit dictum tamen ſolus timor qui dicitur filialis eſt proprie donum Spiritus ſancti.

*1 Timor quid.*

*Timoris diuiſio.*

Timor ſecundum Damaſcen: diuiditur in ſegnitiem, erubeſcentiam, verecundiam, admirationem, ſtuporem & agoniam. Segnities eſt timor futuræ operationis, erubeſcentia eſt timor in expectatione cõuicij, verecundia eſt timor in turpi facto. Admiratio eſt timor ex magna imaginatione Stupor eſt timor ex inſueta apprehenſione. Agonia eſt timor per caſum & infortunium. Iſtud ergo donum eſt commendabile, quia futuri mali prælernatiuum, totius boni introductiuum, inuenti mali expulſiuum, inimicorum crucis exterminatiuum, hic eſt timor de quo dicitur, *non eſt inopia timentibus Dominum*.

*Timoris quatuor effecta.*

*2. Pietas quid.* *Pietas & miſericordia differunt.* *Tres fructus pietatis.* *Scientia.* *Matt. 5.*

Sequitur de dono pietatis. Eſt autem pietas quæ ſicut filios diligit vniuerſos cum arguit mitis eſt. Cum blãditur ſimplex eſt, cum intelligit humilis eſt. Eſt autem differentia inter miſericordiam & pietatem, quia pietas reſpicit ſpiritualem neceſſitatem, miſericordia verò corporalem. Et quamuis pietas ad omnia valeat, ſunt tamen tres fructus ſpeciales pietatis, primus Dei & hominum benedictio, bonorum temporalium multiplicatio, regni celeſtis adeptio, & ideo Matt. 5. *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

*Scientia quid.* *Scientia differt à ſapientia quomodo.* *Scientiæ munia* *Donum fortitudinis quid.*

Sequitur de tertio dono ſcientiæ. Eſt autem ſcientia boni & mali cognitio, qua quiſque in finem ſuum dirigitur ſine obligatione. Differt autem ſcientia à ſapientia, quia ſcientia eſt lumen dirigens in actione temporalium. Sapientia vero in contemplatione ſpiritualium, quantum ad primum per hoc donum diſcernimus, tentationes dæmonum, verſutias hominũ, infirmitates peccantium aſtutias mulierum: inſuper vitæ præſentis breuitatem, peccati multiplicitatem inferni calamitatem Sequitur de dono fortitudinis.

*Fortitudo differt à fortitudine.*

Eſt autem fortitudo ſecundum Auguſt. de moribus Eccleſiæ, amor cælicus omnia tolerans. Propter id autem amatur ad fortitudinem vera exercitatio laborum, eſt autem differentia inter fortitudinem prout eſt donum Spiritus ſancti & virtus cardinalis, quia prout eſt donum eſt circa arduum fortunæ, prout eſt virtus circa arduum naturæ.



Sequitur de dono conſilij. Eſt conſilium voluntatis Dei ad quam non conſtringuntur imperio propter ſuam arduitatem. Circa conſilium ſunt quinque commendabilia. Primum eſt conſilium requirendi, 1. nulla maior diſcretio quam requirere conſilium in incertis. 2. Secundum eſt gratia conſilium eligendi: 3. multi enim debent eſſe pacifici, ſed conſiliarius vnus 4. de mille. Tertium eſt gratia conſilium dandi. Quartum gratia examinandi. Vnde ſecundum Senecam, prudentis eſt examinare conſilium non cito facili credulitate ad falſa prolabi. Quintum eſt gratia con- 5. ſiliis acquieſcendi. Nullum enim debet coſilium decipi cuius ratio eſt manifeſta. Ergo conſilium verum ſecundum Tullium, quatuor attendit ſcilicet facile, expediens, certum, tutum.

*5 conſilium quid.* *Conſilium 5. commendant.* *In Conſilio quatuor attenduntur.*

Sequitur de dono intellectus, qui eſt prout hic accipitur, rei cuiuſlibet certa, & manifeſta notitia. Et eſt differentia inter opinionem & fidem: quia intellectus rationi innititur, fides auctoritati opinio ſola in ſimilitudine ſe tuetur. Eſt duplex intellectus, ſcilicet practicus intendens circa operabilia, & ſpeculatiuus ſpeculans ſpiritualia.

*6. intellectus quid & quomodo differt à fide & opinione.* *Intellectus duplex.* *Sapientia quid.*

Sequitur de dono ſapientiæ. Quod etiam dicitur ſapientia, quia intellectum illuminat & affectum inflammat. Inueniſti ergo ſapientiam ſecundum Bern. C Si prioris vitæ defleas peccata, ſi huius ſæculi deſiderabilia parui pendas, ſi æternã beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Per ſeptem ergo ſpiritus Dei, ſeptem dona Spiritus ſancti intelliguntur. Et per ſeptem ſtellas ſeptem virtutes quibus ille carebat interius licet videretur habere exterius, vel per ſeptem ſpiritus intellige omnes Angelos, & per ſtellas vniuerſos ſanctos qui lucent in firmamento cæli empyrei perpetua claritate.

*Quid Spiritus, & ſtellæ ſignificent.*

Sequitur (*ſcio opera tua*) Videlicet qualia ſunt quantum ad tuam intentionem, quia quærebat in eis humanam laudem, *quia nomen habes quod viuas*; quantum ad hominum opinionem, *& mortuus es*, D per gratiæ deſertionem primæ ad Tim. 5. *Viuens in deliciis mortua eſt.* Sicut enim eſt mors corporis cum deſerit animam, ſic eſt mors animæ cum eam deſerit Deus (& tunc eſt ſine ſenſu virtualis dolor) Sine motu amoris, ſine ornatu decoris, ſine æſtu feruoris. Viuens enim differt à non viuente ſenſu, & motu, primo de anima. Iſte ergo putabatur viuus quantum ad meritum & erat mortuus quantum ad peccatum.

*Gratia amiſſio mors.* *1. Tim. 5.* *Differentia viui & mortui.*

Sequitur ESTO VIGILANS ET CONFIRMA EA QVÆ MORITVRA ERANT:] Ecce admonet ad pœnitentiam vbi poſtquam iudicauit ſuum ſtatum, inducit eum ad iuſtitiæ actum licet partim excitando, & partim ſtimulando. Vnde dicit, eſto vigilans & ſollicitus de tua & tuorum ſalute quadruplici de cauſa. Prima, quia cuſtos ciuitatis in medio inimicorum. Secunda, E quia cuſtos gregis in medio luporum, hæreticorum, ſcilicet tyrannorum, falſorum chriſtianorum. Tertia, 3. quia cuſtos infirmorum in medio crudelium medicorum. Quarta quia cuſtos theſaurorum, id eſt animarum in medio latronum. Cum igitur multi inſidientur iſti theſauro: Bonum eſt quod cuſtos ſuper iſto theſauro inuigilet diligenter iuxta illud Matt. 13. *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veniet*: ſero an media nocte.

*VERS. 2.* *Cuſtos quatuor vigilias debet obſeruare.* *1. cur.*

Iſtæ quatuor vigiliæ ſunt quatuor ætates. Prima eſt adoleſcentia, ſecunda iuuentus, tertia ſenectus, quarta decrepitas. Prima vigilia eſt contemptus mundi, ſecunda mortificatio carnis, tertia exercitium virtutis, quarta deſiderium patriæ cæleſtis. Et hac quarta vigilia venit Ieſus ad diſcipulos ſuos.

*Vigilat homo quadrupliciter. Bern.*

Item primo vigilat homo, cum peccata recognoſcit, ſecundo quando cognita corrigit, tertio cum ad bona agenda ſe conuertit, quarto quando bona quæ habet perſeuerando cuſtodit.

c 2 Sed

*Verba notan'a Prælatis.*

Sed iſti boni vigiles debent eſſe hodie in eccleſia, quos beatus Bernardus deſcribit ſuper Cantica. dicens. Iſti inquam ſunt boni vigiles qui dormentibus nobiſmetipſis peruigilant tãquam rationem pro animabus noſtris finaliter reddituri, qui pernoctantes in orationibus hoſtium inſidias explorant, ſagaciter anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, fugiunt tendicula, retiacula diſſipant, machinamenta diuellunt. Hi ſunt superni amatores populi chriſtiani qui multum orant pro populo, & vniuerſa ſancta communitate. Sed quis eſt hic & laudabimus eum? pauci enim ſunt ex omnibus caris eius qui non quærant quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Vnde enim in illis exuberare æſtimas, rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, vaſorum aureorum, & argenteorum congeriem: niſi de bonis ſponſæ, vnde eſt quod illa pauper nuda, & inops relinquitur, facie miſeranda inculta & inſipida & exanguis: propter hoc non eſt hoc tempus ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtaurare, ſed proſtituere; non eſt fouere gregem, ſed mactare & deuorare dicente Domino de talibus Pſal. 13. *Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis. Eſto ergo vigilans* & confirma per vigilantiam ſollicitudinis, *confirma cætera quæ moritura erant.* Sed tu remanes in ſtatu primæ tranſgreſſionis & turpitudinis.

*Pſal. 13.*

Sed quare ait MORITVRA ERANT] Ex quo primo præmiſit quod ipſe moriturus erat, & ſic opera ſua mortua?

Ad hoc reſpondet Richardus quod præcipua bona ſicut virtutes erant in ipſo mortua, minora vero bona quæ iuuant ad ſalutem ſicut ſcientia ſcripturarum & doctrina prædicationis & cætera dona gratuita erant in eo moritura. Si propter humanam laudem fierent: quia iuſto iudicio quia maiora ad ſalutem neceſſaria contemnit, & minora bona ad ſalutem vtilia funditus amittit. *Eſto ergo vigilans & confirma cætera quæ moritura erant* in verbo iſto. Deſcribitur officij paſtoralis habilitas ibi *eſto*, exequendi virilitas, *quia vigilans*, executionis vtilitas, *Et confirma cætera quæ moritura erant.*

*Humana laus mors virtutum.*

*Tria hominum genera vigilantium.*
*1. actiuus.*
*1. Pet. 5.*

Eſto igitur vigilans, attende quod vigilat actiuus contemplatiuus prælatus. Vigilat actiuus. Primo vt abigat hoſtem. 1. Pet. 5. *Sobrij eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Secundo vt ſubiiciat carnẽ Eccleſiaſt. vndecimo. *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.* Tertio, vt aduertat finem. Luc. 17. vbi commendantur illi ſerui *quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.*

*2. Contemplatiuus.*
*Cant. 5.*

Vigilat ſecundo contemplatiuus ad ſequeſtrationem ſenſuum. Cant. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat,* ad liquefactionem defectuum Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt.* ad eleuationem cordium. Eccleſiaſt. 39. *Iuſtus cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo.*

*Eccleſ. 39.*

*3. Prælatus.*
*Luc. 2.*
*ad Tim. 4.*
*Hebr. vlt.*

Tertio vigilat prælatus ad ſpectandum, vt præuideat. Luc. 2. *Paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Ad prædicandum vt corrigat, 2. ad Tim. 4. *Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Ad explendum vt dirigat, ad Hebr. vlti. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis ipſi enim peruigilant quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.*

VERS. 2.

ESTO VIGILANS ET CONFIRMA QVÆ MORITVRA ERANT.] Et certe neceſſe eſt quod ita facias.

VERS. 3.
*Opera non plena quæ.*

NON ENIM INVENIO OPERA TVA PLENA CORAM DEO MEO.] Non plena, quia non in charitate facta: quia finis & complementũ legis eſt dilectio: vel non plena: quia imperfecta & debitis circunſtantiis priuata. Vis ergo quod opera ſint plena coram Deo, ſit cor tuum plenum charitate os veritate, opus humilitate, oculus pietate, manus largitate. Et tunc implebitur mandatum illud Exod. 34. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus:* de illis qui videntur pleni exterius & tunc ſunt vacui interius, loquitur pulcherrime Gregorius in paſtorali dicens: Quod ſumus (inquit) perfectione & actione potius quam nomine demonſtremus: vt nomini congruat actio & actio reſpondeat nomini, ne ſic nomen inane ſit honor ſublimis & vita procliuis, ne ſit diffinita profeſſio & illicita actio, ne ſit religioſus amictus & irreligioſus profectus, ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus, ne habeatur in Eccleſia cathedra ſublimior, & conſcientia Prælati reperiatur deterior, ne locutionem ſimulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, ne profeſſionem monſtremus diuinam & ferocitatem habeamus lupinam.

*Opera plena quæ.*
*Exod 34.*
*Homo vacans quis.*

VERS. 3.

Sequitur admonitio emendationis IN MENTE ERGO HABE QVALITER ACCEPERIS] gratiæ ſpiritualis infuſionem, *& audieris* ab homine per prædicationem, *& ſerua* vtrunque per bonam operationem, & *pœnitentiam age*, quæ cor emundat, Spiritus S. illuminat, animam ſanctificat & ad ſuſceptionem Chriſti præparat & ſequitur comminatio damnationis.

*Pœnitentiæ effectus.*

SI ERGO NON VIGILAVERIS] ſuper prædictis ſollicite emendando, *veniam ad te tanquam fur* in corpore & anima mactando & perdendo. *Et hora qua neſcis veniam ad te* morte ſubitanea te plectendo. Ex his apparet ſecundum aliquos quod appropinquat dies iudicij: quia nunquam peius ſibi cauerunt homines à principio eccleſiæ ſicut modo, & vbique intrant fures & latrones per eccleſiam & feræ omnes expoliant & occidunt. Hora ergo qua neſcitis veniet ad vos. Ideo poteſt vobis dici. *Et vos eſtote parati: quia neſcitis qua hora filius hominis veniet.* Vnde Gregorius, vltimam horam voluit Deus idcirco eſſe ignotam: vt ſemper eſſe poſſit ſuſpecta, & dum illam præuidere non poſſumus, ad eam nos ſine intermiſſione præparemus.

*Vigilandum cur.*
*Cur Vltimam horam; Deus voluit eſſe occultam.*

Latet igitur. Sed aliqui ſubtiliſantes, illud tempus determinauerunt, tamen verus catholicus debet confiteri ſe neſcire. Et ponit exempla Auguſtinus in quadam Epiſtola. Aliquis pater familias recedit è domo & relinquit tres ſeruos ſuos. Nulli autem tempus determinat redeundi: inter eos vero oritur quæſtio quando Dominus ſit reuerſurus, vnus dicit cito veniet: alius tarde veniet: alius ſcio quod veniet ſed neſcio quando, quis iſtorum dicit melius? conſtat quod tertius, ita in propoſito cum Dominus de regreſſu ſuo non determinauerit, non ſolum neſcitur quando veniet, ſed potius ſcitur quod ex improuiſo veniet. 1. Theſſ. 5. *Cum enim dixerint pax & ſecuritas Tunc repentinus ſuperueniet eis interitus.* Exemplum habemus de diluuio omnia diſſipante.

*1. Theſſ. 5.*

VERS. 4.

Sequitur exemplũ imitationis, SED HABES PAVCA NOMINA IN SARDIS,] id eſt paucas perſonas virtute iuſtitiæ nominatas, mihi tamen notas & acceptas.

*Multi vocati pauci electi.*

Sed quæritur qualiter pauca nomina ſunt cum multi eſſent in illa eccleſia, Reſpondeo & dico quod poterant pauca dici reſpectu duodecim proborum, quia multi erant vocati, & pauci electi. Pauci ergo proponuntur Epiſcopo, vt exemplo eorum bene viueret in confuſione ducente ad gloriam & erubeſceret. Multi vero peruerſi ad arguendam culpam ipſius: dum enim paſtor curis terrenis intendit, lupus rapit & diſpergit oues.

VERS. 4.
*Veſtimenta qualia eſſe debent.*

Sequitur, QVI NON INQVINAVERVNT VESTIMENTA SVA,] id eſt veſtem baptiſmalem, vel ſua corpora per luxuriam, vel ſi recenter poſt modum

macu

maculas lachrymis abluunt. Veſtimenta noſtra debent eſſe candida in puritate, candida in mente. Eccleſ. 9. *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Charitate feruida in operatione. Prouerb. vlt. *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, honeſtate fulgida in conuerſatione. Pſalm. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Pietate odorifera in compaſſione. Gen. 27. *Statimque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam benedicens ait, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Qui ergo non inquinauerunt veſtimenta ſua ambulabunt*, de virtute in virtutem proficiendo, *mecum*, qui ſum dux & ſocius eorum, *in albis*, id eſt, in corporibus caſtis, operibus bonis, conſcientiis puris, *quia digni ſunt* talibus patrociniis vel præconiis, vel ambulabunt mecum ſicut ego ambulaui de terra ad cœlum, de miſeria ad gloriam, de exilio ad patriam, de paupertate ad diuitias, de labore ad requiem, de morte ad vitam, *in albis*, id eſt in corporibus glorificatis, in cordibus purificatis, quia digni ſunt talibus præmiis.

*Eccleſ. 9.* *Prou. vlt.* *Pſalm.* *Gen. 27.* *Qui ambulant cum Chriſto in albis.*

Et eſt notandum quod virgines hic in ſeptem per ordinem commendantur, primo à famæ celebritate quia ſunt in cœlo nominatæ ibi.

*Virgines per ſeptem commendantur.*

VERS. 3. SED HABES PAVCA NOMINA, ] ſecundo à pulchritudinis ſpecioſitate, *in Sardis* quæ interpreta-
2. tur principium pulchritudinis, tertio ab incorruptio-
3. nis integritate, *qui non inquinauerunt veſtimenta ſua*,
4. quarto à profectus virtuoſitate, quia *ambulabunt*,
5. quinto à Dei familiaritate cum dicit, *mecum*, ſexto à
6. conſcientiæ puritate, quia *in albis*, ſeptimo ab hono-
7. ris ſublimitate quia *digni ſunt*. Super quo verbo quid
ſumus dicturi nos barbari: Cum delicatas puellas teneras, per ferrum videamus currere ad cœlum: aliæ namque virgulis ferreis exarantur, aliæ machinamentis rotalibus eleuantur, aliæ fuſtibus dilacerantur, aliæ flammis exuruntur, aliæ gladio perimuntur, aliæ in carceribus retruduntur. Nec tamen deficiunt ſequi ſponſum quocunque ierit cui ſunt adſtrictæ indiſſolubili charitate.

*Virginum conſtantia.*

VERS. 5. Sequitur, QVI VICERIT SIC VESTIETVR VESTIMENTIS ALBIS ET NON DELEBO NOMEN EIVS DE LIBRO VITÆ. ] Poſtquam prouocauit prælatum exemplo minorem prouocat eum promiſſione præmiorum, quorum oſtendens magnitudinem & certitudinem dicit. Qui vicerit mundum, carnem & diabolum, paupertate, caſtitate, humilitate. *Sic veſtietur* vt dictum eſt *veſtimentis albis*, id eſt ſtola animæ & corporis. Stola animæ texitur ex tribus filis, ſcilicet immediata viſione, conſummata dilectione, ſecura tenſione: ſtola autem corporis contexitur ex quatuor dotibus, ſcilicet, claritate infuſcabili, agilitate inattingibili, ſubtilitate impenetrabili, impaſſibilitate impoſſibili. Hæ ſunt vij ſtellæ, de quibus dictum eſt, *Et non delebo nomen eius de libro vitæ*, id eſt quadrupliciter ſcripti ſunt iuſti per præſcientiam, & ſic nullus poteſt deleri, nec iterum ſcribi. Vnde Auguſt. de iuſtitia iudicat Deus non de præſcientia, quia iuſtitia iudicat non de præſcientia, & quorum quis apud Deum non ſit dignus vita, & tunc licet ſecundum iuſtitiam iudicis deleri videatur cum peccat, eius tamen præſcientia in libro nunquam defuit. *Et confitebor nomini eius coram patre meo* inter triumphalem victoriam extollendo *& coram Angelis eius* ad vincentis obſequium animando.

*Stola animæ triplex, corporis ſtola quadruplex.* *De præſcientia.*

VERS. 6. Sequitur concluſio epiſtolæ. QVI HABET AVRES] ad intelligendum *audiat* ad faciendum *quid ſpiritus dicat Eccleſiis*, ad omnes excitandum. Et hic finis in qualibet Epiſtola ponitur, vt per hoc excitetur attentio auditorum.

Super hoc verbo. NON DELEBO EVM DE LIBRO VITÆ. Eſt notandum quod in ſacra Scriptura quintupliciter inuenitur liber, ſcilicet liber gloriæ, liber gratiæ, liber naturæ, liber Scripturæ, liber conſcientiæ. Primus aperitur in immortalitatis deprehenſione. Secundus in Dei acceptatione. Tertius in diligenti inueſtigatione. Quartus in fidei illuſtratione. Quintus in finali diſcuſſione. Primus liber eſt Deus, cuius apparitio facit aſpicientem ſiue legentem beatum. Vnde Auguſt. habemus vnum doctorem in cælis quem ſemel videre eſt totum inſpexiſſe, Et dicitur vitæ, quia nullus mortuus ibi inſcribitur, quia per ipſum vita reſtituitur, quia per ipſum vita continuabitur. 1.

*Liber ſumitur quintupliciter.*

In lib. 2 eſt ipſe Chriſtus Iſa. 7. *Sume tibi librum vitæ.* Liber grandis fuit Chriſtus ante Incarnationem, ſed factus eſt paruus per carnis Aſſumptionem. In iſto libro quatuor debemus legere, ſcilicet humanitatem incomparabilem, manſuetudinem imperturbabilem, charitatem inuariabilem, veritatem inobliquabilem.

*Iſa. 7.* *Secundus liber.* *Quatuor debemus legere in libro Chriſti.*

Prima lectio habet tres verſus, quia humilitas habet tres gradus, primus eſt ſubdere ſe maiori, ſecundus ſubdere ſe æquali, tertius eſt ſubdere ſe minori.

*Humilitatis gradus triplex.*

Secunda lectio habet tres verſus: quia tres ſunt manſuetudinis gradus, primus eſt, circa rerum iniurias, ſecundus circa corporum moleſtias, tertius circa verborum contumelias. Hos tres gradus legit magiſter noſter Ieſus Chriſtus qui fuit cunctis veſtibus ſpoliatus: toto corpore flagellatus, multis opprobriis affectus.

*Manſuetudinis tres gradus.*

Tertia lectio habet tres gradus, primus eſt ordinata dilectio Dei, ſecundus ordinata dilectio ſui, tertia ordinata dilectio proximi.

*Tres gradus charitatis.*

Quarta lectio habet tres gradus, primus eſt veritas vitæ, ſecundus eſt veritas iuſtitiæ, tertius veritas doctrinæ.

*Veritatis tres gradus.*

Tertius liber eſt naturæ ſiue creaturæ, qui ſua magnitudine docet patris potentiam. Sua pulchritudine docet filij ſapientiam. Sua vnita varietate trium perſonarum diſtinctionem & ſubſiſtentiam. Quartus liber eſt liber ſcripturæ, qui docet omnem exponendi modum ſcilicet omnium ſenſuum hiſtoriam, Tropologicum, Allegoricum, Anagogicum. Iſta ſcriptura nulla iucundior in qua tot ſalubria. Nulla opulentior in qua tot vtilia. Nulla excellentior, in qua tot ſublimia. Iſte liber eſt ſubtilis in Trinitatis myſteriis & temporibus dirigendis. Fertilis in figuratiuis & myſticis perſcrutandis. Iſte liber docet quinque lectiones, prima eſt. Quid credendum, quia articuli & ſacramenta. Quid faciendum, quia conſilia & præcepta. Quid fugiendum, quia mundus & vitia. Quid formidandum, quia infernus & dæmonia. Quid deſiderandum, quia regnum Dei & eius iuſtitia. Hæc omnia *liber vitæ & teſtamentum Altiſſimi & agnitio veritatis*. Eccleſiaſt. 13.

*Tertius liber.* *Quartus liber.* *Scripturæ ſacræ laudes.* *Eccleſ. 24.*

Quintus eſt liber conſcientiæ, in quo libro debet quilibet multa legere, primo vbi & qualis fuit homo conditus, ſecundo vnde & qualiter eiectus, tertio qualiter & quantum abiectus, quarto à quo & qualiter redemptus, quinto quantus erit tremor iudicandorum, ſexto quanta ſit pœna reproborum, ſeptimo quanta ſit gloria bonorum & iſte liber ſicut infra dicitur finaliter aperietur.

*Quintus in eo multa legi debent.*

Patet ergo ex iſta quinta epiſtola quod iſte quintus Epiſcopus, primo reprehenditur de hypocriſi & ſimulatione, quia viuere credebatur *& erat mortuus*, ſecundo de operis eius imperfectione & obliqua intentione, *quia opera eius non erant plena coram Deo*, tertio reducitur ad pœnitentiæ lamentum & conflatorium, quarto ſibi proponitur incitamentũ comminatorium, *quia ſi non vigilaueris veniam ad te*, quinto dirigitur per exemplum gregis ad præmium, *quia habebas nomina in Sardis electorum*, ſexto virtuoſis promittitur ſupernum brauium, quia *qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis*.

ET ANGELO PHYLADELPHIÆ ECCLE- VERS. 7.

ſiæ ſcribe, &c.] Poſtquam reprehendit ſimulationis & apparentiæ ſuperbiam in Epiſcopo Sardis, hic commendat eius oppoſitum humilitatis, ſcilicet & veritatis exiſtentiam in Epiſcopo Phyladelphiæ qui in propria reputatione ſe reputabat nihil; Cum tamen eſſet acceptiſſimus apud Deum: quantum enim homo eſt in oculis Dei, tantum eſt & non plus. Hæc igitur Epiſtola in tres partes diuiditur, prima quantum pertinet ad auctoris deſcriptionem, ſecunda quantum ad paſtoris commendationem, ibi *ſcio opera tua*, tertia quantum ad executoris condignam ſatisfactionem, *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei*, primo igitur deſcribitur celſitudo Epiſtolam tranſmittentis.

*Angelus cur eſt prælatus.*

Et Angelo Phyladelphiæ Eccleſiæ ſcribe,] qui ratione nuncupatur Angelus, propter cœlibatum vitæ, propter myſterium doctrinæ, propter zelum iuſtitiæ, propter feruorem dilectionis diuinæ. *Hæc dicit ſanctus & verus*, ſanctus in dictis gratiæ, verus in donis gloriæ, vel ſanctus per miſericordiam, verus per iuſtitiam, vel ſanctus in vita, verus in lingua, vel ſanctus tentatos roborando, verus promiſſa ſoluendo. Et per hoc monetur iſte Epiſcopus ad perſeuerandum, quaſi dicat, labora fideliter ſicut cœpiſti ad conuerſionem infidelium, quia Deus dabit tibi vigorem, quia ſanctus. Et reddet mihi mercedem laboris, quia verus eſt, *qui habet clauem Dauid*, id eſt virtutẽ & fortitudinem, cui nullus poteſt reſiſtere, *qui aperit & nemo claudit*, claudit & nemo aperit portas inferi reſerando & reprobos æternaliter retrudendo, quia in inferno nulla eſt redemptio, vnde nota quod clauis Dauid dicitur Crux Chriſti ſaluifica, qua infernum aperuit vt captiuos extraheret & in paradiſum liberatos introduceret, quo claudente nemo aperit, quia ipſe & oſtium, & oſtiarius eſt Paradiſi, vel clauis Dauid eſt plenitudo ſcientiæ & ſapientiæ, qui ſuper Chriſtum pleniſſime requieuit, qui aperit aures hominum ad audiendum, corda ad credendum, ſcripturas ad intelligendum, Paradiſum ad intrandum.

*Crux Chriſti dicitur clauis.*

*Scientia & ſapientia Chriſti clauis Dauid.*

Vel nemo claudit Chriſto aperiente multipliciter. Hoc dicit, quia multi hæretici iſti Epiſcopo reſiſtere volentes impediebant pro viribus conuerſionem peccatorum, quod non poterant Chriſto aperiente, claudit etiam aliquando intelligentiæ gratiam remouendo & nemo aperit ipſo claudente, *à quo eſt datum optimum & omne donum perfectum*. Iacob 1. Propterea non poterant credere quia dixit. Iſidor. Excæcauit Deus oculos eorum, vt non videant oculis & intelligant corde. Et claudit etiam econtra aliquando ſcripturas, vt ſtudendo quæramus, aperit vt nunciemus & ſic ſtudentes fructum laboris percipiemus ſecundum Haymonem.

*Iacob. 1.*

Vel clauis Dauid dicitur hîc filij Dei incarnatio, qua traxit originem ex Dauid, in qua & portas æreas, & vectes ferreos confregit inferni, per quam etiam & ſanctos patres eductos de carcere ad gloriam introduxit.

*Clauis Dauid incarnatio filii Dei.*

Vel clauem Dauid appellat gratiam ſpiritualis ſapientiæ, quæ ſpecialiter propter promiſſionem Dauid factam de Chriſto naſcituro. Et naſci oſtenditur ex poſitione ipſius, & propter prærogatiuam ſuæ prophetiæ, qua Chriſti myſteria apertius reſerauit. Clauis enim dicitur multipliciter, quandoque enim dicitur poteſtas dæmones cohibendi, de qua infra *habentem clauem abyſſi*. Aliquando dicitur poteſtas nocendi, infra, *data eſt ei clauis putei & abyſſi*. Aliquando dicitur poteſtas ligandi & ſoluendi. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*. Aliquando dicitur clauis poteſtas reſerandi myſteria ſcripturarum, & ſoluendi ſignacula earum, de qua hîc & infrà. Cum hac claue aperit Deus nobis ſecretum ſapientiæ ad reuelandum, diſtrictum finem ad formidandum, theſaurum gratiæ ad diſpenſandum, templum gloriæ ad ingrediendum, aures clauſas ad audiendum, cor durum ad intelligendum, os ad confitendum, oculos ad contemplandum, manum ad erogandum.

*Clauis Dauid dicitur gratia ſpiritualis ſapientiæ.* *1. Clauis multipliciter dicitur.* 2. 3. 4. *Matt. 16.*

Et ſequitur iſtius Epiſcopi commendatio. Scio opera tua, id eſt approbo tanquam commendabilia & laudabilia. Iſtum enim laudibus extollit, qui de nulla negligentia arguit & multa & conſolatoria promittit ſicut patet in ſerie litteræ. Et ſequitur promiſſio ſuper virtute prædicationis & efficacia, *Ecce dedi*, id eſt dabo, præteritum pro futuro *coram te oſtium apertum*, id eſt verbum liberum, quia libere prædicatum, per quod cor hominum penetratur, hoſtis antiquus eliminatur, & factor cordis, ſcilicet Deus in eo collocatur ad Coloſſ. tertio. *Orantes vt Deus aperiat vobis oſtium ſermonis ad loquendum*. Vel *dedi tibi oſtium apertum*, id eſt aperiam tibi intellectum ad ſcripturarum cognitionem, ad earum prædicationem, corda audientium ad fidei ſuſceptionem. Conſimilis modus loquendi, habetur 2. Corinth. 1. *Cum veniſſem Troadem, & oſtium mihi eſſet apertum*. Vers. 8.

*Coloſſ. 3.* *Oſtium ſermonis Dei.* *2. Cor. 1.*

Sed quare ponit præteritum pro futuro? Reſponſio. Ideo ſic loquitur, quia quod futurum erat in tempore, iam erat quoddam præteritum apud Deum, vt præordinatum, & prædeſtinatum. Vel erat dubius de promiſſionibus, quia *modicam habes virtutem*, id eſt quia ſecundum humilitatem, nec dona inquit promeruiſti. Sed non videtur aſſignare ſufficientem rationem, quia magnarum promiſſionum magna virtus debet eſſe cauſa & non modica. Et ad iſtud reſpondeo, quod ideo ait modicam eſſe illius virtutem, quia non in ſuis viribus, ſed in Chriſti gratia conſiſtebat & confidebat, & ideo quia fuit modica in ſua reputatione, eo ipſo fuit maior in diuina acceptione. Hæc eſt virtus modica, quia cœlorum attingit cacumen ſecundum Richard. Quid ergo humilitate ditius, quid pretioſius inuenitur, quam quo Regnum cœlorum emitur, & gratia diuina acquiritur? Ad exercitium huius virtutis quinque proficiunt, ſcilicet amor vilitatis, aſſiduitas ſubiectionis, comparatio melioris, mendicatio propriæ conditionis, conſideratio occulti inſpectoris.

*Præteritum pro futuro ponitur.* *Proficiunt ad humilitatis exercitium.*

Secundum videndum duodecim gradus humilitatis. Humilitas eſt virtus qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi vileſcit, in iſta autem agnitione ſunt duodecim gradus. Primus eſt corde & opere humilitatem oſtendere, ſecundus eſt verba pauca, ſed rationabilia promere, tertius eſt in riſu vocem modeſtam prætendere, quartus eſt taciturnitas, vſque ad interrogationem, quintus eſt per communem modum incedere, ſextus eſt ſe omnibus valorem confiteri & veraciter credere, ſeptimus eſt ad omnia ſe indignum, & inutilem repræſentare, octauus peccatorum confeſſio, & ea libenter declarare, nouus patientiæ oblatio, & aduerſa tolerare, decimus eſt, ſine murmure ſuperiori maxime obedire, vndecimus voluntatem propriam nolle adimplere, duodecimus eſt timere Dominum, & eius mandata cuſtodire.

*Duodecim gradus humilitatis.* *Primus.* *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.* *Quintus.* *Sextus.* *Septimus.* *Octauus.* *Nonus.* *Decimus.* *Vndecimus.* *Duodecimus.*

Et ſeruaſti verbum meum.] in corde per fidem, in ore per confeſſionem, in manu per operationem *Beati enim qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, Lucæ nono, *Et non negaſti nomen meum*, id eſt Chriſtianitatis titulum, à quo diceris Chriſtianus.

*Verbum Dei quomodo ſeruari debet.* *Luc. 9.*

Sequitur, Ecce dabo tibi de Synagoga Sathanæ qui dicunt ſe Iudæos eſſe, et non ſunt.] ſed mentiuntur. Præmiſſa commendatione, ſequitur confortatio, quam adhibet promittendo auxilium & augmentum virtutum, cuius promiſſionis oſtendens Vers. 9.

magnitu

magnitudinem & certitudinem dicit. Ecce vide- A licet qui de te diffidis, & in me confidis & conſtanter in fide perſiſtis, *Dabo tibi de Synagoga Sathanæ*, id eſt aliquos infideles per tuum miniſterium conuertendo, & ad fidem ſubiugando, *qui dicunt ſe eſſe Iudæos*, & hoc quantum ad apparentiam, *ſed non ſunt, & mentiuntur* quantum ad exiſtentiam, *ecce faciam illos vt veniant* colla fidei ſubmittendo, *& adorent ante pedes tuos*, ſe humiliando, & te venerando, *Et ſcient quod ego dilexi te*, probationem dilectionis per euidentiam exhibendo. *Maiorem hanc dilectionem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, nimia enim dilectio, vulnerauit impaſſibilem, ligauit incomprehenſibilem, traxit incommutabilem, æternum fecit mortalem.

*Nimia dilectio Chriſti pro nobis.*

*Prælatus ſanctus, vtilis.*

Et hic patet quanta vtilitas ſubditis, habere Prælatum ſanctum, & Deo acceptum, cuius interuenientibus meritis Deus trahit peruerſos ſubditos ad pœnitentiam faciendam.

Et ſequitur promiſſio adiutorij & auxilij ſuper tribulatione futura. Vnde dicit, *Et quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ*, id eſt præceptum de patientia obſeruanda, ſicut ego ſeruaui contumelias & flagella ſuſtinendo, & pro perſecutoribus exorando, Lucæ 24. *Pater ignoſce illis*, & diſcipulis præcipiendo, Lucæ 5. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, Mirabilis virtus patientiæ, ſecundum Cyprianum. Hæc eſt quæ nos Deo comendat, & ſeruat, iram temperat, & ſerenat, mentem gubernat, pacem diſponit, diſciplinam regit, libidinis imperum frangit, timoris moleſtiam comprimit, coërcet ſuperbiam diuitum, refouet inopiam pauperum, tuetur in virginibus ſacram virginitatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in coniugatis indiuiduam charitatem, ipſa eſt quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter immittit & incrementa ſpei ſublimiter prouehit, ipſa omnem actum dirigit, ipſa facit, vt martyrio conſumemur, vt patientiam filij Dei concomitemur, *Quia ergo ſeruaſti verbum patientiæ meæ*, patientiſſime immittendo, *& ego te ſeruabo ab hora tentationis quæ ventura eſt in vniuerſum orbem*, ſcilicet à tribulatione exercenda, per Romanum imperium, vel per Antichriſtum in fine temporis, *tentare habitantes in terris*, id eſt in terrenis, & tranſitoriis ſpem ſuam collocantes.

*Luc. 24.* *Luc. 5.* *Patientia mirabilis virtus.*

Attende quæ eſt tentatio diuinæ æquitatis, cum tentat ardua præcipiendo, Geneſ. 25. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ei. Tolle filium tuum quem diligis Iſaac.* Tentat magnifica eroganda. Exod. 16. *Egrediatur populus & colligat quæ ſufficiant per ſingulos dies, vt tentem eum*, tentat aduerſa permittendo. Deuteron. 16. *Recordaberis cuncti itineris per quod induxit te Dominus Deus, quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te atque tentaret.* Eſt alia tentatio humanæ calliditatis, id eſt ad tanta experiendum, vnde *Regina Saba audita ſapientia Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus.* 2. Reg. 10. Item eſt tentatio ad malitioſe capiendum. Matth. 21. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent illum in ſermone. Cognita autem Ieſus nequitia eorum dixit. Quid me tentatis hypocritæ?*

*Tentat Deus multipliciter. Gen. 20. Exod. 16. Deut. 16.* *Tentat homines multipliciter.*

Item eſt tentatio ad benigne erudiendum, Ioan. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent hi, hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Eſt & tentatio diabolicæ malignitatis, quæ eſt magna variatione. Matthæi quarto. *Ductus eſt Ieſus in deſertum, vt tentaretur à diabolo.* Acuta inſtigatione. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Eſt & aſſidua infeſtatione, Eccleſiaſtes ſecundo. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eſt alia tentatio, ſcilicet mundanæ cupiditatis, quæ eſt doloſa & periculoſa. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.*

*Ioan. 6.* *Matth. 4.* *1. Cor. 10.* *1. Tim. 6.*

*Tentatio ad quid vtilis.*

Secundum eſt quod cum tentatio valeat ad notitiæ ampliationem, ad iuſtitiæ perfectionem, & ad coronæ adeptionem, iuxta illud. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, quare Chriſtus nolebat quod ille tentaretur, cum ſic magis mereretur. Reſponſio. Dico quod Chriſtus nolebat quod ille tentaretur tentatione fortis incuſſionis, quia forſitan defeciſſet. Vnde hanc tentationem recuſamus, cum dicimus in oratione Dominica. Et ne nos inducas in tentationem ſecundum, Gregorium in tentationem inducere eſt in tentationis illecebras noxiũ ire. Vel vltra illud quod poſſumus ſuſtinere, tentare permittere.

*VERS. 11. Deus adiutor in tentatione.*

Et ſequitur, perſeuerantiæ admonitio, ECCE B VENIO CITO.] quaſi dicat verè tentatio veniet, ſed non oportet te timere, quia habes adiutorem fidelem virilem qui venit. Primo pugnantes iuuare, ſecundo tentatos liberare, tertio victores coronare. Et ne poſſet accuſari de mora, addit, *cito*, quia ſecundum Haymo cito fit omne quod tranſit, ex quo igitur, *veniam cito, tene quod habes*, ſubditos tuos à lupis cuſtodiendo, *tene & quod habes*, nunquam à bono propoſito deficiendo, nec reſiliendo, ſed confidenter perſeuerando, *vt nemo accipiat coronam tuam*, tibi debitam propter patientiam, propter vigilantiam, propter perſeuerantiam, quia finis non pugna coronat. ſecundæ Timothæi ſecundo. *Non coronabitur niſi qui legitime certauerit*, id eſt perſeuerauerit.

*Finis non pugna coronat. 2. Tim. 2.*

*Quæritur de qua corona loquitur.*

C Hic quæritur de qua corona loquitur, non de corona gratiæ, vt videtur: quia multi amittunt quam nullus alius accipiet, nec gloriæ, quia illa nunquam amittitur poſtquam illa habita eſt. Item aut loquitur de præſcito ad damnationem, aut de prædeſtinato ad gloriam, non primo modo, nec ſecundo, quia illius erit inamiſſibilis gratia, quia prædeſtinatus ſaluabitur. Item gratia, & gloria ſunt accidentia, non formæ ſubſtantiales, accidentia autem poſſunt permutari, formæ vero ſubſtantiales minime, ergo corona gloriæ, aut gratiæ non tranſit de ſubiecto in ſubiectum, quid ergo eſt dicendum? *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Reſponſio. Cum certus ſit Deo numerus electorum, dum alij in loco illorum, qui per negli- D gentiam perdiderunt, ſubrogantur, propter finalem perſeuerantiam, vt patet de Iudæis & Gentilibus. Vnde ſecundum Gregorium. Occultum iudicium Dei diſponit, vt aliquando perdant quod tenere videbantur, alij accipiunt quod ipſi ex meritis perdiderunt. Et exemplum ponit de Iuda qui cecidit, & de latrone qui ſurrexit. Vnde ex hoc trahitur, quod corona alicuius poteſt dici dupliciter, vel ſecundum æſtimatam apparentiam ob præſentem iuſtitiam, Vel ſecundum æternam prædeſtinationem, & finalem perſeuerantiam. Prima poteſt amitti per culpam, ſecunda vero eſt inamiſſibilis à prædeſtinato perſeuerante in iuſtitia. Vnde Gregorius. Dum aliis cadentibus, alij ſubrogati & ſolidari perhibentur, E Electorum numerus certus eſt determinatus ac diffinitus, vbi concludit quod nemo eſt contemnendus, nec alicui eſt de ſe præſumendum, quia qui ſtat, videat ne cadat. Ex hoc vlterius eſt ſciendum quod accipere coronam ab aliquo poteſt intelligi dupliciter, vel vt eandem in numero, vel conſimilem in gradu: & iſto ſecundo modo loquitur hic, per quod ad obiecta patet ſolutio.

*Corona dupliciter dicitur.* *Accipere coronam ab aliquo dicitur dupliciter.*

*Prima. Corona quadruplex bona.* *Secunda.*

Notandum quod quadruplex eſt corona bona quam Deus dat amicis ſuis. Prima eſt ſpinea quæ datur pœnitentibus. Matthæi vigeſimo ſeptimo. *Plectentes coronam ſpineam impoſuerunt ſuper caput eius.* Secunda lapidea quæ datur patientibus, in Pſalm. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Tertia au-

*Tertia. Quarta.* rea, quæ datur contemplantibus, Eccleſiaſtici quadrageſimoquinto. *Corona aurea ſuper capita eius.* Quarta eſt ſyderea, quæ datur triumphantibus, Apocalypſis duodecimo. *Apoc.12.* *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole.* Et ſequitur, *in capite eius corona ſtellarum duodecim.*

*Corona mala quadruplex. 2. Mach. 2.* Corona autem mala eſt quadruplex ſcilicet vanitas pulchritudinis, Sapientiæ ſecundo, *Coronemus nos roſis.* Voluptas turpitudinis, ſecundæ Machabæorum ſecundo. *Cum Liberi ſacra celebrarentur cogebantur hedera coronari.* Dignitas celſitudinis, *Iſa.28.* Iſai. vigeſimo octauo, *Væ coronæ ſuperbiæ.* Calamitas caliginis. *Iſa.12.* De qua Iſaiæ duodecimo. *Coronans coronabit te tribulatione.*

VERS. 12. QVI VICERIT] ſeipſum per veram obedientiam, *faciam illum columnam in templo Dei mei,* ſcilicet *Quatuor quæ Prælatis vincentibus dabit Deus.* Prælatum in Eccleſia, rectum in iudiciis, fortem in aduerſis, planum in conuerſatione, iocundum in intentione, *& foras non egredietur amplius,* hominibus ſæculi ſe conformando, vel ſæcularibus negotiis implicando ſe, vel malum exemplum præſtando, in verbo ergo iſto duo breuiter innuuntur, ſcilicet rectitudo iuſtitiæ, quantum ad meritum præmiale, cum præmittit *faciam,* &c. fortitudo perſeuerantiæ, quantum ad exemplum paſtorale, quia *& foras non egredietur amplius.* *Prælatus debet eſſe columna, quomodo.* Prælatus igitur debet eſſe. Primo columna recta operatione, ſecundo alta contemplatione, tertio firma toleratione, quarto plena ædificatione, vt *Pſal.74.* ſecure poſſit dicere cum Propheta: Pſalmo ſeptuageſimo quarto, *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius.*

Sequitur: SCRIBAM NOMEN DEI MEI SVPER EVM.] quod eſt, cum beatus eris, vt amplius non poſſis ab hoſtibus ſuperari, *Exod.15.* Exod. 15. *Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen illi.* *Beati quomodo participes Dei.* Beati enim erunt participes diuinæ veritatis, in contemplando, diuinæ poteſtatis in imperando, & ideo ſcribam ſuper eos nomen Dei mei à quo eſt notitia præcelſæ diuinitatis, ſupernæ ciuitatis, & Chriſti conformitatis, quia Dominus nomen illi, *Ciuitas paradiſi qualis.* *Et nomen ciuitatis nouæ Hieruſalem,* vt ſit inſcriptus in collegio omnium ſupernorum, in qua ciuitate eſt tranquillitas ſine turbatione, æquitas ſine obligatione, fidelitas abſque deceptione, pietas abſque æmulatione. In hac ciuitate eſt claritas quæ non nouit occaſum, *Ciuitas enim illa non eget Sole & Luna, quia claritas Dei illuminabit illam,* infra 20. cap. Ibi etiam eſt copioſitas ſine defectu, *Iſa.33.* Iſa. 33. *Oculi eius videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam.* Ibi iocunditas ſine fletu. *2. Reg. 6.* 2. Reg. 6. *Dauid eduxit Arcam Dei de domo Aminadab quæ erat in Gabaa,* &c. Ibi ſecuritas ſine metu. 1. Machab. 5. in figura *incluſerunt ſe qui erant in ciuitate, & obſtruxerunt portas lapideas.* O quam fœlix ciuitas in qua iugis ſolemnitas quæ deſcendit de cœlo in aſſumpta natura. Ioannis tertio. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.*

ET NOMEN MEVM NOVVM.] quod eſt Ieſus, *Nominis Ieſu virtus.* cuius virtute ſaluatur omnis qui credit in eum. Et ideo *non eſt aliud nomen, ſub cœlo in quo oporteat nos ſaluos fieri,* Actuum quarto. *Nominis Chriſti dignitas.* Vel *nomen nouum ſcribam ſuper eum,* ſcilicet Chriſtum à quo dicuntur Chriſtiani. Hinc certè dignitas, hinc celſitudo nobis prouenit, hinc reges, hinc ſacerdotes, hinc Chriſtiani appellamur. Calamus autem quo illud nomen inſcribitur eſt gratia Spiritus ſancti, per quam filij Dei vocamur, & ſumus.

*Nomine Ieſu quinque deſignantur.* Præter illa quæ dicta ſunt aliàs de nomine Ieſu eſt attendendum, quod hoc nomen Ieſus eſt quinque litterarum per quas deſignatur. Primo per I, infimum exinanitionis, ſecundo per E, exilium noſtræ peregrinationis, tertio per S, ſupplicium humiliationis, quarto per V, voluntas ſuæ traditionis, quinto per S, ſupremum exaltationis. De primo inuenies Ieſum exaltatum, ad Philippenſes quarto. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui* *Phil.4.* *cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo,* Secundo exinanitum in vtero. *Sed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Tertio peregrinantem in mundo, vnde ſequitur *in ſimilitudinem hominum factus.* Quarto inuenies eum humiliatum in ligno. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem.* Quinto exaltatum in regno *propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Ad intelligentiam aliqualem huius libri, eſt notandum, quod ſicut vitæ noſtræ curriculum ſeptem *Septenarius numerus myſticus.* temporibus dirimitur, incipiendo ab Abraham, in quorum quolibet quædam mirabilia ſunt oſtenſa. Sic iſta doctrina ſeptem partibus diſtinguitur, quarum quælibet correſpondet præoſtenſis in veteri Teſtamento. Sub primo ergo tempore de Abraham, & Iſaac, & Iacob Patriarchis de mora filiorum *Iſta doctrina ſeptem partibus diſtinguitur.* Iſraël in Ægypto, de perſecutione Pharaonis, & tranſitu maris rubri, de donatione legis quæ facta eſt in monte Sinai, de exitu filiorum Iſraël de Ægypto, & de Moyſe, & Aaron, & duodecim populi principibus, necnon & ſeptuaginta duobus ſenioribus qui egreſſi fuerant de Ægypto.

Sub hoc quoque tempore acceperunt hæreditatem duodecim Tribus, primo quandoque nouiſſimè ſeptem, completa ſunt autem omnia iſta à diebus Abrahæ Patriarchæ vſque ad obitum Ioſue. Sub hoc primo tempore continetur ſpecialiter Euangelium Lucæ in cuius exordio agitur de Zacharia ſacerdote & Ioanne filio eius à quo baptizatus eſt Chriſtus, de ortu eiuſdem & paſſione eius. De Chriſto, & duodecim Apoſtolis primis, cæteris Diſcipulis ſeptuaginta duobus ſimiliter, & liber *Septem completa diebus Abrahæ.* Actuum Apoſtolorum editus ab eodem Luca in quo, & ſcriptum eſt de ſeparatione fidelium à ſynagoga Sathanæ, de aduentu Spiritus ſuper fideles, de duobus Apoſtolis nouiſſimis Paulo & Barnaba, qui in prædicatione gentium facti ſunt primi vſque ad dormitionem ſancti Ioannis Euangeliſtæ, continetur quoque ſpecialiter ſub iſto tempore prima pars Apocalypſis quam habemus, in qua dicit idem Ioannes, ſicut habuiſtis ſuperius factam ſibi reuelationem myſteriorum in Dominica die pro eo, ſcilicet quod tempore Reſurrectionis Dominicæ ſacra myſteria reuelari cœperunt, ſub hoc quoque tempore fundatæ ſunt quinque principales Eccleſiæ, & aliæ ſeptem in Aſia, de quibus agit in hac parte, vnde reddendo ſingula ſingulis concordiam fidelem inuenieris. Patet igitur quod iſte Epiſcopus Philadelphiæ in nullo reprehenditur, & multis extollitur, primo quia longanimis in patientia, ſollicitus ſuper gregis cuſtodia, ſtabilis in fidei confeſſione, ſtrenuus in tentationis probatione, merces ſibi promittitur in finali retributione, Et hic perficitur Epiſtola quantum ad iſtum Epiſcopum Philadelphiæ, qui eſt Epiſcopus ſextus Eccleſiæ ſextæ.

ET ANGELO LAODICIÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] VERS.14. Commendata humilitate & diſciplina Epiſcopi Philadelphiæ hîc reprehenditur tepiditas, & præſumptio Epiſcopi Laodiciæ, vt ex comparatione illius appareat turpitudo: oppoſita enim iuxta ſe poſita magis illuceſcunt. Et procedit more ſolito, primo deſcribendo auctoritatem mittentis, ſecundo increpando torporem negligentis, ibi, *Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus.* Oſtendens ergo Chriſtum principium creationis, recreationis, & glorificationis dicit. *Chriſtus principium creationis, recreationis, & glorificationis.*

ET ANGELO LAODICIÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] Angelo inquam Sathanæ, & diſſipationis, non Angelo pacis & reconciliationis, quia ſolo nomine

nomine erat Angelus,& nomen ſine re,ſpecies eſt ficta. *Amen.*

*Chriſtus veritas.* *Amen tripliciter ſumitur.* *Ioan.6.* *Pſal.40.* *Chriſtus dicitur veritas, cur.*

*Hæc dicit*,id eſt Chriſtus qui eſt veritas promiſſa, & communicatã complendo promiſſa, Ioan.14. *Ego ſum via,veritas, & vita.* Amen eſt Hebraicum. Et ſumitur quandoque aduerbialiter,vt ibi, *Amen,amen dico vobis* Ioan 6.quandoque verbaliter, vt in Pſalm. 40.*Fiat,fiat*,ibi Hebræus habet, Amen. Quandoque nominaliter vt hic. *Hoc dicit*, *Amen*,id eſt verax vel veritas.Appellatur autem Chriſtus veritas, quia ſicut veritas eſt ſui expreſſiua per comparationem ad principium quod repræſentat,eſt rectitudinis impreſſiua quantum ad ſubiectum quod informat, &, luminis collatiua quantum ad intellectum quem excitat:Sic veritas quæ Chriſtus eſt ſe manifeſtauit in paſſione, id eſt nos illuminauit in donorũ diſtributione,*quando veritas de terra orta eſt*,id eſt Chriſtus de Virgine, hoc ergo dicit *amen teſtis fidelis*,audita à Patre mundo fideliter enarrando,& verus veritatem vitæ veraciter demonſtrando, Ioan. 8. *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi*, ſi enim Priſciano creditur, in ordinatione litterarum. Ariſtoteli in aſſignatione fallaciarum, Ptolomæo in decurſu Planetarũ,Galeno in virtutibus herbarum,Iuſtiniano in determinatione cauſarum:Multo fortius debet credi Chriſto,qui eſt vera ſalus animarum,*qui eſt principium* originaliter creans vel cauſans, exemplariter regulans, finaliter terminans. Eſt ergo principium per quod Deus pater creauit,& recreauit creaturam Dei, id eſt hominem & omnem creaturam quæ facta eſt propter hominem;omnis enim creaturæ nomine deſignatur Homo cui Angeli ſeruiunt cuſtodiendo, corpora cæleſtia influendo,elementa ſeruando, animantia nutriendo,vegetando,confouendo. Præmittit ergo has prærogatiuas, vt ipſe Epiſcopus qui erat virtutibus vacuus & deſidia tepidus præcogitaret, quia Chriſtus *eſt amen*,id eſt veritas in ſoluendo promiſſa,quia *teſtis fidelis* in denunciando merita,& demerita quia *principium creaturæ Dei* in creando & recreando ſæculo per dicta.

*Pſal.84.* *Ioan.8.* *Chriſtus principium omnis creaturæ.* *Homo omnis creatura nomine deſignatur, quare.*

VERS.15. Sequitur ipſa narratio:SCIO OPERA TVA] quæ in tres partes diuiditur. Primo proponitur increpatoria arguitio,ſecundo admonitoria exhortatio, ibi, *Suadeo tibi emere aurum ignitum & probatum*,tertio conſolatoria promiſſio ibi,*Ecce ſto ad oſtium & pulſo.*

*Hic redarguitur ſimulatio.*

Reprehendens ergo eum de negligentia,de iactantia,& de pœnitentia dicit,*Scio opera tua*, per apertiſſimam cognitionem,vt nihil me lateat, *Quia neque frigidus es*,per apertam infidelitatẽ,*nec calidus* per feruidã charitatẽ,*vtinã frigidus eſſes*,ideſt aperte malus,*aut calidus* id eſt aperte bonus. *Sed quia tepidus es*,id eſt ſimulatus habes apparẽtiã,& nõ exiſtentiã.*Nec frigidus,nec calidus*,quantum ad rei euidentiam,*Incipiam te emouere ex ore meo*, per æquitatis ſententiam: de ore enim euomitur cum per prædicatorem qui eſt os Dei qui dignus vomitu prædicatur,vel de ore euomitur quis, cum à Deo in culpam declinare permittitur.

*Quid ſit euomi à Deo.*

Nota quod per vomitum eiicitur in principio concutit totum hominem, commouet omnia membra & diſſolutionem facit capitis. Item non reſumitur,ſed tanquam abominabile eiicitur, vult ergo dicere quod iſte Epiſcopus eſt dignus vomitu per depoſitionem ab officio,ex quo eſt in ſcandalum communi populo ſine aliqua ſpe reſurgendi, quia Chriſtus eſt caput ſuum quod quantum in ſe eſt grauiter perturbauit.Non curat de tali vicario, primo abominatur talem, ideo eiicit de ſuo collegio ſecundum Gregorium,frigidus eſt,qui nec inchoat,nec conſummat tepidus,qui inchoat & inchoata non conſummat: Frigidus eſt omnino apertè malus, calidus eſt aperte bonus,tepidus partim à parte malus, & occulte partim bonus, ſed à parte malus. Et talis pluribus nocet in neſciendo Euangelium. Et ſi ipſum ſciat,

*Quid ſignificet tepiditas, frigiditas, & caliditas.*

A pluribus nocet in tradendo & recitando, vel ſecundum Hieron. tepidus eſt à parte remiſſus, frigidus à parte crudelis,quia zelo non feruens tepidus, remiſſus latenter,crudelis apparenter,ideo duplex iniquitas,quia talis multum poteſt nocere, Sic dicit *incipiam te emouere ex ore meo*,id eſt de Sanctorũ collegio.

Et eſt notandum quod ſicut in vomitu eſt excluſio cum difficultate & dolore, ita in damnatione malorũ eſt expulſio cum anxietate & in errore.Item ſicut vomitus fit cauſa medicinæ & corporis ſanitatis, ſed inuite quodammodo & coacte,ſic excommunicatio debet dari non ad vindictam, ſed potius ad ſanitatem,id eſt ad emendam:item ſicut vomitus quando B nimius eſt,& continuus mortem inducit & non ſalutem,ſic nunquam ſine magna, & euidenti neceſſitate debet vniuerſitas interdici.

*Vomitus fit cauſa medicinæ.* *Excommunicatio non debet fieri ſine neceſſitate.*

Hic oritur quæſtio cum eſſe frigidum ſit maius malum quam tepidum qualiter ait. *Vtinam calidus eſſes aut frigidus,& non tepidus*?Item ſicut album & nigrum ſunt contraria immediata,&ſicut album eſt impermixtius nigro,ſic calidum & frigidum, ſed frigidum eſt impermixtius calido, & calidum eſt bonum, ergo frigidum eſt minus bonum. Item tepidum appropinquat plus ad bonum quam ad calidum, ergo plus eligendum.

*De frigido atque tepido*

Reſponſio. Quidam ſunt frigidi, & multis crimi- C nibus obnoxij quorum corda plerumque Spiritus ſanctus tangit ita quod inflammati feruentiores inueniuntur & efficiuntur, quia quanto peccatores ſe fuiſſe recordantur eo amplius diligunt liberatorem. Exemplum de Magdalena:& ſunt alij qui à crimine ſe cuſtodiunt,ſed ad bona non aſſurgunt, vel propter inanem gloriam bona agunt: & hi dicuntur hic tepidi.Et quoniam tales qui dicuntur ſic frigidi, & liberius arguuntur de peccatis & facilius conuertuntur ad pœnitentiam, & feruentius poſtea pœnitent. Hinc eſt quod optat magis eſſe frigidum quam tepidum.Vnde exhortatio duplex eſt, vna eſt ſimpliciter, & abſoluta quæ eſt reſpectu maioris boni. Et eſt alia conditionalis reſpectu mali vitandi, vt quando quis D optat proiicere merces in mare ne ſubmergatur qualis eſt iſta optatio, vnde Richardus. Quando aliquis eſt confidens in fidei confeſſione & ſacramentorum perceptione, non animaduertens neceſſariam eſſe charitatem, & charitatis actionem, melius fuiſſet ei in infidelitate permanſiſſe, non quia hoc eſſet bonum.Sed quia minus malum & forſitan ad fidem aliquando conuerſus, citius ac leuius ad veram iuſtitiam conſurgeret.

*Exhortatio duplex.*

Sequitur illa pars in qua arguitur de arrogantia & iactantia,quia non ſolum tepeſcebat, ſed multipliciter ſe iactabat merito ergo, *te incipiam euomere de ore meo.quia dicis quam diues ſum*, per ſcientiæ cognitionem,per ſcripturæ E prædicationem,per ſingularis eloquentiæ nitorem,per Pontificalis officij dignitatem, per vulgi laudem inanem & vanitatem,*& locupletatus* virtutibus.*Et nullius egeo*,plenus bonis operibus.Vel *dicis diues ſum* affluentia ſapientiæ ſęcularis, *& locupletatus* affluentia ſapientiæ ſalutaris, *Et nullius egeo* ob abundantiam iuſtitiæ & virtutis: iactabat ergo ſe de innocentia culpæ & plenitudine, & ſufficientia vitæ ſecundum Greg. in moralib. quatuor ſunt ſpecies quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur. Aut cum bonum à ſemetipſis ſe habere æſtimant,aut ſi datum deſuper credant, tamen pro meritis ſuis hoc accepiſſe ſe putant, aut certè cum iactant ſe habere quod non habent, aut cum deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt habere quod habent. Vnde concludit quod qui de acceptis bonis ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat. Merito ergo ratione ſuæ iactantiæ erat arguendus, & ad cognitionem defectuũ reuocandus. Vnde ſequitur.

*Diues ſum in quibus.* *Greg. quatuor ſpecies ſuperbiæ.* *Iactantia arguenda quando mala.* *Multiplex miſeria.*

ET NESCIS QVIA TV ES MISER.] dum te decipis,

pis,*& miſerabilis* dum non intelligis, vel *miſer* peccatorum multitudine, *& miſerabilis* ratione reatus ſubſequentis pœnæ, vel *miſer* in actu *miſerabilis in habitu*& ſubdiſtinguit pōdus illius miſeriæ,*& pauper* per amiſſionē boni operis, peccator enim eſt pauper priuatione veræ opulentiæ, *cæcus* ex carentia rectæ ſcientiæ, *nudus* amiſſione ornatus iuſtitiæ , vnde iſta paupertas eſt ignominioſa, iſta cæcitas eſt periculoſa : iſta nuditas eſt opprobrioſa : & hæc omnia ſunt magis damnoſa peccatori , quando neſcit ſe eſſe miſerum in prædictis: initium enim ſalutis notitia eſt peccati. Ait enim Auguſtinus. Non eſt maior miſeria quam ignorare ſeipſum.

*Peccator eſt pauper & miſer, cæcus & nudus.*

*Initium ſalutis notitia peccati.*

Vnde Bernardus de conſideratione , licet noueris omnia myſteria lata terræ, alta cœli, profunda maris, ſi te neſcieris ſimilis eris ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructuram quærenti. Et idem in Epiſtola, multa ſciēda neſciuntur, aut ſciendi incuria aut diſcendi deſidia, aut inquirendi verecundia.

*Ignorantia non excuſat.*

Et quia huiuſmodi ignorantia non habet excuſationem , ad admonendum vero huiuſmodi iuſtitiam ſuper omnia valet ſui ipſius frequens diſcuſſio ſecundum doctrinam Chryſ. in ſermone. Quando accubueris ſuper ſtratum tuum nullam noctem tranſgredi patiaris antequam veniat tibi ſomnus quin proferas in medio codicem .ſ. conſcientiam tuam , & reminiſcaris peccata tua, ſeu quid in verbo , ſeu in facto, vel in cogitatione peccaſti. Et ſecundum Bern. Iudicabo proinde mala mea,& bona mea. Mala melioribus curabo corrigere actibus , diluere lachrymis , id eſt punire ieiuniis cæteriſque laboribus diſciplinæ ſanctæ , in bonis vero de me humiliter ſentiam & iuxta præceptum Domini ſeruum me inutilem reputabo.

*Examen conſcientiæ faciendum.*

Attende quod eſt paupertas caſus,& hæc eſt ſuſtinenda per patientiam Tob.4. *Pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum* alia eſt paupertas ſenſus ac virtutis , & hæc ſupplenda per pœnitentiam. Pſal. *Infirmata eſt in paupertate , virtus mea.* Tertio eſt paupertas ſpiritus,& hæc deſideranda per gloriam. Matthæi quinto , *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

*Triplex paupertas.*

Matth.5.

Sequitur: SVADEO TIBI EMERE AVRVM IGNITVM, ET PROBATVM VT LOCVPLES FIAS.] ad profectum virtutum exhortando, vt proficiat, confortando ne deficiat. Et ideo dicit, *Suadeo tibi emere aurum ignitum* , id eſt charitatem quæ ſic ardet in dilectione Dei , & proximi vt omnino extingui non poſſit, Canticor. 3. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Et dicitur charitas aurum , quia ſicut aurum omnia metalla ſuperat in valore , ſic charitas omnes virtutes in vigore. *Maior enim horum eſt charitas.* 1.Cor.3. Vel per aurum quod eſt ſplendidum & fulgidum, intelligitur ſapientia quæ inter dona Spiritus ſancti primum,& præcipuum tenet locum. *Suadeo ergo tibi emere à me aurum,* id eſt charitatem, quæ vt aurum fulget ignitum , quia per amorem & ardorem feruet & probatur, quia in fornace tribulationis iudicium examinationis ſuſtinet à me , à quo ſunt cætera bona ſpiritualia gratiæ , *vt locuples fias* , contra primum malum , ſcilicet ignominioſæ paupertatis.

*Charitas aurum eſt cur. Aurum ſignificat ſapientiam.*

ET VESTIMENTIS ALBIS INDVARIS.] Contra ſecundum malum opprobrioſæ nuditatis. Debent ergo hæc veſtimenta eſſe alba per candorem innocentiæ, longa ratione perſeuerantiæ , varia virtutum multitudine, odorifera opinione bonæ famæ, duplicia Dei & proximi dilectione, ſic ergo *induaris vt non appareat confuſio nuditatis tuæ,* in die apparitionis extremæ quando omnia omnibus nuda erunt. Hæc confuſio debet vitari per modicam confuſionem coram ſacerdote, quia melius eſt modo erubeſcere coram vno quam in iudicio coram omnibus, ſecundum Gregor.

*Qualia veſtimenta debent eſſe.*

*Inunge oculos tuos,* vt videas, Duo oculi animæ ſunt intellectus & affectus, qui vngendi ſunt *collirio*, id eſt diuino eloquio , vel colloquio, vel præcepto lucido illuminante oculos. Et per collirium quod cum amaritudine oculos purgat, amaritudo pœnitentiæ deſignatur, quæ, per operationem clarificat ſenſus cordis, per collirium ergo ſignificatur conſideratio ſui quæ defectus mortificat, vel confeſſio vitij quæ mentem purificat, vel compaſſio Chriſti quæ multum lætificat in Pſalm.118. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Duo oculi affectio terrenorum , & contemplatio cæleſtium.

*Duo ſunt oculi animæ. Pœnitentia ſignificatur per collirium.*

*Pſal.118. Oculi duo, qui.*

Sequitur admonitionis ratio, QVOS AMO ARGVO.]& ideo verba licet dura , ſunt toleranda. *Et caſtigo,*& ideo licet verba mea ſint dura, ſunt dulciter amplectenda. Nam ſecundum Gregorium, quos præſentia mala non corrigunt , ad ſequentia perducunt, illos vero Deus liberat quos in præſenti caſtigat, propter quod ait, *quos amo arguo & caſtigo.* Eſt notandum quod Deus flagellat & corripit hominem quinque de cauſis. Primo ad bonum, & coronæ augmentationem, ſic flagellauit Iob & Tobiam , ſecundo ad humilitatis conſeruationem , ſic Paulum. 1. Cor.12. tertio ad magnam conſeruationem, & ſic Mariam ſororem Moyſi Num.7. quarto ad gloriæ ſuæ oſtenſionem, ſic flagellauit natum cæcum, quinto ad punitionis inchoationem. Et ſic Herodem & Antiochum. 2. Mach.9. vnde verſus, Iob probat, inclinat Paulum, ſeſe manifeſtat in cæco, purgat Mariam, punit Herodem. Vel ſic, Iob , Paulus cæcus Maria punitur Herodes, hunc probat , hunc timuit, punit , manifeſtat,& addit.

*Quos Deus amat caſtigat.*

*Corripit & flagellat hominem 5. de cauſis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.*

ÆMVLARE ERGO.] pro bonorum imitatione , *& age pœnitentiam* , per condignam ſatisfactionem. *Age ergo pœnitentiam* de bonis quæ omiſiſti, de malis quæ commiſiſti, de iactantia in quam prorupiſti, de negligentia in qua defeciſti. In verbo ergo propoſito anima cuiuſque fidelis ad duo inuitatur, ad zelum perfectionis *æmulare*, ad meritum actionis, & *pœnitentiam age.* Vbi nota quod eſt æmulatio mala, & hæc multiplex videlicet. Inuidioſa Rom.14. *non in contentione & æmulatione.* Inſidioſa ad Galat.4. *Æmulantur autem vos non bene.* Iniurioſa, Pſalm. *Noli æmulari in malignantibus.* Superſtitioſa ad Galat.1. *Abundantius æmulator exiſtens paternarum traditionum.* Æmulatio bona eſt reformari per gratiā.1.Cor.12. *Æmulamini chariſmata meliora.* Item conformari per amicitiam. 2. Corint. 10. *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Item conſeruari per vigilantiam.1. Petr.2. *Quis eſt qui vobis noceat ſi boni æmulatores fueritis.* Item conſummari per perſeuerantiam, ad Galat.4. *Æmulamini in bono ſemper.* Sic ergo informatur reuerti ad pœnitentiam. Et ne poſſit eſſe dubius de venia,

*De quibus pœnitendum.*

*Æmulatio mala multiplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Æmulatio bona, quadruplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.*

Subdit ECCE EGO STO.] quaſi paratus ad ingreſſum, *ad oſtium*, id eſt ad cordis habitaculum , *& pulſo*, per prædicationis verbum. *Si quis audierit vocem meam,* prædicationem recipiendo , *Et aperuerit mihi ianuam* per veram fidem credendo. *Intrabo ad illum,* per gratiæ ſpiritualis infuſionem,*& cœnabo cum illo,* per eiuſdem iuſtificationem,*& ipſe mecum,* per iucunditatem conſcientiæ, per augmentum gratiæ , & ſpem gloriæ futuræ.

*Chriſtus ingreſſus in animam deſcribitur.*

Ecce ego ſto ad oſtium, per bonorum oblationem & pulſo per internam inſpirationem , per Scripturæ ſacræ eruditionem, per Prædicatorum inſtructionem, per beneficiorum collationem , per præmiorum promiſſionem, per paternam& amoroſam caſtigationem. Deus enim pulſat pluribus modis, ſcilicet beneficiis, flagellis, punitionibus , minis , exhortationibus, miraculis, Cantic.5. *Vox dilecti mei pulſantis , aperi ſoror me .*

*Stat & pulſat Dominus ſex modis. Item pulſat ſex modis aliis.*

SI QVIS AVDIERIT VOCEM MEAM.] audita opere adimplendo,*& aperuerit mihi ianuam*, id eſt volunta

*Voluntas ianua mortis & vitæ.*

luntatem per quam mors & vita inttant in animam, A eam ſcilicet mihi inclinando. *Intrabo ad illum*, ſicut rex in palatium, ſicut Pontifex in templum, ſicut ſponſa in thalamum: *Et cœnabo cum illo*, meipſo reficiendo, quia ſum panis vitę, *Et ipſe mecum*, de mea præſentia iucundando, licet ergo filius Dei pulſauerit, tamen conſcientiam claudunt ne intret conſiderationis diſſimulatio, vanitatis obſtinatio, correctionis deſperatio, ſatisfactionis timor, confeſſionis pudor.

*Multifariam Chriſtus ingreditur conſcientiam Conſcientiam multa claudunt.*

*Iuſtificationis ordo.*

In verbo propoſito, tangitur ordo iuſtificationis qui eſt per triplicem effectum gratię. Gratia enim habet animam deformatam reformare, reformatam oblectare, oblectatam Deo vnire, propter primum dicit, *Sto ad oſtium & pulſo*. Nota quod oſtium eſt multiplex, B ſcilicet conſcientiæ, ſcripturę, linguę, glorię.

*Primum Oſtium conſcientia obſerandum. Matth. 6.*

Oſtium conſcientiæ eſt obſerandum contra tentationem quantum ad aduerſarium. 4. Reg. 6. *Claudite oſtium, & non ſinatis eum intrare.* Secundo obſerandum per orationem quantum ad ſecretum ſilētium. Matth. 6. *Tu autem cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* Tertio reſerandum per inſpirationem quantum ad donationis beneficium, vt hic dicitur eſſe, *ſto ad oſtium & pulſo*.

*Secundum oſtium ſcripturæ quomodo aperitur. 1. Cor. 16. Tertium oſtium linguæ. Pſal. 140.*

Oſtium enim Scripturæ inuenitur ſtudioſa meditatione, Ezech. 8. *Cum perfodiſſem parietem apparuit mihi oſtium vnum.* Aperitur fructuoſa prædicatione ad Coloſſ. 4. *Orantes pro nobis vt Deus aperiat nobis*, oſtium ſermonis impeditur malitioſa impugnatione, 1 Corint. 16. *Oſtium mihi apertum eſt magnum & euidens & aduerſarii multi.* C In oſtio vero linguæ debet eſſe ſerra cuſtodiens in Pſalm: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis* debet etiam eſſe Hora conueniens, Exod. 12. *Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane.* Cauſa expediens. Eccleſ. 21. *Stultitia hominis auſcultare per oſtium, & prudens grauabitur contumelia.*

*Eccleſ. 21.*

*Quartum oſtium gloriæ. Ioan. 10. Cor. 4.*

Oſtium vero gloriæ culpabiliter impeditur, Geneſ. 18. *Percuſſit Deus Sodomitas, & non inuenerunt oſtiū.* Secundo ſalubriter apetitur Ioan. 10. *Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit ingredietur, & paſcua in me inueniet.* Tertio liberaliter apetitur. 1. Corint. 4. *Poſt hac vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo.*

*Triplex cœna gratia, Eucharistia & Gloria.*

Circa vltimum, vbi dicitur, *Cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, eſt attendendum quod eſt cœna gratiæ, Eucharistiæ, & glorię, prima paratur interius in thalamo conſcientiæ, ſecunda exterius in thalamo Eccleſiæ, tertia ſuperius in Palatio cœleſtis curiæ: igitur de cœna Euchariſtię aliquid dicamus, quia in ſequentibus de aliis dicemus, hanc igitur cœnam Chriſtus inſtituit in ſignum ſuæ liberalitatis, quia à grandi perſona, ex grandi amicitia, cum grandi familia, vnde verſus. Rex ſedet in cœna cinctus turba duodena, ſe tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

*Euchariſtia cœna cur inſtituta.*

Hanc autem inſtituit in ſignum ſuæ altiſſimæ poteſtatis, quia hic eſt ſupra apprehenſionem ſenſibilem, ſupra inueſtigationem imaginariam, ſupra conſiderationem intellectualem ſeu operationem naturalem, quod operatus eſt in iſta cœna ſacratiſſima quod ſubſiſtant accidentia ſine ſubiecto, & apprehendantur hoc eſt ſupra apprehenſionem ſenſitiuam, quod vere idem corpus ſimul ſit in diuerſis locis, hoc eſt ſupra inueſtigationem imaginariam, quod vere tantum corpus ſub tam modica ſpecie contineatur non circunſcriptum vel arctatum, hoc eſt ſupra conſiderationem naturalem. Quod autem totus panis conuertatur in totum corpus Chriſti & tamen non eſt ibi generatio, nec alteratio, ſed ſola tranſſubſtantiatio, hoc eſt ſupra operationem naturalem. Vnde in Pſalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & Miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Hoc enim eſt mirabilius memoriale mirabilium Dei,

*1. in ſignum ſummæ poteſtatis.*

*Pſal. 110. 2. Euchariſtia memoriale mirabilium Dei.*

A in quo terrena cæleſtibus, ima ſummis, viſibilia inuiſibilibus coniunguntur. Hanc tertio cœnam Chriſtus inſtituit vt habeat fidelis anima ſignum rememoratiuum dominicæ paſſionis propter memoriæ labilitatem, viaticum humanæ defectionis propter naturę debilitatem, vinculum vnitiuum humanæ affectionis propter voluntatum diuerſitatem. Sacrificium remediatiuum humanæ tranſgreſſionis propter culpę prauitatem.

*3. vt ſit ſignū rememoratiuum paſſionis.*

Et ſequitur generalis promiſſio cuilibet perſeueranti in bono QVI VICERIT carnem, mundum, dæmonia *dabo ei ſedere in Throno meo*, quæ eſt poteſtas iudiciaria, *ſicut ego vici*, humilitate honores, paupertate diuitias, pœnalitate delicias. *Et ſedi cum patre meo in Throno eius*, à quo accepi plenitudinis poteſtatem homines iudicandi. Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam. Sed omne iudicium dedit filio ſuo.*

*Quomodo vicit Chriſtus*

*Quæſtio.*

Hic oritur quæſtio cum ſedere in Throno ſit idem quod habere poteſtatem iudicialem qualis omnibus viuentibus repromittitur, cum ſolis duodecim Apoſtolis dictum fuerit. *Vos qui ſecuti eſtis me ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael?*

Reſpondeo & dico quod iudicare dicitur aliquis dupliciter, ſcilicet propriè & interpretatiuè, propriè vero quatuor modis, vt iudex ordinarius & ſic tota Trinitas iudicabit: vel vt iudex ſubdelegatus, & ſic Chriſtus iudicabit vel vt aſſeſſor iudici aſſiſtens, & ſic Apoſtoli & viri Apoſtolici renunciando omnibus propter Chriſtum iudicabunt.

*Iudicare dupliciter proprie quatuor modis.*

Vel vt iudicium continens, & ſic lex iuſtitiæ, conſcientiæ, lex euangelij & Moyſi iudicabunt.

*2 interpretatiue quatuor modis.*

Interpretatiue dicitur aliquis iudicare quatuor modis, primo ſententiæ à Deo latæ approbatione, & ſic omnes ſancti iudicabunt, ſecundo ab auctoritate 1. ad iudicem delegatum à quadam aſſimilatione, & ſic 2. pauperes à tyrannis & diuitibus oppreſſi illos tunc iudicabunt, tertio in minoris mali comparatione, & ſic minus mali peiores iudicabunt, quarto legis aſſi- 3. milatione, & ſic contemplatiui qui legem Dei in ſuis 4. cordibus conſcripſerunt quaſi libri legem Dei in ſe continebunt ſecundum quod iudicium fiet.

QVI HABET AVREM AVDIAT, QVID SPIRITVS DICAT ECCLESIIS.] Hæc autem admonitio generalis ponitur in fine cuiuslibet Epiſtolæ. Vbi excitatur attentio auditorum, D vt auditis pœnis quas comminatur, & præmiis quæ promittit diligenter inuigilent ad fugiendum malum & bonum faciendum. Apparet ergo quod iſte Epiſcopus tanquam abiectus & deſpicabilis poſtponitur & tanquam abiectus maxime reprehenditur de iactantia & temeritate, cum tamen eſſet miſerabilis plenus omni calamitate, propter quod ſibi indicitur exercitium ex ſui ipſius frequenti diſcuſſione, & amici pulſantis imitatione.

# SYNOPSIS CAPITIS QVARTI.

E IOANNES aperto in cœlo oſtio, videt nempe Deum habitu Iaſpideo & Sardinio in Throno ſmaragdino reſidentem, ac iride amictum, & circumſedentes viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia plena oculis, alis ſenis inſtructa, Deum aſſidue laudantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Viginti quatuor ſeniores

*niores procidunt cum ſuis coronis ante Thronum, & Deum celebrant.* A

## CAPVT QVARTVM.

1\. POST hæc vidi; & ecce oſtium apertum in cælo: & vox prima, quam audiui tãquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. B

2\. Et ſtatim fui in ſpiritu: & ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens.

3\. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & Sardinis: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.

4\. Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor: & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. C

5\. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

6\. Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante & retrò.

7\. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti. D

8\. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: in circuitu, & intus plena ſunt oculis & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotẽs, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

9\. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum. E

10\. Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſua ante thronum dicentes,

11\. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

## *EXPOSITIO QVARTI Capitis.*

POST HÆC VIDI, ET ECCE OSTIVM, &c. Narrata prima viſione ſuper præſidentium increpatione & correctione, hic perſequitur ſecundam ſuper myſteriorum reuelationem. Vnde Rich. Poſtquam præmiſit defectus prælatorum ad ſacramentum ſecundæ viſionis procedit. Et hoc congruo ordine quia correctos ſolet conſequi reuelatio diuinorum, hæc igitur in tres partes diuiditur, ſecundum numerum trium myſteriorum in ea principaliter contentorum, prima viſio eſt de excellentia ſedentis in throno & ei aſſiſtentium, ſecunda de cognitione libri ſignati, & eiuſdem communicantium, quinto capite, tertia de apertione ſeptem ſigillorum omnia concludentium, ſexto capite. Viſio prima eſt qua videtur ſedens in throno, quę pertinet ad contẽplationem potentiæ. Secunda qua videtur liber ſignatus, ad contemplationem ſapientiæ. Tertia qua videtur ſigillorum apertio, ad ſtatum vniuerſalis eccleſiæ. Prius caput igitur in ſex partes diuiditur: in prima oſtenditur reſeratum cœli palatium, in ſecunda ſedentis ſuper thronum faſtigium, ibi *Et ecce ſedes poſita erat in cœlo.* Tertia aſſiſtentium collegium ibi. *In circuitu ſedis ſedilia.* 24. In quarta, deſcriptio quatuor animalium ibi. *Et in medio ſedis & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retrò* In quinta continuæ laudis præconium ibi. *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus,* &c. In ſexta ſeniorum reuerentia & obſequium ibi. *Et mittebant coronas ſuas ante thronum.*

*Richardus* · *1. viſio.* · 2. · 3. · *Hoc caput in ſex partes diuiditur.* · 1. · 2. · 3. · 4. · 5. · 6.

Dicit igitur POSTHÆC] non tempore ſed ordine *vidi* abſque temporis viciſſitudine ſpirituali viſione. *Et ecce* quantum ad euidentiã, *oſtium apertum in cœlo*, quantum ad militantem eccleſiam, quæ cœlo comparatur propter ſublimitatem quam habet, claritatem ſcientiæ qua fulget, ſtellarum, id eſt fidelium varietatem quam continet Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſa in mare*, huius cæli oſtium eſt Chriſtus Ioan. 10. *Ego ſum oſtium*, cum hoc ergo oſtium Ioanni apertum oſtenditur, notatur quod ab ingreſſu nullus repellitur neo excluditur niſi culpa fuerit ſubintrantis.

VERS. 1. · *Eccleſia militans cœlo comparatur ob multa.* · *Matth. 13.* · *Chriſtus cœli oſtium.* · *Ioan. 10.* · *Cœlum dicitur ſacra Scriptura.*

Vel per cælum quod à celando dicitur poteſt intelligi ſacra Scriptura, quia ſub eius littera celatur multiplex intelligentia, & per oſtium Chriſtus, quia per ipſum aperiuntur intelligenda.

*Tubæ officia.*

ET VOX PRIMA QVAM AVDIVI,] id eſt vox Angelica, ſiue inſpiratio diuina, quæ prima eſt reſpectu vocis in corpore, & tempore, & dignitate, & cauſalitate. *Tanquam tubæ* inuitantis ad prælium, contra diabolica tentamenta, contra mundi blandimenta, contra carnis delectamenta. Ad Chriſti conuiuium, ad cæli palatium. Hoc enim conſueuit eſſe tubæ officium *loquentis mecum*, id eſt mihi nõn diſſentientis, ſed concordantis, & dulcedinem inſpirationis dulciter recipientis. Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, hæc eſt differentia inter vocem ſpiritualem & corporalem, quia ſpiritualis loquitur in homine, corporalis ad hominem.

*Pſal. 84.* · *Differentia inter vocem ſpiritualem & corporalẽ.*

Item ſpiritualis formatur interius in mente, corporalis

poralis exterius in aure dicens, *aſcende huc*, id eſt erige mentem, dilata viſum, & expande ſinum, & quod oculus carnis non poteſt, mentis intuitu contẽplare. A

ET OSTENDAM TIBI QVÆ OPORTET FIERI] in præſenti quod comparatum æternitati eſt breuiſſimum: *quæ debent fieri cito* ante finem mundi, tribulationes, perſecutiones, & poſtea conſolationes. *Et ſtatim* ſine dilatione fui in ſpirituali eleuatione. Nec eſt intelligendum quod ſpiritus fuerit à corpore ſeparatus, ſed diuina virtus ſubleuabat mentem ipſius ad myſteria contemplanda, ita quod nihil vidit, & nihil audiuit corporaliter ſed totus ſpiritualiter raptus in extaſi; ita tamen quod retinere & ſcribere potuit virtute diuina ſibi omnia imprimente.

*Ioannes raptus in extaſi.*

VERS. 2. ¶ STATIM ERGO FVI IN SPIRITV, ] paratus ad audiendum, retinendum & obediendum. Contra pigros procraſtinantes quod eis inducitur ad faciendum. Contra quos beatus Franciſcus dicit. Verus obediens mandata non procraſtinat, aures parat auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi & ſe totum intus recolligit, vt mandatum perficiat imperantis. Dicit ergo (*aſcende huc & oſtendam tibi quæ oportet cito fieri*) in quo quidem verbo Spiritus ſanctus inuitat fidelem animam ad Dei familiare colloquium vbi tria tanguntur per ordinem. Eminentia eleuationis, euidentia reuelationis, conſequentia executionis. Primum notatur in aſcenſu, ſecundum in aſpectu, tertium in euentu *Aſcende* ergo ad veritatem cõtemplandam & prædicandam iuxta illud. Iſa. 40. *Aſcende in montem tu qui euangelizas Sion. Et oſtendam tibi*, Scripturam reuelationum, preſſuram tribulationum, menſuram retributionum iuxta illud infra cap. 21. *Veni oſtendam tibi nouam nuptam, quæ oportet cito fieri*, quia oportet te impugnari per doloſitatem principum, flagellari per peruerſitatem hæreticorum remunerari per iucunditatem retributionum.

*Verus obediens quis.*

*Anima inuitatur ad Dei familiare colloquium.*

*Iſa. 40.*

Sequitur, ET ECCE SEDES POSITA ERAT IN COELO, ] id eſt cœtus Prælatorum & cœtus Angelorum diſpoſitus ordine recto, in quibus Deus ſedet & iudicat nationes, *& ſupra ſedens Chriſtus*, ſ. omnes dignitates excedens & poteſtates regens, quia *qui de cœlo venit ſuper omnes eſt*. Ioan. 3. Vbi nota quod ſupra Chriſtus dicitur inter candelabra ambulare, hîc dicitur eſſe ſupra ſedem, quia Chriſtus ibi ambulat diſcutiens & inquirens merita ſingulorum, hîc ſedet iudicans & reddens ſingulis merita eorum, illic ambulat in medio vt ſocius, hîc ſedet ſupra ſedem vt Dominus.

*Deus ſedet in Prælatis.*

*Ioan. 3. Cur ſedet Chriſtus.*

VERS. 3. ET QVI SEDEBAT SIMILIS ERAT ASPECTVI LAPIDIS IASPIDIS ET SARDINIS.] Deſcripta diſpoſitione ſedentis hîc deſcribitur ipſius ſpecies ſub ſimilitudine duplicis coloris. Per colorẽ duorũ lapidum intelligitur, ad demonſtrandum in Chriſto duplicem naturam ſcilicet humanam & diuinam, ex quarum contemplatione perpetuabitur vita noſtra. Diuina natura denotatur in iaſpide, iaſpis viridẽ habet colorem & inter omnes colores magis delectat & confortat viſum, ſic diuina ſpecies inter omnia intelligibilia magis reficit intellectum. Sardis autem habet rubeum colorem, & Chriſti humanitas fuit rubea ſanguine paſſionis. In hac ergo viſione conſiſtit tota beatitudo hominis in corpore & anima: merito ergo dicitur ſimilis iaſpidi & ſardini, quia habent vigorem in diuinitatis claritate & ruborem in humanitatis paſſibilitate.

*Duorum lapidum colores ſignificant duplicem naturam in Chriſto ſcilicet diuinam & humanã.*

Vel ſecundum Ric. viror ſignificat immarceſſibilitatẽ æternitatis, rubor calorẽ perpetuæ calamitatis. Vbi nota ad litteram de iſtis lapidibus, iaſpis enim vt dicitur in tractatu de lapidibus, febres fugat, parientibus præbet curamenta, & vt fertur, phantaſmata noxia pellit. Sardius vero eſt virtuoſus, quia cornix qui dicitur eſſe lapis faciens ſomniare terribilia, & multiplicare lites nõ nocet portanti ſardium.

*Iaſpis & eius proprietas.*

ET IRIS ERAT IN CIRCVITV SEDIS SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ, ] id eſt Virgo glorioſa in circuitu eccleſiæ protegendo, confouendo, ſuſtentando. Eccleſiaſt. 28. *Gyrum cœli circuiuit ſola*: fuit enim Virgo glorioſa, nubes concaua per humilitatem, humida per fœcunditatem, condenſa per propriam puritatem.

*Iris Maria Virgo.*

Vel per Iridem ſignificatur Verbum caro factum, ſicut enim radius ſolaris ſubintrans nubem concauam vel imbriferam ſine nubis læſione facit iridem: Sic Filius Patris candor lucis æternæ & ſpeculum ſine macula ſubintrans Virginis vterum aquis per gratiam pleniſſimæ & in ea carnem aſſumens ſine eius læſione factus eſt homo Deus manens. B Et hic poſſumus notare huiuſmodi iridis generationem, ſpecierum apparitionem. Fructum vel ſignificationem ad litteram iris arcus cæleſtis qui generatur ex reflexione caloris ad nubem aliqualiter vmbroſam, concauam, & aquoſã cum cælum aereum tali nube obducitur. Et quid ſibi vult hoc niſi quod Virgo regia gemmis ornata virtutũ, gemino mẽtis & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua & pulchritudine in cœleſtibus cognita cæli ciuium in ſe prouocauit aſpectũ? ita vt ſolis lumẽ in ſui concupiſcentiam inclinaret, & eam tanquam nubem imbriferã, & roridã ſine læſione ſubintraret; vt de ea tunicam mortalitatis aſſumens quicquid perierat repararet. Hæc eſt generatio iridis.

*Iris ſignificat Verbum caro factum.*

*Iridis generatio Mariæ partum & Chriſtum naſcentem ſignificat.*

Nunc videndum de ſpecie iridis. Eſt enim ſpecies C iridis, ſpecularis natura, circularis figura, multiformis coloris pictura: ſic Virgo glorioſa fuit puriſſima quã tum ad naturæ conditionem, perfectiſſima quantum ad donorum perceptionem, ornatiſſima quantum ad omnium virtutum aggregationem.

*Iridis deſcriptio Mariæ accommodatur.*

Vel ſecundum Bedam in libro de natura rerum: Arcus quadricolor ex ſole aduerſo, nubibuſque formatur, qui trahit colorem, de cælo igneum de aere hiacinthinum, de aqua cæruleum, de terra gramineũ: ſic in beata Virgine fuit ardor charitatis, decor caſtitatis, dulcor pietatis, vigor firmitatis. Et hæc de ſpecie iridis.

*Arcus quadricolor ex ſole.*

Nunc videndum eſt de eius fructu, qui quidem fructus eſt recordatio diuini fœderis, ne diuino iudicio diſperdatur terra & omnis anima viuens in ea: Et D per Virginem glorioſam offenſa reis remittitur, pax reſtituitur, fœdus ſtringitur, & ideo merito ſicut iris Virgo, ſcilicet, benedicta, in circuitu Eccleſiæ conſtituitur.

*Iridis fructus Mariæ accommodatur.*

VERS. 4. Sequitur tertia pars. ET IN CIRCVITV SEDIS SEDILIA VIGINTIQVATVOR, ET SVPER THRONOS VIGINTIQVATVOR SENIORES SEDENTES, ] id eſt ſancti Patres noui & veteris teſtamenti Eccleſiam ſuis meritis fulcientes: fuerunt enim 12. Patriarchæ filij Iacob, ex quibus Patres veteris teſtamenti originem traxerunt Et 12. Apoſtoli ex quibus ſancti noui teſtamenti perfectionis initium aſſumpſerunt. Hic ergo dicuntur eſſe in circuitu ſedis & ſedent in throno, quia cũ Deo iudicabunt eius iudiciũ per omnia approbantes Matth. 20. *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes 12. iudicantes 12.* E *Tribus Iſrael*. 24. ergo ſeniores ſunt Patres noui & veteris teſtamenti. Sedilia vero 24. ſunt 12. Tribus in quibus 12. Patriarchæ obtinent principatum & 12. eccleſiæ quibus Apoſtoli præſunt: hi autem omnes non nudi, ſed veſtiti erant. Vnde ſequitur.

*Viginti quatuor ſeniores ſignificant 12. Patriarchas & 12. Apoſtolos.*

*Matth. 20.*

VERS. 5. CIRCVMAMICTI STOLIS ALBIS] & gloria immortalitatis quoad ſtolam corporis. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ*, id eſt fruitio diuinæ maieſtatis quod gloriã: & in prælato debent eſſe iſta quatuor, ſcilicet maturitas, & ob hoc vocantur ſeniores, tranquillitas & propter hoc ſedentes dicuntur, vitæ puritas & ob hoc ſunt *circumamicti ſtolis albis*, ſapientiæ perſpicacitas & ideo habent coronas aureas.

*In prælato quatuor debent eſſe.*

VERS. 5. ET DE THRONO, ] prælatorum *procedebant fulgura*, id eſt virtuoſæ operationes *& voces*, id eſt admonitiones *& tonitrua*, id eſt comminationes *fulgura procedebant*, quando ad vmbram Petri ſanabantur infirmi, actuum quinto vocem dabat thronus quando dicebat Paulus ad Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Tonitrua exibant de throno, quando Ioannes Baptiſta dicebat. Matth. 3 *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.*

*Rom. 12.*

*Matth. 3.*

*Thronus Dei qualis.*

Nota quod eſt thronus Dei, dulciſſimus propitiando propter benignitatem affectus, duriſſimus iudicando propter ſeueritatem effectus, digniſſimus in contemplando propter felicitatem aſpectus infra vigeſimoprimo capite, *hæc dixit qui ſedebat in throno ecce noua facio omnia.*

*Thronus qualis Christi hominis. Pſal. 88.*

Sed eſt ſciendum quod thronus Chriſti hominis, eſt æternitate fixus, ſingularitate ſummus, ſpecularitate clarus. In Pſal. 88. *Thronus eius ſicut ſol.*

*Mariæ quare ſit thronus.*

Thronus vero benedictæ Virginis merito hîc poteſt dici. Mirus artificio quod pertinet ad fœcunditatem genitricis. Excelſus imperio quod pertinet ad ſublimitatem imperatricis. Prius adiutorio quod pertinet ad pietatem mediatricis, ad Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt miſericordiam conſequamur.*

VERS. 5. ET SEPTEM LAMPADES ARDENTES ANTE THRONVM QVI SVNT SEPTEM SPIRITVS, ] id eſt ſeptiformis gratia Spiritus ſancti reſidens ex ſanctorum præſentia: lampades 7 ſunt 7. virtutes, ſcilicet rectæ intentionis, puræ dilectionis, ſanctæ operationis, veræ prædicationis, claræ conuerſationis, altæ contemplationis, miræ conſolationis.

*Septem lampades, ſeptem virtutes.*

ET IN CIRCVITV SEDIS, ] id eſt eccleſiæ *tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo*, id eſt baptiſmus regenerantis munditiæ, & refrigerantis concupiſcentiæ.

*Mare eſt Baptiſmus.*

Per mare enim intelligitur Baptiſmus ſecundum gloſſam, quia ſicut in mari ſubmerſus eſt exercitus Ægyptiorum, ſic in baptiſmo perimitur multitudo peccatorum. Mare autem ideo dicitur vitreum propter pulchritudinem virtutum, quæ in baptiſmo cōferuntur. Cryſtallo vero dicitur ſimile per characteris firmitatem. Sicut enim cryſtallus ex aqua fit, & poſtea non poteſt de facili ſolui. Sic character cum in aqua baptiſmi confertur, poſtea non poteſt deleri.

Item per mare ſignificatur Eccleſia multis amaritudinibus reſperſa quæ dicitur vitrea & ſimilis cryſtallo propter firmitatem.

*Mare eſt Eccleſia.*

*Pœnitentia eſt mare. Thren. 3.*

Item per mare intelligitur pœnitentia propter confeſſionis, contritionis, & ſatisfactionis amaritudinem copioſam. Thren. 3. *Magna eſt velut mare contritio tua*, dicitur autem vitreum, quia ſicut vitrum intromittit radium ſuum, ſic pœnitentia gratiam Spiritus ſancti. Cryſtallo vero ſimile, quia ſicut cryſtallus gignitur ex aquis flatu ventorum, ſic pœnitentia oritur de peccatis flatu tribulationum.

*Mare eſt mundus.*

Vel per mare ſignificatur mundus, tumidus per ſuperbiam, quietus per acediam, ſpumoſus per luxuriam, feruidus per iracundiam, liuidus per inuidiam, profundus per auaritiam, dicit autem vitreum propter fragilitatem. Simile cryſtallo propter frigiditatem, hoc eſt *mare magnum & ſpatioſum manibus, in quo reptilia, quorum non eſt numerus.*

*Pſal. 103.*

ET IN MEDIO SEDIS, ] id eſt eccleſiæ tanquam veri mediatores, *& in circuitu ſedis*, velut eiuſdem defenſores: in medio quaſi columnæ ſuſtentantes, in circuitu quaſi excubiæ cuſtodientes. *Quatuor animalia*, i. quatuor Euangeliſtæ *plena oculis ante & retrò*, id eſt habentes cognitionem de his quæ Deus fecit in principio & facturus eſt in fine, vel noui & veteris teſtamenti, vel diuinitatis & humanitatis, vel virtutum & vitiorum, vel bonorum & damnatorum, vel gaudiorum cæli & ſuſpiriorum inferni.

*Quatuor animalia quatuor Euangeliſtæ.*

A Sequitur deſcriptio animalium, ET ANIMAL PRIMVM SIMILE LEONI, ] per quem Marcus intelligitur qui per deſertum quaſi leo rugiens ſuum euangelium ſic incœpit. *Vox clamantis in deſerto.*

*Quatuor Euangeliſtarum deſcriptio.*

SECVNDVM ANIMAL SIMILE VITVLO, ] per quod beatus Lucas propriè deſignatur qui à ſacrificio quod maxime fit de vitulo inchoauit dicens. *Fuit in diebus Herodis regis Iudæ ſacerdos quidam nomine Zacharias.*

TERTIVM ANIMAL QVASI FACIES HOMINIS. ] i. Mattheus qui genealogiam Chriſti deſcribens plenius & planius à generatione ſuum euangelium incœpit dicens. *Liber generationis Ieſu Chriſti Filii Dauid, filij Abraham.*

QVARTVM AVTEM ANIMAL SIMILE AQVILÆ B VOLANTI, ] id eſt Ioannes qui tanquam aquila genere nobilior, viſu limpidior, volatu celſior, Chriſtum Dei filium & incommutabilem demonſtrauit dicens, in principio ſui euangelij. *In principio erat Verbum.*

*Ioannes aquila.*

Vel per iſta quatuor animalia intelligitur ordo prædicantium propter quadrifariæ prædicationis officium in quatuor partibus mundi diffuſum. Vel quia quatuor prædicantur de Chriſto, ſcilicet incarnatio, paſſio, reſurrectio, aſcenſio. Vel quia generaliter hominibus quatuor ſunt prædicanda, ſcilicet credenda, facienda, appetenda, cauenda. Credenda vero ſunt 12. articuli, ſacramenta, teſtamenta. Operandorum vero tria ſunt genera, ſcilicet mandata ad quæ tenentur perfecti, qui ſe obligauerunt ad obſeruantiam prædi- C ctorum. Opera miſericordiæ ad quæ tenentur omnes pro loco & tempore. Fugiendorum tria ſunt ſpiritualia, ſcilicet peccatum, infernus, & purgatorium. Deſideranda autem ſunt tria, ſcilicet virtus, ſapientia, & paradiſi gaudia: item quadripartita dicitur prædicatio, quia prædicator debet, rugire vt leo comminando pœnam & timorem incutiendo, mugire vt bos, compatiendo peccatoribus & ad pœnitentiam prouocando, loqui vt homo conſolando & ad mutuam dilectionem animando, exaltari vt aquila, corda hominum ad æterna deſideria ſubleuando, & ſpem gloriæ promittendo.

*Quatuor animalia ordo prædicantium.*

*Quatuor ſunt prædicanda.*

*Prædicatoris conditiones.*

Sic ergo Leo prædicando propter magnam virtu- D tem proponendi, vitulus propter mortificationem carnis, homo propter conſolationis & compaſſionis dulcedinē, Aquila propter celſitudinē cōtēplationis.

Quatuor enim hominem perficiunt & perfectum efficiunt, ſcilicet fortitudo tollerationis in leone, labor exercitationis in vitulo, manſuetudo compaſſionis in homine, ſanctitudo meditationis in aquila.

*Quatuor hominem perficiunt.*

Vel per leonem, vitulum, hominem, & aquilā prædicatio deſignatur. In illa enim debet eſſe, rugitus commendationis in leone, mugitus compaſſionis in boue, affatus conſolationis in homine, aſpectus contemplationis in aquila, in Deut. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans.*

*Quatuor animalibus prædicatio deſignatur. Deut 32.*

Sic igitur pro collectione. ET QVARTVM ANIMAL SIMILE AQVILÆ VOLANTI. ] Verbum iſtud E poteſt ſumi ad commendationem beati Ioan. Euangeliſtæ: vt beati Franciſci, in quo quidem verbo tanguntur tria, ſcilicet plenitudo perfectionis, celſitudo cōtemplationis, prōptitudo prædicationis: perfectionem euangelicā probat animalis ornatus, contemplationē anagogicam probat aquilarum aſpectus, prædicationē euangelicam probat regularis volatus. Circa primum eſt notandum quod in illo animali erant ſpecierum vultus & ſignificat conuerſationem irreprehenſibilem: alarum ornatus, & ſignificat operationem inobliquabilem laudum contemptus & ſignificat deuotionem infatigabilem, vnde hoc patet in ſerie litteræ quia quodlibet animal ſecundum quadruplicem faciem deſcribitur. *Et habebant alas ſenas & requiem non habebant.*

*D. Ioannes euangeliſta & D. Franciſcus aquila.*

Circa ſecundum eſt notandum quod quatuor requirun

*Quatuor in com.*

*plationę requiruntur.* quiruntur in perfecta contemplatione, ſcilicet Aſ- A cenſus eleuationis, aſpectus continuationis, exceſſus admirationis, iubilus liquefactionis. De quibus quatuor per ordinem. Hier. 48. *Ecce aſcendet quaſi aquila, volabit & expandet alas ſuas.*

*Hier 48. Quatuor requiruntur in prædicatore. Pſal 54. Pſal. 17. Iſa. 4.*

Quantum ad tertium nota quod quatuor requiruntur in prædicatore ſcilicet, quod ſit promptus per obedientiam. Vnde in Pſal 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam.* Altus etiam per meditationem. In Pſalm. 17. *Et aſcendit ſuper Cherubim & volauit, ſuper pennas ventorum.* Clarus per eruditionem Iſa. 4. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas.*

Item ſit cautus per moderationem, infra 8. *Et audiui vocem vnius Angeli volantis per medium cæli.*

*Sex alæ quid ſignificent.*

Et ſequitur ornatus animalium. *Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas*, quaſi dicat, quod ſint bene inſtructi ad exercendum officium prædicationis, prima ala eſt lex naturalis, ſecunda lex Moyſi, tertia doctrina Prophetarum, quarta Apoſtolica, ſexta expoſitio ſcripturarum.

Vel ſex alæ ſunt opera miſericordiæ. Vnde Bernard. Conſule, caſtiga, ſolare, mitte, fer, ora.

*Sex alæ opera miſericordiæ.*

Vel ſex alæ ſunt deuota oratio pro obtinendis, gratiarum actio pro obtentis, remiſſio iniuriarum, largitio elemoſynarum, actio perfecta, intentio recta. Iſta quatuor animalia ſignificantur per quatuor fabros malleantes. Zachar. 1. Per quatuor quadrigas tranſportantes. Ezech. 6. Et per quatuor columnas ſuſtinentes. Exod. 26. Et per quatuor vectes ſupportantes. Exod. 25. Et per quatuor equos terram perambu- C lantes. Zachar. 1.

*Figura quatuor euangeliſtarum.*

ET IN CIRCVITV ET INTVS PLENA SVNT OCVLIS,] id eſt habent cognitionem inferiorum & exteriorum. *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia.* In animo per deſiderium, in verbo per præconium, in facto per martyrium. Dicit ergo quod requiem non habebant per continuationem bonæ operationis, occupationis, prædicationis, iubilationis, & ſpiritualis exaltationis. Semper enim orat qui benè agit ſemper, ſcilicet *die ac nocte*, id eſt proſperitatis tempore & aduerſitatis, ſed multi ſunt ſimiles Philomelæ quæ non cantat niſi in æſtate, & ipſi in proſperitate, alij pernitioni qui nõ cantat niſi in hyeme, & iſti non niſi in infirmitate.

*Orandum omni tempore*

SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, DOMI- D NVS DEVS OMNIPOTENS.] Iſte cantus eſt Angelicus, Euangelicus, Propheticus, Apoſtolicus, Sanctus ergo pater ſine terrenitate impotẽtiæ, Sanctus filius ſine obſcuritate intelligentiæ, Sanctus Spiritus ſine malignitate inuidiæ, Dominus in præſidendo, Deus in ſuſtinendo, omnipotens in operando.

*Pater Sanctus.*

*Sanctus* ergo Pater cuius formalis innaſcibilitas, cuius vniuerſalis fœcunditas, cuius principalis auctoritas.

*Sanctus Filius.*

*Sanctus* Filius quantum ad natiuitatem emanationis, exemplaritatem diſpoſitionis, libertatem ſpirationis.

*Spiritus Sanctus. Dan. 2. 2. Machab. 4. Deum adorabis. Matt. 4. Deut. 6.*

*Sanctus* Spiritus per proceſſionem liberalem, per connexionem ſocialem, per donationem principalem. *Dominus* cuius certa prouidentia Dan. 2. *Sit no- E men Domini benedictum.* Cuius plena ſufficientia, 2. Mach. 4. *Tu Domine qui nullius eges.* Cuius ſumma reuerentia. Matth. 4. *Dominum Deum adorabis. Deus* qui eſt incommutabilis vnitate, principalis primitate, inæquiparabilis ſummitate. Deut. 6. *Vide quod ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me.*

*Deus omnipotens.*

*Omnipotens*, cuius omnipotentiam nõn adæquat vniuerſitas operum, non coarctat vniuerſitas numerorum *qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*, id eſt ipſum eſſe & fuiſſe, & futurum eſſe. Vel qui erat ſine inchoatione, qui eſt ſine mutatione, & qui venturus eſt ſine defectione.

*S. Bernard. de Senis, in Apocalyp.*

Sequitur vltimum, ſcilicet exhibitio reuerentiæ ſeniorum, *& cum darent illa quatuor animalia gloriam* quantum ad vocem mentalem, *& honorem* quantum ad ſignum corporale, *& benedictionem*, quantum ad verbum vocale, *ſedenti ſuper thronum*, per omnium iuriſdictionem, *Viuenti in ſæcula ſæculorum*, quantum ad æternam dationem *procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedentem in throno*, in ſignum exhibitionis & reuerentiæ. *Et adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum*, in ſignum perfectæ obedientiæ, *Et mittebant coronas ſuas ante thronum*, Chriſto iudici ſuas victorias adſcribendo, *Dicentes* ore confitendo, *Dignus es Domine*: cuius maieſtas veneranda, cuius diuinitas adoranda, cuius poteſtas, admiranda, *Deus* fœlicitate gloriæ, B *Noſter* germanitate naturæ, *Accipere gloriam* pro reſurrectione, *& honorem* pro admirabili Aſcenſione, *& virtutem* pro dominatiua omnium ſubiectione, *quia tu creaſti omnia*, & ideo ad te ſunt omnia referenda.

Et ne credatur quod ſubitò & ex improuiſo creauit omnia Deus. Subdit. *Et propter voluntatem tuam erant* in tempore producenda vt arcana in mente artificis, quia quod factum eſt in ipſo vita erat. *Et creata ſunt* poſtea reparanda, quæ prius erant in virtute omnium creatiua, ratione aſſimilatiua, idea exemplificatiua.

Patet ergò quod in toto iſto quarto capite deſcribitur eccleſiaſticæ prælationis exordium, quia vidit oſtium apertum in cœlo, Monarchiæ ſupra cœleſtis faſtigium Iris, id eſt virginis aſſiſtentis præſidium, Patriarcharum & Apoſtolorum venerabile collegium, ſignis & miraculis coruſcantium, Baptiſmalis regenerationis ſanatorium, quatuor animalium, id eſt quatuor Euangeliſtarum inflatum eloquium, omnium ciuium prædictorum iuge diuinæ laudis præconium, & Epithalamium propter creationis beneficium, & hęc prędicta ſufficiant de iſto quarto capit.

# SYNOPSIS CAPITIS QVINTI.

*FLENTE Beato Ioanne, quod Librum ſeptem ſigillis ſignatum, ſcriptum intus & foris, nullus nec in cœlo, nec in terra aperire poſſet: Agnus primum occiſus illum aperuit, quo facto, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores, cum innumera Angelorum multitudine, omnique creatura, tam illum quam Deum celebrauerunt, & maxime glorificarunt.*

## CAPVT QVINTVM.

1. ET vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptũ intus & foris, ſignatũ ſigillis ſeptem.

2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?

3. Et nemo poterat, neq; in cœlo, neque

in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, ñeque reſpicere illum.

4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt.

5. Et vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.

6. Et vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.

7. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.

8. Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli cytharas, & phyalas aureas plenas odoramentorum quæ ſunt orationes ſanctorum.

9. Et cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo & natione.

10. Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terram.

11. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium.

12. Dicentium voce magna: dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: ſedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.

14. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas: & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.

A

## *EXPOSITIO QVINTI Capitis.*

ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SVPER THRONVM LIBRVM SCRIPTVM INTVS, ET FORIS SIGNATVM SIGILLIS SEPTEM.] Vers. 1.

Narrata prima parte viſionis de ſedentis in throno maieſtate. Sequitur ſecunda ſuper libri ſignati obſcuritate, vnde initio capitis, vbi Ioanni oſtenditur noſtræ reparationis myſterium, octo partibus continetur, primo namque Ioanni oſtenditur, diuina diſpoſitio ſuper humani generis redemptione.

*Huius capitis octo partes.*
*Prima.*
*Secunda.*

B

Secundo deſiderium antiquorum ſuper eiuſdem adimpletione, ibi, *& vidi Angelum fortem, & prædicantem voce magna.*

*Tertia.* Tertio ipſorum afflictio ſuper dilatione, ibi, *Et ego flebam multum.*

*Quarta.* Quarto lamentantium conſolatio ſuper deſolatione, ibi, *Et vnus de ſenioribus, dixit mihi, Ne fleueris.*

*Quinta.* Quinto diſpoſitionis adimpletio, *& vidi & ecce in medio throni.*

*Sexta.* Sexto congratulatio, & gratiarum actio ſuper libri apertione, *& cum aperuiſſet librum.*

C

*Septima.* Septimo Angelorum exultatio ſuper noſtra liberatione: ibi, *& vidi & audiui vocem Angelorum.*

*Octaua.* Octauo omnium iubilatio, ſuper tanta miſeratione, ibi, *& quatuor animalia dicebant. Amen.*

Dicit ergo, ET VIDI) quantum ad Præfatæ viſionis continuationem, vnde copulatiua coniunctio oſtendit iſtam viſionem, & præcedentem ad eandem methodum referendam, *in dextera ſedentis librum*, id eſt ſacram Scripturam, intus propter ſenſum myſticum, & foris propter hiſtoricum.

*Liber intus & foris ſcriptus multa ſignificat.*

Vel intus propter exercitium perfectorum, foris ad documentum minorum.

Vel intus vt ſecreta ſapientiæ indignis claudantur, foris vt attentis aperiantur.

Vel intus ne manifeſta veritas contemnatur, foris ne ignota penitus dimittatur.

D

Vel intus quantum ad myſterium diuinitatis, foris quantum ad euidentiam humanitatis.

Vel intus quantum ad figuras & ænigmata veteris Teſtamenti, foris propter facta noui Teſtamenti.

*Per ſedentem intelligere debemus Deum Patrem.*

Per ſedentem ergo debemus intelligere hic Deum Patrem propter actionis faſtigium, per dexteram filium totius creaturæ principium, per thronum Eccleſiam tanquam Dei reclinatorium, per librum ſignatum intus & foris, Scripturæ ſacræ compendium, ſignatum ſigillis ſeptem, quia multis obſcuritatibus clauſum. De quo lib. Greg. ſuper Ezech. homil. 9. liber ſignatus eſt ſacræ ſcripturæ officium, qui liber ſcriptus intus per allegoriam, foris per hiſtoriam, intus per ſpiritualem intellectum, foris per ſenſum, quia inuiſibilia promittit, foris quia viſibilia præceptorum ſuorum rectitudine diſponit.

*Liber intus & foris ſcriptus eſt ſacra Scriptura.*

E

Vel dextera ſedentis filius eſt patris liber humanitatis, liber ergo in dextra, id eſt humanitas in filio in qua eſt diuina diſpoſitio, & vtrumque teſtimonium continetur & impletur.

*Liber humanitas Chriſti in filio Dei.*

Liber ergo iſte eſt ſcriptus intus in anima literis virtutum, foris in corpore vulneribus lateris, pedum & manuum, vel intus in anima ſeptem donis, foris corpore, ſeptem infirmitatibus, Iſa. 4. *in diebus illis apprehendunt ſeptem mulieres vnum virum*, id eſt vniuerſa infirmitas, vel vniuerſæ infirmitates Chriſtum, præter ingnorantiam & peccatum,

*Iſa. 4.*

Vel ſcriptura interior poteſt dici ſcientia vniuerſorum, exterior ſeptem verba quæ protulit in cruce ad informationem noſtram. Primum fuit, *ſitio*, ſecundum

*Liber Chriſtus intus ſcriptus*

*ſcientia foris ſeptem verba quæ protulit in cruce.*

dum. *Amen dico tibi hodie mecum erit in paradiſo*, tertium *Hely*, quartum, *ecce filius tuus*, quintum *ecce mater tua*, ſextum *in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſeptimum, *conſummatum eſt*. In primo verbo ſitit ſalutem omnium, in quo docet charitatem, in ſecũdo exaudiuit petitionem pauperum, in quo docet largitatem, in tertio reſpondit ſe derelictum, in quo docet humilitatem, in quarto, & quinto parentes honorauit, in quo docet pietatem: in ſexto in tuto ſe collocauit, in quo docet ſapientiam, in ſeptimo omnia conſummauit, in quo & perſeuerantiam docet.

*Septem ſigilla Sacramenta noſtra redemptionis. Chriſtus liber intus & foris ſcriptus.*

Huius autem ſigilla ſeptem ſunt ſacramenta noſtræ redemptionis Lege figurata, & à Prophetis prænunciata. De hoc lib. Hug. de Sacr. part. 6. cap. 5. liber ſcriptus eſt Dei filius incarnatus, ſcriptus intus in diuinitate, foris in humanitate, intus in contemplatione, foris ad imitationem, intus ad ſidelitatem, foris ad ſanitatem, intus ad gaudium, foris ad meritum. Et idem lib. de Arca Noe, hic eſt liber cuius origo æterna, cuius incorporalis eſſentia, cuius cognitio vita, cuius ſcriptura indelebilis, cuius inſpectus deſiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius ſcientia dulcis, cuius profunditas impenetrabilis, cuius verba innumerabilia, & tamen in eo vno ſunt omnia.

*Liber intus veteris Teſtamenti, foris nouum Teſtamentum. Septem myſtice.*

Vel liber iſte, i. diuina diſpoſitio ſuper redemptione humani generis, ſcriptus, i. ſub littera veteris Teſtamenti clauſus foris, in nouo vero apertus, *Quando veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit.* Quid enim fuit Adæ de terra virgine plaſmatio? quid eius dormitio? quid mulieris de coſta dormientis formatio? quid Abel occiſio? quid rubi viſio? quid virgæ floritio? quid Agni immolatio? quid ſerpentis leuatio? niſi ſigilla ſignata, quæ omnia per Chriſtum ſunt aperta. Vnde ad Corint. 10. *Omnia contingebant illis in figura.* Nota quod ille liber ſignatus poteſt dici diuina diſpoſitio, ſacra Chriſti conuerſatio, Eccleſia militans, Eccleſia triumphans, Virgo beata, Apocalypſis, Chriſtus ſub Sacramento, Beatus Franciſcus.

*Multa ſignificat. Cor. 10.*

*Primo diuinam diſpoſitionem.*

Primo igitur dico liber, vt eſt diſpoſitio, eſt ſcriptus intus, exemplaritatis præparatione, foris manifeſtationis reuelatione, Iſa. 29. *Erunt verba viſionis ſicut libri ſignati*, ſeptem ſigillis, ſeptem ſigilla huius libri ſunt pelagus eſſentiæ, abyſſus omnipotentiæ, profunditas miſericordiæ, intelligentia infinitorum, præſcientia futurorum, præuiſio fiendorum, diſpoſitio ordinandorum.

*Septem ſigilla quæ.*

*Secundo ſignificat ſacram Scripturam. Ezech. 2. Sigilla ſeptem ſenſus ſcripturæ. Iudic. 9.*

Liber iſte poteſt dici ſacra Scriptura, ſcriptus intus myſticè, foris ſymbolice, Ezech. 2. *Et vidi, & ecce manus miſſa eſt ad me, in qua erat liber inuolutus.* Septem ſigilla huius libri ſunt ſeptem ſenſus, ſcilicet hyſtoricus, myſticus, tropologicus, ſymbolicus, paraboli cus, typicus, boacardemicus, vt eſt illud. Iudic 9 *Ierunt ligna, vt ſibi vngerent regem ſuper te.* Parabolicus, vt eſt illud, *operuit locuſta totam ſuperficiem terræ.* Vt ſacræ Scripturæ ſeptem ſigilla ipſam includentia, ſunt primum varietas quam prætendit Scriptura in diuerſis locis. Secundum eſt vilitas vt in lege iuſtificatur ab aliis immunditiis. Tertium ſeueritas vt in lege talionis & aliis iudiciis. Quartum obſcuritas, & in myſteriis, & figuris, & in diuerſis ceremoniis. Quintum ſimplicitas vt in conſiliis in Euangelio à Domino dato. Sextum ſublimitas, vt in articulis fidei & Eccleſiaſticis ſacramentis. Septimum diuerſitas, vt in diuerſis & variis ſententiis & ſcripturis: iſta fecerunt errare Fauſtum & Manichæum & eorum ſequaces & clauſerunt ab eis intellectum ſcripturarum.

*Chriſti humanitas liber. Sigilla ſeptem virtutes Chriſti.*

Alius liber vt eſt Chriſti conuerſatio, & iſte eſt Chriſti humanitas: iſte liber eſt ſcriptus intus ſapientia increata, foris ſapientia creata, huiuſmodi libri ſunt ſeptem ſigilla, ſcilicet paupertas altiſſima, humilitas infima, ſinceritas firma, mitiras ſumma, pœnalitas duriſſima, firmitas conſtantiſſima, veritas ſumma.

*Liber eſt Eccleſia triumphans Eccleſia militans liber.*

Alius liber qui eſt triumphans Eccleſia, eſt ſcriptus intus diuinitatis fruitione, foris viſione humanitatis, huius libri ſeptem ſigilla ſunt dotes quatuor ex parte corporis, ſcilicet claritas, agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas: Tres ex parte animæ, ſcilicet viſio, fruitio, tentio.

*Septem ſigilla ſeptem ſunt. Sacramenta, vel 7. articuli fidei. 1.*

Liber vt eſt Eccleſia militans, eſt ſcriptus intus æternis conſolationibus, foris mundanis tribulationibus: iſtius libri ſeptem ſigilla ſunt ſeptem ſacramenta, vel ſeptem articuli, quæ ſunt primo conceptio quæ fuit figurata in conceptione Iſaac. 22. Geneſis. Et Prophetata Iſaiæ 13. *Acceſſi ad prophetiſſam, & concepit filium.*

*Secundus. Iſa. 9. Iſa. 7. Num. 16.*

Secundo Natiuitas quæ fuit figurata in Natiuitate Iſaac Geneſis 21. Et Prophetata Iſa. 9. *Paruulus natus eſt nobis.* Et de vtroque Iſa. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, vtrumque figuratum fuit. Numer. 16. in virga Aaron quæ vna nocte fronduit, & floruit, & fructificauit.

*Tertius. Gen. 4. Iſa. 43.*

Tertio Paſſio quæ fuit figurata in morte Abel, Geneſis quarto. Et Prophetata Iſa. 43. *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt.*

*Quartus. Iudic. 16. Zachar. 9.*

Quarto eſt deſcenſus ad inferos, figuratus in Samſone qui tulit portas Gazæ, Iudic. 16. Et Prophetatus Zach. 9. *Tu autem in ſanguine tuo emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.*

*Quintus. 3. Reg. 18. Oſea 7.*

Quinto reſurrectio, quæ fuit figurata in ſuſcitatione filij mulieris Sareptanæ 3. Reg. 18. Et Prophetata Oſeæ 7. *Viuificauit nos poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos.*

*Sextus. Geneſ. 5. 3. Reg. 2. Pſal. 46.*

Sexto in Aſcenſione, quæ figurata eſt in tranſlatione Enoch. Geneſ. 5. Et in raptu Heliæ 3. Reg. 2. Et Prophetata Iſaiæ 13. *Quis eſt ille qui venit de Edom tinctis veſtibus de Bora.* Pſalm. 46. *Aſcendit Deus in iubilatione.*

*Septimus.*

Septimo eſt aduentus ad iudicium, qui fuit figuratus in arcu iridis poſt diluuium Geneſ. 9. Et Prophetatus, *Deus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.*

*Maria liber eſt, ſeptem ſigilla 7. figura illius.*

Liber qui eſt Beata Virgo eſt ſcriptus intus in mente, foris in carne, intus humilitate, foris integritate, huius libri ſeptem ſunt ſigilla, arcus ætheris, arca fœderis, virga germinis, rubus viſionis, vellus Gedeonis, thronus Salomonis, horologium ſolis.

*Liber eſt Apocalypſis, ſeptem ſigilla 7. reuelationes.*

Liber Apocal. ſignatus intus myſteriis, foris ſymbolis huiuſmodi, libri ſeptem ſigilla ſunt ſeptem reuelationes factæ per Angelum B. Ioanni quæ in ſerie litteræ continentur.

*Liber Chriſtus ſub Sacramento. Miracula in Sacramento altaris, ſigilla 7.*

Liber qui eſt Chriſtus ſub Sacramento Altaris, intus eſt donum fruibile, foris eſt ſignum viſibile, huiuſmodi libri ſeptem ſigilla ſunt ſeptem miracula. Primum eſt accidentium exiſtentia ſine ſubiecto, Chriſti præſentia, ſine mutatione ipſius præcedente, ſicut cognitio mea mediante voce mea, ſic tua manens mea, tertium quod totum corpus ſit ibi ſine diminutione, quartum quod comeditur, ſiue diuiſione, quintum quod ab immundis ſumitur, ſine ſui pollutione, ſextum quod in pluribus locis conficitur, ſine ſui augmentatione, ſicut ignis candelæ non minuitur, etſi multæ candelæ inde accendantur, ſeptimum quod continetur ſub tam modica ſpecie, ſine ſui arctatione & circumſcriptione.

*Beatus Franciſcus liber.*

Alius liber eſt Beatus Franciſcus ſcriptus intus ſpiritualiter per incendium compaſſionis, & foris corporaliter per ſtigmata paſſionis, cuius Leo de Tribu Iuda ſoluit ſeptem ſignacula, oſtendens circa ipſum ſeptem crucis oracula quæ ſunt hæc, ſcilicet armorum ſigno crucis inſignitorum repromiſſio, crucifixi Chriſti apparentis compaſſio, de cruce dulcis allocutio, crucis aureæ præcedentis oſtenſio, gladiorum ad modum crucis transfixio, ipſius in aëre crucifixi apparitio, ad aſpectum Seraph. crucifixi ſtigmatum impreſſio.

*Sigilla 7. crucis ſeptem oracula circa Franciſcum.*

ET VIDI ANGELVM FORTEM ET PRÆDICAN- VERS. 2.

TEM VOCE MAGNA.] poſita libri conſignatione, A exprimitur Patrum ſuſpirium ſuper eius adapertione. Vnde gloſa ſancti Patres intellexerunt aliquando à Deo diſpoſitam reparationem humani generis,& quando fieret ignorabant. Vnde dicit, *& vidi* per interiorem cognitionem *Angelum*, id eſt Patres veteris Teſtamenti, qui dicuntur Angeli propter vitæ puritatem, propter fidei vnitatem, propter myſterij probitatem, propter fortem expectationis longanimitatem,& tribulationum perpeſſionem,& prædicantem, inquirentem aliis annunciantem, *voce magna*, propter deſiderij vehementiam,& ſtudij diligentiam, Luc. 20. *Propheta & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.*

*Patres veteris Teſtamenti Angeli.*

*Luc. 10.*

*Deſiderij Patriarcharum cauſa multiplex.*

Huiuſmodi autem deſiderij fuit multiplex ratio, hoſtis deletio, humana redemptio, diuina reconciliatio, B ianuæ apertio, limbi expoliatio, auſteritatis legalis mitigatio, regni reſtitutio, ſcripturæ adimpletio, naturæ humanæ exaltatio.

Huius deſiderij vehementia exprimitur per ſeptem Antiphonas, quæ in Eccleſia in aduentu Domini cantantur, de quo dicit Bernardus, Deſiderium Patrum ſuſpirantium in carne Chriſti præſentiam frequenter cogitans & confundor & compungor in meipſo,& vix contineo lachrymas. Cui namque noſtrum tantum gaudium ingerat huiuſmodi gratiæ exhibitio quantum intulit antiquis ſola promiſſio, oſtendens ergo Eccleſia multiplicitatem morbi ante aduentum Domini ad quamlibet Antiphonam petit remedium ſibi dari.

Quia igitur eramus ignari petimus Doctorem in C prima Antiph. qui incipit. *O ſapientia*, &c.

Quia culpæ obnoxii, ideo petimus Redemptorem: in ſecunda Antiphona, quæ incipit, *O Adonay,& Dux domus*, &c.

Quia captiui, ideo petimus liberatorem in tertia Antiphona. *O radix Ieſſe veni ad liberandum nos*, &c.

Quia detenti & vincti, ideo petimus eductorem in quarta Antiphona. *O clauis Dauid*, &c. *veni & educ vinctum*, &c.

Quia obtenebrati & obnubilati, ideo petimus illuminatorem in quinta Antiphona, *Oriẽs & ſplendor*, &c.

Quia deformati, ideo petimus reformatorem & ſaluatorem in ſexta Antiphona. *O Rex Gentium veni & ſalua hominem*, &c.

Et in ſeptima idem replicamus tanquam ſumme D neceſſarium: nihil n. nobis naſci profuerat niſi etiam redemiſſet, vt ait Greg. propter quod dicimus. *O Emanuel, veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter*, in prima quæritur ſalus gentium, in ſecunda ſalus Iudæorum, vtroſque enim ſaluare venit, qui tandem mori voluit pro vtriſque.

*Cur de Aduentu Chriſti ſcriptura loquitur in particulari, & non in plurali.*

Sed hic mouetur quæſtio quare non ait in plurali numero aduentum Præſtolantes? Reſpondeo moris ſcripturæ eſt aliquando loqui in ſingulari numero de vna perſona, in qua omnes conſimiles intelliguntur, vel ideo ait in ſingulari, ad denotandum patrum concordiam in prophetando, & Chriſtum expectando.

PRÆDICANTEM ERGO VOCE MAGNA.] dicit, *Dignus es Domine aperire librum*, id eſt diuinam diſpoE ſitionem implere & clauſa myſteria ſub figura,& ænigmatibus *aperire & ſoluere ſignacula eius* obſcuritates legis explicare,& eſt ordo præpoſterus, quia prius eſt ſoluere ſignacula libri & poſtea aperire librum.

VERS. 3. ET NEMO POTERAT NEQVE IN COELO.] vt Angelus, *neque in terra*, vt homo purus, *neque ſub terra*, vt ſpiritus iam à corpore exutus, *aperire librum*, genus humanum redimere, *nec reſpicere illum*, quaſi ſacramentum illud perfectum intelligere, nec digne comprehendere, quamuis enim antiqui aliqui cognouerunt futura, ſcilicet Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, modum tamen noſtræ redemptionis, nunquam comprehendere potuerunt,

*Patres antiqui nouerunt Redemptionem ſed modum non cognouerunt.*

A Vnde B. Virgo de modo dubitans modum illius incarnationis interrogando ſcire promeruit, ipſa enim multorum habuit neſcientiam, ſed nunquàm ignorantiam, ait Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud*, & ſeq. vehemens afflictio ſuper dilatione.

Vnde ſequitur tertia pars, ET EGO FLEBAM MVLTVM.] propter remedij diſpendium, *quoniam nemo poterat ſoluere ſeptem ſignacula eius*, propter peccati iugum obnoxius, *nec videre illum*, id eſt intelligere tantum myſterium. VERS. 4.

*Cur flebat Ioannes qui nouerat myſteria.*

Sed quæritur quare Ioannes flebat cum iſta Sacramenta iam eſſent ſuo tempore reuelata & impleta? Reſpondeo flebat, ſed non in perſona ſua, ſed in perſona patrum præcedentium per quod adhuc aliud hic intelligitur,& aliud hic dicitur.

B Sequitur quarta pars, ſed quia Deus conſolatur humiles in omni tribulatione, ſequitur, conſolatio ſuper libri apertione: ET VNVS DE SENIORIBVS DIXIT MIHI, i. Prophetarum cœtus *ne fleueris*, tanquam anxius. *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda* per triumphum reſurrectionis, *radix Dauid*, propter dignitatem temporalem generationis, *aperire librum*, noſtræ redemptionis, *& ſoluere ſeptem*, &c. captiuantis obligationis. VERS. 5.

*Deſcribitur myſterium noſtræ reparationis.*

Deſcribit ergo Ioannes myſterium noſtræ reparationis quantum ad tria, ſc. quantum ad conflictum paſſionis, *Ecce vicit*, quantum ad triumphum reſurrectionis, quia *Leo*, quantum ad radicem generationis, quia *de Tribu Iuda*, in primo apparuit acerbitas, quia fuit Chriſtus leo, in ſecundo dignitas, in tertio claC ritas.

*Leo Chriſtus in Natiuitate. Iſa. 65.*

Et enim ſicut leo cauda ſua veſtigia delet ne comprehendatur, ſic Chriſtus ſub cauda humilitatis veſtigia diuinitatis abſcondit ne eum diabolus inueniret. Iſa. 65. *Vere tu es Deus abſconditus*. Iſa. 11. *Leo quaſi bos paleas comedet*.

*Leo in Prædicatione. Matt. 23.*

Item fuit leo in Prædicatione, quia audacter & viriliter reprehendebat malorum vitia & peccata, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi*. Oſ. 2. *Quaſi leo rugiet & formidabunt filii maris*.

*Leo in Paſſione. Gen. 49.*

item leo fuit in Paſſione, quia tunc propriè diabolum vicit, & vt Dauid manus eius tulit, & deleuit mortis chirographum, Geneſ. 49. *Catulus Leonis Iuda ad prædam*, &c.

*Leo in Reſurrectione. Iſa. 21.*

Item fuit leo in reſurrectione, quia tertio die D virtute Patris, quaſi voce eius reſuſcitans fuit, Iſa. 21. *Quomodo ſc. fugiat leo & catulus leonis ſupra prædam ſuam, & occurrit ei multitudo Paſtorum à voce eorum non formidabunt.* Hoc fuit poſt reſurrectionem, & Spiritus ſancti miſſionem, quando fortes ſic fecit Apoſtolos vt multitudinem Iudæorum, Philoſophorum & Hæreticorum non timerent.

*Leo in iudicio. Amos 4. Rom 15.*

Item erit leo in iudicij examinatione, quando emittet rugitum terribilem malos vſque ad puteum abyſſi profluentem, Amos 4. *Leo rugiet quis non timebit*, ergo *ecce vicit Leo radix Dauid*. generoſitate celſifica ad Rom. 15. *Erit radix Ieſſe, & qui exſurget regere gentes*, &c.

*Chriſtus de genere Dauid. Iſa. 2.*

Item germinatione viuifica. Iſ. 11. *Egredietur virga* E *de radice Ieſſe*, &c.

Victorioſitate magnifica, hic *ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid*, qui Iſai. 2. *Stat in ſignum omnium populorum ipſum gentes*, &c.

*Eccleſia thronus Dei.*

*Matth. 2.*

Sequitur quinta pars quæ eſt adimpletio ſuper promiſſionem, vnde dicit, ET VIDI, ET ECCE IN MEDIO THRONI, &c. i. Eccleſiæ quod eſt medium influentiæ, cuius vnum extremum eſt opus creationis, aliud glorificationis, ipſum vero medium eſt opus recreationis, Matth. 2 *Ædificaui turrim in medio eius.* Et in medio *quatuor animalium*, id eſt quatuor Euangeliſtarum diſcurrentium, quod eſt medium ſapientiæ, cuius primum extremum eſt notitia per rationem, ſecundum eſt notitia per ſpeciem, medium VERS. 6.

vero

*Eccleſ. 50.* vero notitia per fidem, Eccl. 50. *Quaſi ſtella in medio nebulæ: & in medio ſeniorum*, id eſt Patriarcharum & Apoſtolorum mundum illuminantium, hoc eſt medium ſanctimoniæ cuius primum extremum eſt largitas gratiæ gratis datæ. Secundum eſt fœlicitas gloriæ, medium vero ipſa bonitas gratiæ Zach. 2. in gloria enim in medio eorum, *agnum ſtantem*, id eſt Chriſtum manſuetum, & humilem, qui eſt agnus, qui eſt ablator peccatorum in Euangelio, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, apertor ſecretorum vt hic, proſtrator tyrannorum infra cap. 7. *hi cum agno pugnabunt, & agnus deuincet eos.* Ded uctor electorum infra cap. 14. *Hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* Ecce quod hic agnus ſtat vt Deus qui ante ambulabat vt ſocius, ſedebat vt Dominus *tanquam occiſum*.

*Ecce Agnus Dei, eius encomia.*

*Chriſtus verum corpus habuit.* Ex hoc verbo inſurgunt hæretici dicentes Chriſtum non verum corpus habuiſſe, ſed fantaſticum, & per conſequens non verè mortuum, ſed reſpondet Richardus, quod ly *tanquam* eſt expreſſiuum veritatis: ſicut Ioan. 1. *Quaſi vnigeniti à Patre*, & non eſt deſignatiuum ſimilitudinis.

*Ioan. 1.*

*Chriſtus ſtat & occiſus eſt multis modis.* Sed ſi ſtans erat, qualiter occiſus eſt? Solutio. Occiſus in humanitate, ſtans in diuinitate, ideo dicit, *tanquam occiſum*, quaſi in altera natura tantum.

*Primo.* Vel TANQVAM OCCISVM.] quia in ſe vere fuit occiſus ſemel, ſed in membris *tanquam occiſus*, in quibus quotidie occiditur.

*Secundo.*

*Tertio.* Vel TANQVAM OCCISVM.] quia adhuc habet cicatrices, vt ſint in teſtimonium, *Tanquam occiſum*, quia citò ſurrexit quaſi de ſomno ſurgere videretur.

*Quarto.*

*Cornua 7. ſignificant Chriſti æternam poteſtatem.* HABENTEM CORNVA SEPTEM.] id eſt regiæ poteſtatis perpetuitatem. Per cornua enim deſignatur regia poteſtas, iuxta illud. *Exaltabuntur cornua iuſti.* Per ſeptem vero intelligitur durationis perpetuitas, quia omne tempus per numerum ſeptenarium deſignatur. Et ideo recte per ſeptenarium æternitas deſignatur.

*Pſal. 47.*

*Septem cornua regna omnia.* Vel per ſeptem cornua poſſunt intelligi vniuerſa regna, ſicut per quatuor cornua quatuor regna principalia de quibus Zachar.

*Septem cornua omnes electi.* Vel per ſeptem cornua poſſumus intelligere omnes electos à conſtitutione mundi vſque ad diem iudicij. Primum cornu ſunt electi ante diluuium, ſecundum electi ante legem, tertium electi qui fuerunt ſub lege, quartum fuerunt Prophetæ, quintum ex Iudæis credentes, ſextum credentes ex gentibus, ſeptimum electi in fine mundi: hæc cornua ſunt ſolida, per patientiam, & decoratiua per innocentiam, & munitiua, per reſiſtentiam.

*Septem oculi. 7. virtutes 7. dona.* ET OCVLOS SEPTEM ]ideſt totius cognitionis claritatem, experientiam & veritatem.

Vel per ſeptem oculos, ſeptem virtutes, & ſeptem dona poſſumus intelligere. Vnde ſequitur, *qui ſunt ſpiritus Dei*, id eſt ſeptiformis Spiritus ſancti gratia miſſi in omnem terram ex plenitudinis abundantia Ioel. 3. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, &c. Et venit, per carnis aſſumptionem, & accepit de dextera ſedentis in throno librum propter patientiæ præparationem, vt regis myſteria prius occulta manifeſtaret. Vel diuinam diſpoſitionem redimendo genus humanum.

*Ioel. 3. Sap. 1. c.*

Sexta pars, ET CVM APERVISSET LIBRVM QVATVOR ANIMALIA.] i. Euangeliſtæ vniuerſi vitam Euangelicam actuantes. *Et* 22. *ſeniores*, id eſt omnes fideles opera miſericordiæ adimplentes, *ceciderunt coram agno*, de ſe humilia ſentientes, Deum magnificantes, ab eo iuſtificari humiliter poſtulantes, *habentes ſinguli cytharas*, per gratiarum actionem & per carnis mortificationem ſecundum Hier. in tractatu de carminibus cythara habet concauitatem ligni interius, & fiebat apud Hebræos cum quatuor chordis, & diuerſis modulis agebatur, per quam carnis mortificatio deſignatur. Quid ligni concauitas niſi humi-

*Cythara eſt mortificationis typus.*

A liatio deſignatur? quid cordarum quaternitas niſi cordis mortificatio vſque ad quatuor elementa. Chorda n. cytharæ ſunt nerui animalium mortuorum. Quid modulorum diuerſitas niſi gratiarũ actio?

*Deuotio eſt Phyala.* PHYALAS AVREAS.] per omnium bonorum aggregationem. Phyala n. deuotio poteſt dici quæ debet eſſe concaua humilitate, clara puritate, lata charitate, longa ſuauitate, aurea ſpecioſitate, *Plena odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, oratio comparatur odori, quia ſicut odor circunquaque diffunditur & omnibus ſe communicat, ſic oratio ſe extendit ad omnes, quanto odor maior tanto diffuſior, ſic oratio quanto deuotior tanto diffuſior & communior.

*Odori oratio comparatur. Canticum nouum de Maria.*

B Et ſequitur lætantium, & gratias agentium iucundatio, ET CANTABANT CANTICVM NOVVM.] de generis humani reparatione, de donorum gratuitorum collatione, de regni apertione. Cantus n. verus erat per temporalium beneficiorum exhibitionem, ſed illud eſt nouum pro noua annunciatione, ſc. quod mulier, concipiat ſaluo pudore, pariat ſine dolore, portet ſine labore. Nouum pro noua generatione in qua contraria reconciliantur, ſumme diſparata copulantur, priuata adunantur.

*Triplex coniunctio. Prima Dei & hominis. Secunda maternitatis & virginitatis. Tertia fidei & cordis humani.*

Coniuncta ſunt quippe adinuicem Deus & homo, mater & virgo, fides, & ratio vel cor humanum. Prima coniunctio eſt valde noua, quia coniuncta ſunt limus, & Deus, maieſtas, & infirmitas, vilitas, & ſublimitas.

C Secunda valde mirabilis: à ſæculo n. non eſt auditum quod virgo eſſet quæ peperit quod mater eſſet, & virgo peperit, & permanſit virgo, ideo dicitur ſuper terram *mulier circundabit virum*.

Tertia eſt valde noua, mirum n. fuit quomodo cor humanum his duobus aſſenſerit quod Deus homo eſſet, quod virgo peperiſſet. Quæ etiam maior nouitas quam Deum pro homine mori? quam reſurrectionis immortalitate veſtiri? Hæc ſunt quatuor mirabilia noua quæ cantabant canticum, ſc. ſacramenta vnctionis, tormenta paſſionis, argumenta reſurrectionis, condimenta retributionis: Iſtæ ergo nouitates faciunt nos cantare nouum canticum, ſ. lauacrum regenerationis ad Tit. 3. *Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris Dei noſtri*, &c.

*Lauacrum regenerationis.*

D Regiſtrum legiſlationis, Ioan. 3. *Mandatum nouum do vobis*, &c.

*Regiſtrum legislationis. Exemplum conuerſationis. Pabulum refectionis.*

Exemplum conuerſationis ad Rom. 4. *Quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris*, &c. Pabulum refectionis, Sap. 16. *Hi autem in breui inopes facti nouam manducauerunt eſcam.* Vexillum conſignationis, Sap. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*, &c.

CANTABANT ERGO CANTICVM NOVVM, DICENTES: DIGNVS ES DOMINE DEVS ] propter peccati immunitatem, *aperire librum, & ſoluere ſignacula eius*, propter ſcientiæ tuæ profunditatem, *quia occiſus*, ſpontanea voluntate, *Et redemiſti nos Deo in ſanguine tuo*, ex ſumma charitate dicit Auguſt. contra quinque hæreſes, fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum frenetici. O medicinam omnes conſulentem, omnia tumentia opprimentem, omnia tabeſcentia deiicientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia neceſſaria præſeruantem, omnia deprauata corrigentem: propter effuſionem illius pretioſiſſimi ſanguinis manus Iudæorum vſque hodie ſanguine plenæ ſunt ſecundum vaticinium Hieremiæ, non ſolum ſanguine Prophetarum quos occiderunt: ille enim teſte ſcriptura expiatus eſt centum viginti annis per captiuitatem Babylonis, ſed ſanguine Chriſti quem crucifixerunt, vnde captiui fuerunt, mille ducentis annis. En igitur ſanguis viri Ioſeph ſaluatoris mundi, ab eis exquiritur, cum vſque hodie percutiuntur ſanguine menſtruali. *Sanguis eius ſuper nos*, &c. Ecce quomodo excæcauit eos malitia eorum, nonne ſcriptum eſt præcla- *Dan. 9.*

*Sanguis Chriſti medicina efficaciſſima.*

d 4 re

*Quot Hebdomada completa ſunt in paſſione Chriſti.*

te in Prophetia Danielis Prophetæ? *Poſt Hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt.*

Si legerunt qui eum negauerunt, quocunque enim modo computaueris Hebdomadas annorum ſolarium vel lunarium confuſi ſunt, & concluſi: confirmat enim peractum Hebdomada vna quæ ſingulariter dicitur maior, & ſancta & confirmat peractum promiſſio propheticæ prædicationis, & noſtræ redemptionis: in cuius dimidio deficit hoſtia Agni Paſchalis inſtituto Sacramento altaris, & ſacrificio expiationis, imo perfecto ſacrificio reparationis in ſanguine Chriſti. Ideo quia iſte Chriſtus verus Rex & Sacerdos & hoſtia dicit in morte, conſummatum, quia ex tunc ceſſauit regnum & ſacerdorium Iudæorum, quia venerat Sanctus Sanctorum, B & expectatio gentium.

DE OMNI TRIBV, ET LINGVA, ET POPVLO, ET NATIONE.] pro ſaluandorum varietate, & multiplicitate,

ET FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNVM.] per æterni regis adoptationem, *& regnabimus ſuper terram*, per hoſtium ſubiectionem.

*Redemptioni beneficium deſcribitur.*

Beneficium ergo redemptionis hic deſcribitur, primo vt incomprehenſibile dignitate, ibi, *Dignus es Domine*, inæſtimabile charitate, *quoniam occiſus es*, incomparabile pretioſitate, *quia redemiſti nos in ſanguine*: indefectibile vniuerſitate, *quia ex omni tribu*: impretiabile fructuoſitate, quia *fecisti nos Deo noſtro regnum*, C *& ſacerdotes. Et regnabimus ſuper terram* liberatione.

VERS. 11. ET VIDI, ET AVDIVI.] id eſt perfecte intellexi ac ſi vidiſſem & audiſſem, *vocem Angelorum multorum*, Deum collaudantium, *in circuitu Throni*, id eſt Prælatorum, &, *quatuor animalium*, id eſt Prædicatorum, *& ſeniorum*, i. Doctorum vel omnium electorum, qui in ſeptem operibus miſericordiæ ſe exercent, ſecundum doctrinam quatuor Euangeliorum, *& numerus eorum millia & multa millia*, id eſt millies millia Chriſto famulantium per hoc quod dicitur millia millium notatur quod numerus Angelorum eſt finitus & infinitus. Nobis enim infinitus eſt propter millenarij replicationem, Deo vero finitus propter finitam, Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei magna voce dicentium*, id eſt magno affectu, & deſiderio D lætantium. *Nam ſi gaudium eſt in cœlo Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15. quanto magis de totius humani generis ſaluatione?

*Dan. 7.*
*Gaudium in cœlo ſuper vno peccatore pœnitente.*
*Chriſtus ab omni peccato immunis.*

VERS. 12. DIGNVS EST AGNVS QVI OCCISVS EST ACCIPERE VIRTVTEM,) id eſt à peccato immunitatem, non quin ab inſtanti ſuæ conceptionis fuerit immunis ab omni peccato, ſed quantum ad hominum euidentiam, qui eum peccatorem & deuoratorem reputabant, *& dignitatem*, id eſt notitiam quod fuerit Deus, quamuis fuerit occiſus, *& ſapientiam*, id eſt omnem cognitionem, licet viſus fuerit ignorantiam habuiſſe quando erat paruulus, *& fortitudinem*, quia diabolum vicit quamuis viſus fuerit victus in morte, *& honorem*, id eſt poteſtatis plenitudinem, quia fuit paſſus, *& benedictionem* laudis, quia E fuit conuiciatus.

*Chriſti encomia.*

Vel DIGNVS EST ACCIPERE VIRTVTEM.] contra noſtram puſillanimitatem, *dignitatem*, contra noſtram corruptibilitatem. *Sapientiam* contra noſtram ignorantiam, *fortitudinem* contra noſtram impatientiam, *honorem* contra noſtram inſufficientiam, *gloriam* contra noſtram malitiam.

Vel DIGNVS ACCIPERE VIRTVTEM.] in ſecundo aduentu quam in primo occultauit, *& diuinitatem*, in ipſo Deo quam occultauit in patibulo, *fortitudinem*, & hoſtis condemnationem, *& honorem* in reſurrectione, *& gloriam* in aſcenſione, *& benedictionem* pro fidelium glorificatione.

ET OMNEM CREATVRAM.] id eſt Dominium A omnis creaturæ, *quæ in cœlo eſt*, vt Angeli, *& quæ ſuper terram*, vt homines, *& quæ ſubtus terram*, vt dæmones, *& mare, & quæ in eo ſunt*, quantum ad omnium imperium, & ſubiectionem quod eſt dictum. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua*, &c. ad Phil. 2. *Phil. 2.*

ET AVDIVI OMNES] vna voce *dicentes* humana concordia, *ſedenti in throno*, id eſt Patri & Filio, vel *ſedenti in throno*, Chriſto, ſcilicet ſecundum diuinitatem, *& agno*, quantum ad humanitatem.

BENEDICTIO.] ratione creationis, *& honor*, ratione operationis, *& gloria*, ratione viuificationis, *& poteſtas*, ratione imperialis dominationis. *In ſæcula ſæculorum*, ratione interminabilis durationis.

ET QVATVOR ANIMALIA DICEBANT, AMEN.] VERS. 14.
B pertinet ad prædicatores qui debent alios ex officio confirmare, *& viginti quatuor ſeniores*, id eſt vniuerſi fideles maturi per bonam conuerſationem, *ceciderunt in facies ſuas* per reuerentiæ exhibitionem. *Et adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum Amen*, per immortalitatis adeptionem.

*Liber redemptionis ſignatus oſtenditur.*

Nota quod beneficium noſtræ redemptionis, hic oſtenditur vt liber ſignatus quantum ad hominum inſufficientiam & Angelorum, apertus per Chriſti clementiam, ex quo relinquitur quod eſt, incomprehenſibile propter exſoluentis dignitatem, inæſtimabile propter morientis charitatem, incomparabile propter effuſi ſanguinis pretioſitatem, indefectibile propter ſaluandorum numeroſitatem, impretiabile propter ſequentem vtilitatem, ſumme laudabile propter Angelorum inæſtimabilem iucunditatem, at nos cum eis dicamus, *Amen*.

*De orationis dignitate.*

Nota quod dicit Chryſoſt. ſuper Matth. de virtute orationis, quod ſicut ſmigmatica vel thimiamata bene confecta delectant odorantem, ſic oratio iuſti ſuauis eſt ante Deum. Vis ſcire dignitatem eius, mox vt de ore proceſſit ſuſcipiunt eam Angeli & manibus ſuis offerunt ante Deum. Vnde ſecundùm Iſidor. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & frequenter legere. Nam cum oramus ipſi cum Deo loquimur, cum vero legimus Deus nobiſcum loquitur: vt autem ſciatis qualiter orare debeatis patrem in abſcondito, expono breuiter orationem dominicam quam Chriſtus docuit diſcipulos & in eis omnem fidelem animam dicens.

*Orans Deo loquitur, legenti Deus loquitur.*

*Matt. 5.*
*De oratione dominica.*

Matth. 5. *Cum orabitis dicite Pater noſter*, &c. Iſta oratio eſt breuiſſima, digniſſima, fœcūdiſſima, quia in ea omne appetibile, ſcilicet boni collatio, & mali ablatio ſeu remotio, vtriuſque confirmatio, & in his tribus conſiſtit generaliter omne appetibile, & deſiderabile.

*Prima petitio.*

Prima igitur petitio eſt boni confirmatio ſine malo, de qua loquitur, *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum*, id eſt confirma & ſanctifica in nobis honorem tui nominis *vt nomen tuum* quod eſt Pater tanquam adoptiui filij honoremus (*Nomen tuum*) quod eſt Deus vt tanquam ſubditi ad nutum obtemperemus. *Nomen tuum* quod eſt Ieſus, vt à te ſaluatore ſalutem impetremus.

*Secunda petitio.*

E Secunda petitio eſt gloriæ optatio pro qua ſubditur. *Adueniat regnum tuum*, id eſt ad nos veniat per vtriuſque ſtolæ immortalitatem (*regnum tuum*) in quam omnium ſæculorum & omnium Sanctorum per longitudinem æternitatis interminabilis, latitudinem capacitatis incoarctabilis, celſitudinem ſublimitatis incōprehenſibilis, regnum in quo cum Chriſto regnant iuſti in æternum. O quàm glorioſum eſt regnum in quo cum Chriſto gaudent omnes ſancti, amicti ſtolis albis ſequuntur agnum quocūque ierit.

*Tertia petitio.*

Tertia petitio gratiæ infuſio, pro qua dicitur *fiat voluntas tua*, id eſt, da voluntatem tuam perficere per infuſionem tuæ gratiæ. Voluntas enim Dei ſemper fit. Sed oramus vt libertas noſtri arbitrij ſocietur per gratiā ſuæ volūtati: *fiat* igitur *voluntas tua ſicut in cœlo*, in

quo

quo omnia recte tenent curſum ſuum & ordinem *in* A *terra*, id eſt in hominibus de terra plaſmatis per indefeſſam obedientiam & finalem obedientiam.

*Quarta petitio.*

Quarta petitio naturæ ſuſtentatio de qua dicitur, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, quia craſtinum ignoramus non habentes niſi nunc de tempore, da ergo *panem* naturæ ad ſuſtentationem corporis, da *panem* pœnitentiæ ad reuelationem languoris, da *panem* intelligentiæ contra famem erroris, da *panem* Euchariſtiæ ad purgationem amoris, da *panem* gloriæ ad delectationem ſaporis, iſtis quinque panibus ſatiauit Dominus quinque millia hominum. B

*Quinque panes.*

*Quinta petitio.*

Quinta petitio eſt culpæ præteritæ remiſſio pro qua dicitur, *Et dimitte nobis debita noſtra*, id eſt peccata quibus obligamur ad culpam, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, quaſi dicat fac nobiſcum miſericordiam vt ſic nos cum proximis in remittendo gratis illatam iniuriam.

*Sexta petitio.*

Sexta petitio eſt mali futuri præſeruatio & excluſio pro qua dicitur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Et ſi inducis da virilem protectionem, nec permittas nos cadere in hoſtis antiqui illaqueationem, dicit, & ſi nos permittas induci per ſenſum vt excitemur, non tamen induci per actum nec per conſenſum, quibus ad mortem obligamur. C

*Septima petitio.*

Septima petitio eſt imminentis & præſentis periculi amotio pro qua ponitur *ſed libera nos à malo*, quaſi dicat. Sic remittas præterita vt præſerues nos à futuris & liberes à præſentibus. *libera* ergo *nos à malo* mundi ne nos comburat per cupiditatem. *A malo* carnis ne nos abſorbeat per voluptatem, *à malo* diaboli ne nos perdat per iniquitatem. Amen eſt nota & optatio omnium prædictorum.

*Tria mala, ſcilic et mundi, carnis, & diaboli.*

*Septem petitiones applicantur ſeptẽ virtutibus.*

Aliter accipitur numerus ſeptem petitionum penes proprietates ſeptem virtutum: ita quod prima ſumitur penes fidem *formatam* cuius eſt corda ſanctificare, cum dicitur, *Pater noſter qui es in cælis*, &c.

*Primo fides.*

*2. ſpes.*

Secunda penes ſpem cuius eſt regnum Dei præſtolare, cum dicitur, *adueniat regnum tuum.* D

*3. charitas.*

Tertia penes charitatem cuius eſt voluntatem Dei adimplere & eius beneplacitum, cum dicitur, *fiat voluntas tua.* &c.

*4. fortitudo.*

Quarta penes fortitudinem cuius eſt in aduerſis confortare, cum dicitur, *panem noſtrum quotidianum*, &c,

*5. iuſtitia.*

Quinta eſt penes iuſtitiam, cuius eſt vnicuique ius ſuum reddere & dimittere, cum dicitur, *& dimitte nobis* &c.

*6. prudentia.*

Sexta penes prudentiam, cuius eſt mala futura præcauere. *Et ne nos.*

*7. temperantia.*

Septima penes temperantiam, cuius eſt à malis præſentibus abſtinere, ideo dicitur. *Sed libera nos à malo.*

*Septem petitiones contra ſeptem mortalia peccata.*

Item aliter accipiuntur prædictæ ſeptem petitiones contra ſeptem vitia capitalia. E

*1. contra luxuriam.*

Et prima petitio eſt, contra luxuriam, quæ non ſanctificat ſed polluit.

*2. contra auaritiam.*

Secunda contra auaritiam, quæ regnum mundi concupiſcit.

*3. contra acidiam.*

Tertia contra acidiam, quæ voluntatem Dei nunquam perficit.

*4. contra gulam.*

Quarta contra gulam, cui panis non ſufficit.

*5. contra rancorem.*

Quinta contra iram, quæ rancorem non dimittit.

*6. contra ſuperbiam.*

Sexta contra ſuperbiam, quæ in tentationem inducit.

*7. contra inuidiam.*

Septima contra inuidiam, quæ malum proximi appetit. Et hæc dicta ſufficiant quantum ad præſentem lectionem. &c.

# SYNOPSIS
## CAPITIS SEXTI.

*AGnus ſeptimi libri intus & foris ſcripti, ſigilla reſignat, quibus apertis, admiranda quædam quæ latebant, viſa ſunt: etenim primo aperto ſigillo, apparuit equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, dataque eſt ei corona; aperto ſecundo exiuit equus rufus, & ei qui inſidebat equo, datus eſt gladius magnus: aperto tertio, apparuit equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtaturam in manu ſua; aperto quarto, viſus eſt equus pallidus, & qui ſedebat ſuper illum nomen ei mors, & infernus ſequebatur eum: aperto quinto, apparuerunt ſubtus altare, animæ interfectorum propter verbum Dei: aperto ſexto, factus eſt terræ motus quidam magnus, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna ſicut ſanguis & ſtellæ de cœlo in terram ceciderunt quamplurimaque alia viſu mirabilia apparuerunt: & hæc ſunt quæ hoc in capite à Joanne viſa commemorantur.*

---

### CAPVT SEXTVM.

1 ET vidi quod aperuiſſet Agnus vnum de ſeptem ſigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni, & vide.
2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.
3. Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui ſecundum animal, dicens: Veni, & vide.
4. Et exiuit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.
5. Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce, equus niger: & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſua.
6. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris

tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læſeris.

7. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

8. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

9. Et cum aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant.

10. Et clamabant voce magna dicentes: Vſquequo Domine, (ſanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra.

11. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

12. Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræmotus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis.

13. Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum à vento magno mouetur.

14. Et cælum receſſit ſicut liber inuolutus: & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.

15. & reges terræ, & principes & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris.

16. Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum; & quis poterit ſtare?

---

## EXPOSITIO SEXTI Capitis.

*Vers. 1. Hoc caput diuiditur in ſeptem partes.*

ET VIDI QVOD APERVISSET AGNVS VNVM DE SEPTEM SIGILLIS, &c.] Præmiſſa prima parte viſionis ſuper ſedentis in throno dominatio-

A ne. Et 2. ſuper libri ſignati apertione. Hic ponit tertiam ſuper 7. ſigillorum reuelatione. Vnde Richard. Cuncta quæ in præcedentibus huiuſmodi viſionibus continentur ad ſacramentum redemptionis humanæ vere referuntur, quæ vero in 7. ſigillorum apertione ad ſtatum vniuerſalis eccleſiæ profuturum finaliter reducuntur. Præſens igitur caput in ſeptem partes munerum diuiditur ſecundum ſeptem ſigilla, iſta ergo ſigilla ſic diſtinguntur ſecundum Bedam: in primo enim ſigillo, oſtenditur eccleſiæ primitiuæ decurſus & perſecutio, in ſecundo paſſio martyrum & ſanguinis effuſio, in tertio hæreticorum perſecutio, in quarto falſorum fratrum fictio, in quinto victoria triumphorum, in ſexto rabies Antichriſti, & ſequentium ſuorum, in ſeptimo meritum æternæ B quietis beatorum.

*Septem ſigillorum apertio ſtatum futurum Eccleſiæ ſignificat.*

Prima pars eſt pro primo ſtatu eccleſiæ qui fuit Apoſtolorum, qui ſignificatur per equum album, cuius ſeſſor Chriſtus eſt qui primum ſigillum aperuit. Dicit ergo (*& vidi*) per internam reuelationem (*quod aperuiſſet vnum de ſeptem ſigillis*) id eſt omnia myſteria adimpleſſet vſque ad aſcenſionem, quæ in veteri lege fuerant ſigillata & obſcure & ænigmatice prædicata, ſicut enim ſigillum eſt, ſecreti regis celatiuum, contentoris ſignatiuum, auctoritate munitiuum. Sic ſacra ſcriptura eſt arcanorum cæleſtium contentiua, celatiua & munitiua. Et hæc ſigilla Chriſtus aperuit, quando ſicut erat in ſcripturis ſacris promiſſum, in plenitudine temporis adimpleuit.

*1. Pars. Primum ſigillum Apoſtolorum.*

*Sigillum quid.*

Primum igitur ſignaculum aperuit dum mundum redimendo & à mortuis reſurgendo, & dona Spiritus ſancti eccleſiæ infundendo, paternæ promiſſionis pri- C mordia vſque ad illud tempus latentia in ſe complenit & exhibita demonſtrauit iuxta illud Dan. 12. *Claude ſermones & ſigna librum vſque ad tempus.*

*Sigillum, quando apertum.*

*Dan. 12.*

Sequitur, *Audiui vnum de animalibus quatuor*, ſcilicet Marcum qui primus eſt in hac viſione, quia principaliter de reſurrectione agit dicens. *Tanquam vocem tonitrui*, per miraculorum coruſcationem,

*Primū animal D. Marcus.*

Sed hic quæritur quare cum prædicatio reſurrectionis eſſet ſuauis & dulcis per vocem tonitrui deſignatur? Ad hoc reſpondeo, quia coruſcantibus miraculis nunciauit ideo cum voce tonitrui intonuit, *veni* greſſibus, actionibus, gradibus aſcenſionis *& vide* contuitu eleuationis.

*Cur Prædicatio de Reſurrectione Chriſti per tonitruum deſignatur.*

ET VIDI ET ECCE EQVVS ALBVS,] id eſt Apoſtolorum candidatus exercitus ab omnibus peccatis vnda baptiſmatis purificatus, & donis ſpiritualibus D ſuper niuem dealbatus, *& qui ſedebat ſuper illum*, id eſt Chriſtus per auctoritatis præſidentiam *habebat arcum* propter ſacræ ſcripturæ abundantiam, *& data eſt corona* propter triumphalem victoriam, *& exiuit* à patre per carnis aſſumptionem vt diabolicam deſtrueret ſuggeſtionem & ſuperaret tyrannorum elationem.

*Vers. 2.*

Equus ergo albus, eſt dominicum corpus, Chorus Apoſtolicus, Spiritus humanus.

*Equus albus Chriſtus.*

Equus igitur poteſt dici Chriſti humanitas, cuius ſeſſor diuinitas propter animoſitatem pugnæ virtuoſitatem gratiæ, ductibilitatem obedientiæ.

*Eius qualitates.*

E Fuit Chriſtus equus animoſus ad pugnandum. Iob. 39. *equus procul odoratur bellum*, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.

*Audacia. Iob. 39.*

Velociſſimus ad prædicandum. Abacuc. 1. *Leniores pardis equi eius*, ſcilicet ad prædicandum. Promptiſſimus ad obediendum, iam equis in ora fræna mittimus.

*Velocitas. Abacuc. 1.*

Fuit autem albus Chriſtus ſapientia ſpeculari, innocentia ſingulari, refulgentia exemplari.

*Debetur corona Chriſto triplex.*

Et ideo debetur ſibi corona iudicialis ſententiæ, perſonalis excellentiæ, vniuerſalis præſidentiæ, de prima habetur Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion & videte*

*Cant. 3.*

*date regem Salomonem in diademate quo coronauit eum matter ſua.* A

*Pſal. 8.*

*Item corona quadruplici Chriſtus coronatus eſt.*

De ſecunda in Pſal. 8. *Minuiſti eum pauleminus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.*

De tertia vero habetur hic. *Et data eſt ei corona.*

Inuenies autem Chriſtum quadruplici corona coronatum, prima eſt Carnea, qua coronatus fuit à matre in vtero, & hæc corona contexta fuit de puriſſimis ſanguinibus Virginis, ſecunda eſt Spinea qua coronatus fuit à nouerca ſynagoga in patibulo, & hæc contexta fuit peccatorum noſtrorum aculeis, tertia fuit Gemmea qua coronatus fuit in reſurrectionis triumpho, & hæc contexta fuit ex dotibus B pretioſiſſimis ſui corporis glorioſi, quarta eſt Aurea qua coronatus fuit in mundo propter conuerſionem fidelium, & hæc contexta eſt ex liliis Virginum, ex roſis martyrum, ex violis humilium.

*1. Carnea. 2. Spinea. 3. Gemmea. 4. Aurea.*

*Arcus Chriſti fortitudo.*

Arcus Chriſti eſt fortitudo omnipotentiæ, lignum eſt rectitudo militiæ, chorda eſt dulcedo miſericordiæ.

Et Ideo exivit ] cum virtute diuinitatis *vincens* ſub ſpecie humilitatis, *vincens* liberatione æquitatis.

*Apoſtolorum cœtus equis propter tria comparatur.*

Cœtus etiam Apoſtolicus comparatur equo, equis enim attribuitur ferocitas vultus, velocitas curſus, C ductilitas motus: ſic Apoſtoli fuerunt viriles in perſecutione, agiles in prædicatione, ductiles in aſpiratione.

*Fuerunt albi in tribus.*

*Debetur eis corona triplex.*

Sed fuerunt albi, conſcientiæ puritate, ſapientiæ veritate, eloquentiæ claritate, ideo debetur eis corona aurea propter ſapientiæ claritatem, ſiderea, propter conſcientiæ puritatem, lapidea, propter patientię firmitatem.

*Anima ob tria dicitur equus.*

*Alba propter tria.*

*Arcus anima ratio.*

Dicitur tertio equus ſpiritus humanus, virilis in tentatione hoſtis, agilis in executione operis, ductilis in manſuetudine cordis, ſed dicitur albus, baptiſmali regeneratione, pœnitentiali reformatione, virtuali candidatione,

Arcus vero ratio dirigens, chorda voluntas erigens vel eligens. D

Exivit ergo vincens vt vinceret. ] Et hæc verba poſſunt ſumi pro cœtu martyrum, vel pro aliquo martyre, de quo dicitur, virtuoſus in pugna, victorioſus in palma, glorioſus in ſtola. Quantum ad primum, nota quod iſte, exitus fuit, magnanimus in aggregando, æquanimis in tollerando, longanimis in expectando. Quantum ad ſecundum, nota quod ad perfectam victoriam requiruntur, militaris expeditio, familiaris conformatio, exemplaris informatio. Et ideò *exiuit vt vinceret*, quia ex hoc imperialiter decoratur, immortaliter coronabitur, æternaliter præmiabitur.

*Ad perfectam victoriam tria requiruntur.*

Vers. 2.

*Secunda pars.*

Et ſequitur, Cvm apervisset sigillvm secvndvm avdivi secvndvm animal dicens ] Oſtenſa proſperitate in ortu ſurgentis ecclesiæ, hic oſtenditur aduerſitas perſecutionis ex tyrannorum rabie. Et hæc ſecunda pars in qua agitur E de ſecundo ſtatu Eccleſiæ qui fuit tempore martyrum, apertio huius ſecundi ſigilli eſt prædicatio paſſionis Chriſti quæ in lege ſigillata erat.

*Secundum ſigillum ſtatum Eccleſiæ tempore martyrū deſignat.*

*Equus tyrannos ſignificat illius deſcriptio.*

Eqvvs ] tyrannorum exercitus, Cuius ſeſſor diabolus, cuius gladius poteſtas nocendi, & ſanctos interficiendi.

Dicit ergo quod Cvm apervisset sigillvm secvndvm, ] videlicet agnus Dei per carnis immolationem. *Audiui ſecundum animal*, ſcilicet Lucam qui ſpiritualius deſcribit eius paſſionem dicens. *Veni & vide* per ſollicitam attentionem.

Vers. 14.

*Secundum animal Lucas.*

Et Exivit eqvvs, rvfvs, ſcilicet principum exercitus, ſanguine ſanctorum rubicundus. *Et qui ſedebat ſuper eum*, ſcilicet diabolus *datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra*, id eſt permiſſum eſt ei, vt mundum tribularet ſuis ſuggeſtionibus.

*Pax æterna quomodo tollitur.*

Et ſumere pacem de terra eſt pacem terrenam tollere ne ibi quæratur requies vbi perfecte non poteſt inueniri quod facit tribulatio. Nam ſecundum Gregor. Cum mundus tot calamitates & miſerias ingeminat, quid aliud niſi vt fugiamus clamat?

*Interfectio duplex.*

Et vt invicem se interficiant ] Deo permittente & diabolo ſuggerente, vel per occiſionem materialem, vel, per falſam perſuaſionem & detractionem.

Et ſunt multi ſecundum Bedam interfectores, quia multi detractores ſe adinuicem linguarum gladio perimentes.

*Contra aliquos qui de omnibus male iudicant.*

Dicunt enim ſecundum Bern. Si quis ſtudet & vacat humilitati, quod hypocrita eſt, ſi recreationi, guloſus eſt, ſi patientiæ, timidus, ſi iuſtitiæ, impatiens, ſi ſimplicitati, fatuus eſt, ſi prudentię malitioſus ſi maturitati phantaſticus eſt, ſi iucunditati diſſolutus eſt, ſi religioni ſingularis eſt, ſi ſilentio ſimulator, ſi aliorum correctioni præſumptuoſus eſt, ſi inſtat vigiliis & orationibus indiſcretus eſt, ſi dormitioni ſomnolentus eſt, ſi prædicationi & aliorum ſaluti appetitor laudis eſt, ſi deſiſtit negligens eſt & remiſſus, ſi habet gratiam adulator, ſi adulari renuit ſuperbus iudicatur. Iſti ſic ſe iudicantes ſunt ſe adinuicem interficientes.

*Equus rufus.*

Et datvs est illi gladivs magnvs, ] i. poteſtas magna ſanctos perſequendi & interficiendi. Equus ergo ille rufus fuit malitia effrenatus, quam concomitantur, rumor ſuperbiæ, feruor iracundiæ, furor inuidiæ, & à primo valde diuerſus. Nam ille candet pro bonitate regenerationis, iſte rubet per ſanguinis effuſionem, illius ſeſſor erat Chriſtus, iſtius eſt diabolus.

Vers. 5.

*Tertia pars.*

Sequitur tertia pars. Et cvm apervisset tertivm sigillvm avdivi tertivm animal dicens Veni et vide, ] hic agitur de tertio ſtatu eccleſiæ & ſigilli apertione, videns enim diabolus ſe nihil proficere in occiſione martyrum, ſed magis eorum virtute & patientia Eccleſiam roborati. Suſcitauit hæreticos qui per ſe exponentes ſcripturam hæreſes adduxerunt. Et quia plures hæreſes circa Natiuitatem verſantur. Ideo *tertium animal*, ſcilicet Matthæus alloquitur qui expreſſius de Incarnatione Saluatoris determinauit.

*Expoſitio de tertio ſtatu tempore hæreticorum.*

Eqvvs igitvr niger, ] eſt hæreticorum cœtus, ſeſſor diabolus qui tenet *ſtateram in manu* quæ eſt peruerſa expoſitio ſcripturæ. Dicit ergo. Vers. 5.

Et cvm apervisset tertivm sigillvm, ] id eſt cum reſeraſſet arcanum ſuper hæreticorum ſimulationem & fictionem. *Audiui tertium animal*, ſcilicet Matthæum inſtruentem ſuper dominica Incarnatione dicentem. ( *Veni & vide* ) diligenti inſtructione. Vers. 5.

Et ecce eqvvs niger, ] id eſt congregatio hæreticorum denigrata ſordibus peccatorum. Vers. 5.

*Statera ſcriptura.*

Et qvi sedebat svper, ] id eſt diabolus ductor eorum præcipuus *habebat ſtateram in manu*, id eſt peruerſam ſcripturarum expoſitionem quæ ſtateræ comparatur, quia ſicut ſtatera ſine pondere de facili mouetur huc atque illuc. Sic ſacra ſcriptura, ſi non haberet pondus catholicę expoſitionis, fluctuaret huc atque illuc. Et ſicut ſtatera per aſtutiam falſi mercatoris poteſt male inclinari. Sic ſcriptura per aſtutiam falſi expoſitoris poteſt falsò exponi. Vers. 5.

Eqvvs ergo ille erat *niger*, quia excæcatus aſtutia propter defectum charitatis, pietatis, & veritatis.

Et statera, ] diaboli eſt peruerſio perſuaſionis ad decipiendum.

*Statera multiplex.*

*Prou. 16.*

*Iob. 16.*

Statera vero hominis conſideratio ad exponendum, diſcretio locutionis ad proponendum. Statera Dei diſcretio iudiciorum. Prou. 16. *Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt*. Statera etiã eſt proportio ſuppliciorum.

ciorum. Iob. 16 *Vtinam appenderentur peccata mea & calamitas quam patior in ſtatera.*

*Perſecutio occulta periculoſior aperta*

Et quia perſecutio occulta magis periculoſa eſt quam aperta. Ideo Ioannes refert ſe audiſſe *vocem in medio animalium* ad cauendum verſutiam hæreticorum dicens.

VERS. 6. ET AVDIVI TANQVAM VOCEM IN MEDIO QVATVOR ANIMALIVM, ] id eſt Chriſtum dirigentem ſermonem prædicantium, tanquam medium mentalis influentiæ in paſſione, ſupernalis colligantiæ in Incarnatione. Ioan. 1. *Medius veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.*

DICENTIVM, quia Chriſtus nos dirigit per quatuor animalia in meritis & præmiis *bilibris tritici denario vno*, id eſt intelligentia ſana & firma vi catholici præmiabuntur *denario vno*, quia æterno præmio, *& tres bilibres hordei*, id eſt ſimplices fide illuminati *denario vno* eodem præmio, ſcilicet quia præmium eſſentiale maioribus & minoribus eſt commune.

*Bilibris quid ſit.*

Ad euidentiam litteræ eſt notandum quod bilibris vas eſt capiens duos ſextarios ſiue duas libras & ſignificat ſacram ſcripturam habentem duplicem intelligentiam. ſcilicet hiſtoricam & myſticam: libra ergo vna eſt ſenſus litteralis, alia ſpiritualis.

*Triticum quid.*

Triticum vero, quod eſt cibus nobilium, nouum ſignificat teſtamentum. Bilibris igitur tritici idem eſt quod intelligentia noui teſtamenti duos ſenſus continens quaſi duas libras, ſcilicet litteralem & ſpiritualem.

*Hordeum quid.*

Hordeum vero quod eſt cibus ruſticorum & iumentorum duritiam habet in cortice, ſed medullam interius dulcem, ſignificat ſcripturam veteris teſtamenti, quæ data eſt iudæis rudibus & exterius in littera prætendit duritiam, ſed interius continet ſuauitatem intelligentiæ. Et quia vetus teſtamentum ſicut nouum habet duplicem ſenſum, ſcilicet hiſtoricum & myſticum.

Similiter dicitur BILIBRIS HORDEI, ] Sed quia continentia veteris teſtamenti tripartita eſt apud Hebræos, ſcilicet in legem & Prophetas & Agiographos. Ideo dicitur *tres bilibres hordei*, quia tres ſunt partes veteris teſtamenti, quia quælibet habet duos ſenſus principales, per denarium ſignificatur vnitas fidei, quia vtrumque teſtamentum vnitatem perfectæ fidei continet, recte debent vendi & emi vno denario. Et bilibris tritici & tres hordei contra hæreticos ſacram doctrinam peruerſe exponentes, quaſi dicat. Nolite timere vos fideles, ſi hæretici exponunt male ſcripturam, quia *bilibris tritici*, id eſt intelligentia totius noui Teſtamenti cauſat ſecundum intelligentiã litteralem ſpiritualem, *denario vno*, id eſt vnitate perfecta venditur & emitur.

*Tres bilibres quid ſignificantur.*

VERS. 6. ET TRES BILIBRES HORDEI DENARIO VNO.] id eſt ſana intelligentia veteris Teſtamenti ſecundũ vtrumque intellectum denario vno, quia emitur & venditur vnitate perfectæ fidei ſicut nouum: & merito idem pretium eſt vtrobique, quia eadem intelligentia in vtraque tanquam rota in medio rotæ Ezech. 1. id eſt remunerabit eadem remuneratione.

In vanum igitur laborant hæretici, quia nunquam perueniunt ad rectam intelligentiam ſcripturarum niſi per vnitatem perfectæ fidei quæ vno denario, id eſt eodem præmio præmiatur.

VERS. 6. Sequitur: ET VINVM ET OLEVM NE LÆSERIS.] vinum eſt legis auſteritas, oleum Euangelij ſuauitas, illud inebriat, iſtud ſanat & pungit, ſed hoc vngit, illud mentes euertit, iſtud dementes conuertit, vinũ ergo & oleũ lædit qui vetus Teſtamentũ & nouum male exponit, ideo ergo hæreticis qui ſignificãtur per equũ nigrum conuenienter, dicitur *vinum, & oleum ne læſeris*, id eſt, ſacræ ſcripturæ intelligentiam ne depraues.

*Lædere vinum & oleum quid.*

Triticum ergo vt eſt ſcripturæ expoſitio trituratur meditatione, decoquitur prædicatione, incorporatur adimpletione.

*Triticum ſcriptura expoſitio.*

Triticum vero vt dicitur anima expiata à peccato poſſet dici vt ſit triticum exterſum à palea immunditiæ.

Hordeum vero accipitur ab obſcuritate legis moſaycæ, quia habet thecam obſcuritatis in velamine, thecam rugoſitatis in cortice, medullam ſuauitatis in ſpirituali expoſitione.

*Lex Moſayca hordeum.*

Per vinum vero poteſt contemplatio deſignari, ſcilicet Chriſti, de quo poteſt dici quod nil videtur limpidius, adoratur ſuauius, guſtatur ſapidius, tangitur amabilius. Poteſt dici etiam prædicatio.

*Vinum contemplatio. Vinum quatuor &c. Vinum prædicatio.*

Vinum potans compaſſione, curans contritione, flagrans conſolatione.

Oleum vero compaſſio feruida dicitur. Nam eſt compaſſio remiſſiua iniuriæ, oſtenſiua beneuolentiæ, compaſſiua beneficentiæ. Oleum dicitur conuerſatio vel ſplendida, pulchra, pacifica, & quieta.

*Oleum compaſſio.*

Denarius vero ſignificat vnitatem pretij. Luc. 10. *protulit duos denarios*, vnitatem fidei, Matth. 24. *Nonne ex denario conueniſti mecum*, vnitatem imperij. Matt. 20. *obtulerunt ei denarium* vnitatem præmij. Matth. 20. *acceperunt ſingulos denarios.*

*Luc. 10. Matt. 24. Matth. 20. Matt. 20.*

Sequitur quarta pars. ET CVM APERVISSET SIGILLVM QVARTVM AVDIVI VOCEM QVARTI ANIMALIS DICENTIS VENI ET VIDE, ] deſcripta perſecutione aperta tam tyrannorũ quam hæreticorũ, hic deſcribitur occulta fratrũ falſorum, vbi agitur de quarto ſtatu Eccleſiæ in quo fuit peſtis hypocritarum quos diabolus introduxit in Eccleſiam, vt per eos ſecretius & familiarius domeſticos perturbaret, conſiderans namque humani generis inimicus, nec per aſtutias, nec fraudulentias hæreſum ſe proficere; ſed per hoc Eccleſiam robuſtiorem & cautiorem fieri, introduxit hypocritas tanquam vulpeculas ſubdolas, quæ vineam demolirentur Domini, dicit ergo.

*VERS. 7. 4 pars. De quarto ſtatu Eccleſia tempore hypocritarum. Sigillum quartum.*

ET CVM APERVISSET SIGILLVM QVARTVM.] videlicet agnus ſtatum quartum Eccleſiæ reuelando. *Audiui vocem quarti animalis dicentis*, per quartum animal deſignatum myſtice agnoſcendo Ioannes figuratur, qui verbum apud patrem æternaliter coexiſtens & tandem carni vnitum contemplans cæteris altius euolauit.

*VERS. 7. Ioannes quartum animal aquila.*

VENI ET VIDE. ET ECCE EQVVS PALLIDVS ET QVI SEDEBAT SVPER EVM, ] qui doctor & rector eius, *nomen illi mors*, id eſt diabolus, qui fuit primus auctor mortis & ad mortem trahere non deſiſtit.

*VERS. 7. Diabolus auctor mortis.*

Vel gloria vana per quam mortificantur tota die.

ET INFERNVS SEQVEBATVR EVM, ] id eſt collectio damnandorum ſicut membra caput.

Et poſſumus dicere quod hypocritæ habent gloriã ante oculos & nunquam pœnam inferni, ſed poſt tergum. *Et data eſt illi poteſtas*, diuina permiſſione *ſuper quatuor* mundi climata, vel ſuper quatuor regna principalia, vel ſuper paganos, iudæos, hæreticos & falſos Chriſtianos.

*Hypocritæ, quales.*

Vel SVPER QVATVOR PARTES TERRÆ, ] id eſt ſuper omnes illos qui cordis affectiones, ſcilicet timorẽ, gaudiũ, & dolorẽ in terrenis ponunt, de quibus Bernardus ait, Timent quæ non oportet, amant quæ non oportet, amant quæ non decet, gaudent vane dum non oportet, & dolent de quibus non decet.

*Quatuor partes terra myſtice.*

Vel DATA EST EI POTESTAS SVPER QVATVOR PARTES TERRÆ, ſcilicet ſuper oriens ſuperbiæ, occidens auaritiæ, auſtrum luxuriæ, aquilonem inuidiæ.

*Item quatuor partes terræ.*

Iſti etiam interficientur *gladio* malæ ſuggeſtionis, *fame* terræ ambitionis, *morte* æternæ damnationis *& beſtiis terræ* beſtialis exterminationis.

Sic igitur patet quod quadruplex ſtatus Eccleſię in

*Quadruplex Eccleſiæ ſtatus.*

præſenti

præſenti ſerie deſcribitur, ſcilicet multitudo orientis Eccleſiæ quantum ad viros Apoſtolicos, qui deſignantur per equum album.

Secundo perſecutio Eccleſiæ quantum ad tyrannos, qui per equum rufum deſignantur.

Tertio infectio doctrinæ quantum ad hæreticos, qui per equum nigrum figurantur.

Quarto ſimulatio vitæ quantum ad hypocritas, qui per equum pallidum ſignificantur. Extenuantur inuidia, quam conſequitur liuor proprij commodi, languor alieni, rancor odij. Et in iſtis prædictis præſens lectio terminatur quantum ad prædictos quatuor ſtatus.

5. pars. VERS. 9. ET CVM APERVISSET SIGILLVM QVINTVM VIDI SVBTVS ALTARE ANIMAS INTERFECTORVM PROPTER VERBVM DEI.] B

Oſtenſa multiplici perſecutione inſurgentium contra Eccleſiam, hic ponitur conſolatio diuinæ protectionis & remunerationis & præmiorum exuberantis.

Vnde hæc eſt quinta pars huius capitis, in qua graues, & magnas tribulationes prodit Auguſt. & aperit ne tædio afficiantur ſancti, qui erant huiuſmodi tribulationibus affligendi, & confirmentur magnitudine præmij. Dicit ergo.

*Quintus ſtatus Eccleſiæ. altaria tabernaculi.* ET CVM APERVISSET SIGILLVM QVINTVM, reuelando quintum ſtatum Eccleſiæ, *vidi ſubtus altare*, id eſt in ſecretario diuinæ gloriæ, ſicut recitat hic Haimo in Tabernaculo Moyſi duo erant altaria. Vnum ſub dio in quo ſacrificia cremabantur de quo Exod. 28. Et vnum intra ſancta ſanctorum, in quo ſanguis & thymiama reponebantur: & figurabant duos ſtatus, ſed poſtquam factum eſt vnum altare & vnum ſacrificium, Chriſtus ſcilicet Ieſus qui in ara crucis ſeipſum in redemptionis humanæ præmium immolauit. C

VIDI ergo SVBTVS ALTARE.] diuinæ protectionis & cuſtodiæ, *animas interfectorum propter verbum Dei*, propter præceptum Dei quod implebant, vel propter Euangelium Dei quod prædicabant in corde, & teſtificabantur & confitebantur ore & opere, *propter verbum Dei*, id eſt propter prædicationem filij Dei? vnde in principio erat Verbum.

ET PROPTER TESTIMONIVM QVOD HABEBANT.] teſtificantes verbum caro factum eſt. *Iſte enim eſt qui teſtimonium perhibuit verbo Dei: & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.* D

Vbi nota ſecundum Auguſt. quod in diuinis eſt dicere duplex verbum, ſcilicet perſonale, quod eſt filius, & eſſentiale quod eſt totum vniuerſum, ſumitur ergo hoc ſecundum dictam expoſitionem, verbum perſonale non eſſentiale, intelligibile nō ſenſibile, ſpirituale non imaginabile, vnde Auguſt. vox eſt ſonus cogitationis & index, verbum vero ipſa cogitatio, & eſt notandum quod tranſlationis huius nominis ad diuina, quadruplex eſt ratio, ſcilicet originalis emanatio, ſecretalis occultatio, exemplaris diſpoſitio, naturalis impermixtio. *Duplex verbum.* *Difficionis verbi ad diuinum tranſlationis quadruplex ratio.*

*Prima.* Prima igitur ratio eſt originalis emanatio, ſicut enim verbum oritur à mente ſine diminutione, ſic Filius à Patre omnimodo æqualiter Pſalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.*

*Secunda.* Secunda ratio eſt ſecretalis occultatio, ſicut enim verbum intelligibile notum eſt ſoli intelligenti, ſic filius ſoli generanti, Prouerb. 25. *Gloria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inueſtigare ſermonem.* Et Io. 11. *Nemo nouit niſi pater.*

*Tertia.* Tertia ratio eſt exemplaris diſpoſitio, ſicut n. omnem rationalem actionem præcedit cognitio, ſic Pater ab æterno diſpoſuit in Verbo filio, ad Heb. 8. *Fide intelligimus ſæcula aptata eſſe verbo Dei.* *Hebr. 8.*

*Quarta.* Quarta ratio eſt naturalis impermixtio. ſicut enim verbum voce inducitur, & voce tranſitur, nec tranſit A in vocem dum voci vnitur, ſic Verbi perſona carne vnitur, Luc. 1. *Videamus hoc verbum quod factum eſt*, licet ergo ſit aliqua ſimilitudo, eſt tamen maior diſſimilitudo, verbum increatum differt à dicente per eſſentiam, per dationem quantum ad virtutem, ſed inter verbum increatum, & generātem reperitur æqualis identitas, eadem coæternitas, ſimilis dignitas, par virtuoſitas. Primum teſtificatur Ioannes 1. cap. *Deus erat verbum*, ſed Dauid eximius Prophetarum Spiritus ſancti oraculo illuſtratus, dicit. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Tertium ille Sap. Eccleſ. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſo.* Quartum Paulus Doctor gentium, raptus vſque ad tertium cœlum ad Heb. 1. *Portant omnia verbo virtutis ſuæ.* Hæc dicta ſunt ad honorem Verbi incarnati. *Luc. 1.* *Verbum creatum differt à verbo increato. Ioan. 1.* *Eccl. 1.* *Heb. 1.*

Huic verbo orienti omnia teſtimonium perhibent, quia cœli coruſcant, Angeli vigilant, ſtella oritur, in qua puer cum ſigno crucis oſtenditur, fons olei Romæ profluxit, templum pacis corruit, huic Prophetæ teſtimonium perhibent, Angeli adminiſtrando, omnes creaturæ obtemperando, huic Martyres nomen ſaluificum confitendo, Actuum 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent in cœlo*, &c. *Verbo incarnato omnia teſtimonium perhibent.* *Act. 10.*

Sequitur: ET CLAMABVNT VOCE MAGNA.] præ intentione deſiderium, declarantes. Magnus clamor animarum eſt magnum deſiderium earum, & tanto maiorem vocem in aures ſpiritus exprimunt, quanto ardentius ſe in eius deſideriis fundunt, dicentes, *Vſquequo Domine ſanctus*, in operibus, *verus* in promiſſionibus, *non iudicas* diſcernendo, & vindicas *ſanguinem noſtrum*, pœnas in ſtercoribus, vel peccatoribus infligendo *de his qui habitant in terra*, non ſolum corporali habitatione, ſed mentali affectione. Et ecce habitatio ciuitatis huius mundi optima eſt: ita videtur mundi inhabitatoribus quod ſit ciuitas bona propter diuitias, melior propter delicias, optima propter honores & excellentias. *Clamor animæ quid.* *Mundi ciuitas.*

Sed econtrario mala eſt propter diuitias quæ citò pereunt, peior propter delicias quæ citò tranſeunt, peſſima propter honores qui nimis afficiunt, Hic oritur quæſtio. Cur ſancti de inimicis vindictam expectant. Cum Dominus dicat. Matth. 5. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Item ſecundum Auguſt. 83. quæſt. Beatus eſt qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult: ergo Beatorum non eſt aliquid mali petere quia habent omnia quæ volunt. *Matth 5.*

Reſponſio ſecundum Greg. animæ Sanctorum in ponderoſitate ab ipſo aliquid dicuntur petere, modo quod quicquid deſiderent quod à bona voluntate eius videtur diſcrepare, ſed quò mente ardentius inhærent, eo ipſo accipiunt, vt ab ipſo petant quod n. facere nouerint de ipſo igitur bibunt quod ab ipſo ſitiunt, & modo adhuc nobis incomprehenſibili in quod petendo eſuriunt ſatiantur. Verba igitur præmiſſa dicunt ſanctos vindictam petere non pœnam, vel malum optande, vel in ea delectando, ſed iuſtitiæ congratulando, & voluntati eius ſe per omnia conformando, ſancti enim ita ſunt coniuncti Deo, vt gaudeant de omni ipſius volito à Deo, Pſal. 7. *Lætabitur iuſtus cum videbit vindictam manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* *Sancti quando petant vindictam.* E *Pſalm. 67.*

VERS. 11. ET DATÆ SVNT EIS SINGVLÆ STOLÆ.] quantum ad animarum glorificationem, *albæ* quantum ad matutinam cognitionem, *& dictum eſt illis*, id eſt notificatum per diuinam ſuſpirationem, *vt requieſceret adhuc tempus modicum*, videlicet vſque ad generalem retributionem qua boni præmiabuntur, & mali exterminabuntur.

DONEC COMPLEATVR NVMERVS FRATRVM VIRORVM.] conſeruorum eorum qui ſunt ſerui eiuſdem, & fratrum eorum qui eiuſdem Patris cœleſtis filij qui interficiendi ſunt, illi, ſcilicet profeſſione eiuſdem fidei ſecundum doctrinam Iſidor. de ſummo

*Frater obligatur fratri ob rationes vndecim.*

bono, admodum membrorum eiuſdem compaginis A frater ſemper obligatur fratri. Eiuſdem ordinis in articulis poſt notandis. Primo quod fratri ſuo, nec facto, nec verbo, aut ſigno noceat, ſecundo quod offendenti miſericorditer indulgeat, tertio quod de malo fratris condoleat, quarto quod de bono ſuo congaudeat, quinto quod fratris ſcandalum præcaueat, ſexto quod offenſo fratri ſine dilatione ſatisfaciat, ſeptimo quod ei in neceſſitate ſubueniat, octauo quod cauſā fratris non negligat, nono quod fratrem delinquentem charitatiue corrigat, decimo quod charitatē cum fratre habeat, vndecimo quod in cauſa periculi pro fratre animā exponat, & hoc quantū ad quintā partē quinti ſigilli, per quod quintus ſtatus Eccleſiæ deſignatur.

VERS. 12. *Sexta pars huius cap. de ſtatu Eccleſiæ tempore Antichriſti.*

ET VIDI CVM APERVISSET SIGILLVM SEXTVM. ET ECCE TERRÆ MOTVS FACTVS EST MAGNVS, &c.] Hæc eſt ſexta pars illius, in qua agitur de ſexto ſtatu Eccleſiæ, & ſexti ſigilli apertione, quæ nihil aliud eſt quam prædictio futura tempore perſecutionis, & tribulationis Antichriſti, tam in hominibus quā in corporibus ſupercœleſtibus. Dicit ergo.

ET VIDI CVM APERVISSET SIGILLVM SEXTVM.] ſuper Antichriſti futura tribulatione. *Et ecce terræ motus factus eſt magnus,* ad litteram pro vniuerſali commotione. Matthæi 22.

Vel alio modo exponendo, terræ motus factus eſt magnus, quia à veritate in falſitatem, à charitate in impietatem, à caſtitate in immunditiam, ab humilitate in ſuperbiam, à iuſtitia in iniquitatem, à prudentia in fatuitatem, à miſericordia in ſeueritatem.

ET SOL FACTVS EST NIGER TANQVAM SACCVS CILICINVS.] quantum ad ſui luminis retractionem, vnde Ioel. 2. *Sol & luna obtenebrati ſunt, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis,* propter ſui opacationem, *& ſtellæ ceciderunt ſuper terram,* ſcilic. erraticæ quantū ad orbium ſuorum derelictionem, *ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum à vento mouentur,* propter caloris defectum & indigeſtionem, ad litteram ficus dicitur à fœcunditate, vnde propter humoris abundantiam emittit groſſos ſuos, id eſt fructus primarios, & cum deficit calor ſufficiens ad digerendum, moti à vento cadunt de facili.

VERS. 14. ET COELVM RECESSIT SICVT LIBER INVOLVTVS] propter motus ſui velociorem peragrationem, Matth. 24. *Et virtutes cœlorum mouebuntur.*

*Matth. 14.* ET OMNIS MONS, ET INSVLÆ DE LOCIS SVIS MOTÆ SVNT.] propter elementi terreni complanationem.

*Tribunus vnde dicitur.*

ET REGES TERRÆ.] quantum ad ſuperiores, & dicuntur *tribuni* ſecundum Iſidorum, eo quod iura tribuunt, vel dicamus quod primo oſtenditur commotio, vel mutatio quoad litteratos, ſecundo quoad laicos, ibi, *& reges terræ,* primum proponitur ſub metaphora, ſed in ſecundo propter ſimplices plana narratur hiſtoria.

*Cur cœlum & terra mouebuntur in fine.*

Primum proponitur contra clericos qui negligunt ſtudium ſcientiæ ſalutaris vt excitentur, ſecundum cōtra laicos qui contemnunt imperium ſummę maieſtatis, vt terreantur, & reges, & quod tanta erit ibi mutatio ſpiritualis in hominibus, tam in clericis quam laicis, tam ſecularibus quam regularibus, tam ſuperioribus quam inferioribus, oſtendet Deus per immutationem corporis vniuerſi, *Quoniam ſol ſicut ſaccus cilicinus,* in eclypſi ſolari per lunæ interpoſitionem, vel alicuius alterius corporis alterabilis interiectionem.

ET LVNA FACTA EST QVASI SANGVIS.] ſicut aliquando contingit per eclypſim, tunc tamen notabilius & horribilius apparebit.

ET STELLÆ CECIDERVNT DE COELO.] quia tūc impreſſiones quæ dicuntur ſubtiles deſcendentes multiplicabuntur terribiliter in noſtro hemiſpherio, & tandem ſuper terram ſenſibiliter & faciliter, *ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum mouetur à vento, & cœlum receſſit ſicut liber inuolutus,* quia totum tenebroſum apparebit hominibus, vt nihil de ipſo appareat hominum aſpectibus.

ET OMNIS MONS ET INSVLÆ DE SVIS LOCIS MOTÆ SVNT.] quia per elementi terreni complanationem omnia adæquata erunt, aliter quantum ad clericos exponitur.

*Cœlum & liber inuolutus quid ſignificent.*

ET COELVM RECESSIT.] recte ſicut homo ſapiens eſt, & inter aliquos qui non curant de ſocietate Prælatorum virorum, Eccleſiaſticorum, Religioſorum: iſti non ſolebant conuerſari in cœlis. videns quod non curant de ipſo medico recedit, vnde dicitur, *cœlum receſſit ſicut liber inuolutus,* in libro enim inuoluto nemo legit, ſic in libro bonæ vitæ, quia nullus legit, nec attendere vult, clauſus eſt, & inuolutus per modum illum, quoniam ſtudentes recedunt de vno loco, & ſe alio transferunt, libros ſuos non ſolum claudunt, ſed inuoluunt.

*Montes & inſulæ quæ motæ ſunt quid ſignificant.*

ET OMNIS MONS, ET INSVLÆ DE LOCIS SVIS MOTÆ SVNT.] hoc dicitur quantum ad Philoſophos: poſtquam enim liber vitæ clauſus eſt relinquitur quod homines phyſici conuertantur, propter quod dicitur hic. *Et omnis mons* quantum ad philoſophantes de ſenioribus, ſicut Mathematici & Metaphyſici ſunt montes eleuati reſpectu aliorum. *Et inſulæ* quantum ad philoſophos naturales, *motæ ſunt de locis ſuis,* quia verus, & bonus Chriſtianus ſuam ſcientiam, & conſcientiam fundat ſuper locum ab auctoritate diuina, ſed philoſophantes fundant ſe ſuper adinuentionem humanam, per quam frequenter fallunt, & falluntur, arguunt, & decipiuntur, *motæ* ergo *ſunt de locis ſuis,* quia à fundamento fidei in quo ſtare debemus ſicut in loco, nam horribilis eſt talis immutatio & commotio.

*Ad laicos venit.*

ET REGES TERRÆ.] ſupra locutus eſt de viris Eccleſiaſticis, & litteratis per ſimilitudines aliorum, vt det ipſis materiam ſtudij.

Hic conuertit ſe ad laicos ſeculares loquens de eis ſub propriis ſimilitudinibus, ne per ignorantiam ſe excuſent in furore vltimi iudicij.

ET REGES.] Eccleſiæ immutatio quantum ad laicos ſeculares, primo quantum ad reges in quibus eſſe debet prudentia ad regendum.

2. quantum ad *principes* in quibus debet eſſe diſcretio ad conſulendū: eorum miniſtros, & officiales in quibus debet eſſe miſericordia ad erogandū: cōtinentes, in quibus debet eſſe potentia ad debellandū, & reſiſtendū contra tentationes: & omnes ſubditi, in quibus debet eſſe diſtinctio ad merita proportionandū. Circa omnes totum erit, & eſt immutatū, nec aliquid de prædictis poteſt inueniri in eis, vt dicitur hic, quia *abſconderunt ſe.* Illud n. quod poteſt de facili inueniri non eſt bene abſconditum, quia nec reges regunt, ſed reguntur, nec principes terræ conſulunt, ſed decipiūt & decipiuntur, nec tribuni, & officiales ius tribuunt, ſed per eos iura ſubuertuntur, nec diuites erogant, ſed cōmuniter pauperes in contemptu habent, nec vt fortes reſiſtunt, ſed muliebres efficiuntur, nec inter merita & demerita fit diſtinctio, ſed communius omnia meritis poſteriorantur.

Propter quod dicitur: QVOD REGES TERRÆ, ET PRINCIPES, ET TRIBVNI, DIVITES ET FORTES, ET OMNIS SERVVS, ET LIBER ABSCONDIT SE.] q.d. Tales non poſſunt inueniri vt poſſit dici iſte eſt talis. VERS. 15.

*Caro poteſt dici ſpelunca, & qua de cauſa.*

Sed IN SPELVNCIS, ET IN PETRIS MONTIVM.] in ſpeluncis vero non eſt habitatio hominum propriè ſed ferarum & ſerpentum, vnde caro poteſt dici ſpelunca in qua habitant motus carnales, beſtiales & ſerpentes, de petris montium non fiunt ædificia communiter, ſic nec in diuitiis & honoribus atq; pompis quæ ſunt montes mūdi nō poteſt eſſe ſolida

habitatio

habitatio vel ædificatio:in iſtis tamen multi, & maiores habitant,& tanquam in petris montium ſolidis ſe abſcondunt & intrantes ad earum intima quantum poſſunt,dij enim montium ſunt dij eorum, vnde in petra habitant,non in petra Chriſti.

ET REGES TERRÆ.] ibi quantum ad ſuperiores, *& principes*, quantum ad mediocres, *& tribuni*,quantum ad inferiores ſecundum Iſidorum, & qui iuta tribuunt, *& diuites*, quantum ad temporalium abũdantiam, *& fortes*, per potentiam, *& omnis ſeruus,& liber*, quantum ad omnium conditionem, *abſconderunt ſe in ſpeluncis, & petris montium*, propter tanti terroris infallibilitatem, de quibus finaliter exibant velut amentes.

Et dicent: MONTIBVS ET PETRIS, CADITE SVPER NOS.]propter pauoris exinanitionem,& *abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum contemptores* doctrinæ Chriſti,& ſequentes prauam vitam & veſtigia Antichriſti.*Et ab ira Agni*, quantũ ad humanitatem,vnde ſecundũ Aug.de vera innocentia, quamuis nunquam recedat Pater à filio; ad iudicandum tamen viuos & mortuos non ipſe dicitur, ſed filius affuturus, quia ibi, nec patris, nec filij diuinitas, ſed ipſa forma filij, quam ſibi per Sacramentum incarnationis vniuit: ipſa ergo erit iudex quæ ſub iudice ſtetit in ipſa iudicabit quæ iudicata fuit, vt videant impij eius gloriam in cuius manſuetudinem ſæuierunt: talis ergo apparebit iudex qualis videri poſſit ab his à quibus coronatus, & ab his quos damnaturus eſt. O, dicit Gregor. ſi ſapere poſſes in cordis palato, quid admirationis Ioannes habet, cum dicit, *Ecce ſponſus venit*, quid dulcedinis, *intrauerunt cum eo ad nuptias*, quid amaritudinis, *& clauſa eſt ianua.*

VERS. 14. *Stupendum & horrendũ ſpectaculum in futuro iudicio.*

Sequitur: QVONIAM VENIT DIES MAGNA IRÆ IPSORVM] ſcilicet damnationis & reprobationis damnatorum, vnde iſta ira nihil aliud eſt quam peccati iuſta vindicta, & quis poterit ſuſtinere, niſi adiutus ſuffragiis ſanctorum, ſecundum Gregor. In die illa tremendi examinis cum Angelis & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cum Principatibus,& Poteſtatibus apparebit filius hominis in cœlis, terra, & ardentibus cunctis elementis in obſequiis Chriſti terrore commotis, in illa die tribus contra tribum pectora tundent, tunc reges inclyti nudo pectore palpitabunt, tunc aderit ſtultus Plato cum diſcipulis ſuis, tunc nihil proderunt argumenta,nec mundana ſcientia, nec ſophiſtica,tunc iudicabuntur omnes fines terræ, quis tunc poterit ſuſtinere æterni iudicis ſententiam,vbi cuncta ſimul peccata ante oculos redibunt & erunt, ibi omnia quæ cum delectatione hic acta ſunt, ad memoriam cum amaritudine reuocabuntur. Hæc Gregor. Quis etiam poterit ſuſtinere terrorem iudicis, & tormenta pereuntium; cum Sol & Luna atque cætera non valebunt intueri,ſed potius retraher fulgorẽ ſui luminis,& ſeueritatem iudicantis examinãtis vniuſcuiuſque opus ad caput ſuum aſpicere non audebunt,

*Sol. Prælatorum cœtus.*

Vel aliter exponamus, *Sol* Prælatorum cœtus qui dicitur alios illuminare, quantum ad cognitionem Dei,& inflammare quantum ad dilectionem proximi, *Sol* igitur *factus eſt niger* negotiorum ſollicitudine, Thr.4. *Denigrata ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cognita in plateis*, ſed tanquã *ſaccus cilicinus*,præ cupiditatis magnitudine non dicit tanquam burſa,nec tanquam ſacculus importans ſanctitatẽ cum aſperitate, ſic Prælati,& eorum miniſtri ſub pallio ſanctificandi eos excommunicant,& tamen multis aliis aſperitatibus ab eis pecunias extorquent:& non tantum burſas,ſed & ſaccos implent, Iſa.14. *Replebuntur domus eorum draconibus*, id eſt detractatoribus, *& habitabunt ibi ſtruthiones*,id eſt hypocritæ,*& piloſi ſaltabũt*,id eſt cupi-

*Thren.4.*

*Corruptio Prælatorum deſcribitur.*

*Iſa.14.*

A di, & auari, & officiales, *reſpondebunt vlulæ in ædibus ſuis*, id eſt ſaltatrices & ioculatores. *& ſyrenæ in delubris voluptatis*, id eſt adulatores.

Quantum ergo ſpectat ad Prælatos Eccleſiæ in verbo propoſito deſcribitur priuilegium paſtorale nomine *ſolis*, principium perſonale, quia *factus eſt niger*, ſcandalum vniuerſale, quia *tanquam ſaccus cilicinus.*

*Paſſio Chriſti deſcribitur in ſole patiente.*

In verbo propoſito deſcribitur paſſio Chriſti quantum ad perſonalem auctoritatem in ſubiecto patiente ſole, quantum ad pœnalem acerbitatem, in ſupplicio perimente factus eſt &c. quantum ad naturalem infirmitatem in aſſumpta humanitate in ſacco cilicino.

*Chriſtus ſol oriens.*

Circa primum eſt notandum quod Chriſtus fuit B ſol oriens in incarnatione,occidens in ſua paſſione, oriens in reſurrectione,regrediens in aſcenſione,fuit autem ſaccus cilicinus conſutus Spiritus ſancti operatione, indutus humana aſſumptione, occiſus in paſſione.

Sequitur: ET LVNA TOTA FACTA EST SANGVIS.] id eſt Eccleſia tota facta eſt carnalis non in ſanguine Apoſtolorum, ſed nepotum & conſanguineorum procedens per ſucceſſionem ſanguinis. quia fere vbique nepos cum auunculo, conſanguineus cum conſanguineo ſuccedit in beneficio *luna igitur*, id eſt Eccleſia, *facta eſt ſanguis*, voluptatis, fœditatis & carnalitatis, Ioel. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem antequam veniat dies Domini magnus*: vnde abundantia ſanguinum in Eccle- C ſia ſignum eſt iudicij appropinquantis, & quia Eccleſia in ſanguine nimium abundat,bona eſſet minutio,& minoratio vel humiliatio.

*Luna Eccleſiam ſignificat.*

*Ioel.2.*

Accipiendo generalius in ſcriptura luna eſt ſolaris luminis ſuſceptiua per conceptionem Verbi, & poteſt dici Virgo glorioſa. Eccleſ. 43. *Et luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis*, Secundo eſt noctis illuminatiua,ſic Maria ſuis lucet, tertio temporis diſtinctiua, ſcilicet per oſtenſionem ſacri exercitij,Eccl. 50. *Quaſi luna plena in diebus*, per diſcretionem modi agendi in Pſal. 103. *Fecit lunam in tempora*. Quarto ordinis conſeruatiua per continuationem boni incepti;Abac. 3. *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo,& ſtellæ cæli*, id eſt clauſtrales, & religioſi *ceciderunt ſuper terram*, id eſt de habitatione cæleſti D ad terrenam,de clauſtrali ad mundanam.

*Maria Luna eſt. Eccl.43.*

*Eccl.50. Pſal.103. Clauſtrales ceciderunt vt ſtellæ. Abacuc.3.*

Vbi ſciendum quod in verbis iſtis tangitur, gradus perfectionis, quia *ſtellæ*, lapſus tranſgreſſionis, quia *ceciderunt* ſtatus religionis,quia *de cœlo*, debent religioſi merito dici ſtellæ, propter claritatem luminis ſapientiæ. propter formoſitatem habituum gratiæ, propter ſublimitatem graduum gloriæ, quod ſpectent ſi velint perſeuerare, & ſtare ne cadant.

*Angeli ſunt ſtellæ. Abacuc.3.*

Aliter exponendo ſtellæ ſunt Angeli fundati ſuper claritatem luminis ſapientiæ, ſicut de religioſis dictum eſt, Baruch. tertio. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis.* Secundo propter formoſitatem,&c. Eccleſiaſt. quadrageſimo tertio, propter formoſitatem E habituum gratiæ, *ſpecies cœli gloria ſtellarum.* Tertio propter ſublimitatem, &c. Iudith. quinto. *Stellæ manentes in ordine ſuo pugnauerunt contra Siſaram.*

*Iudic.*

Et cœlum,id eſt clericorum cœtus *receſſit ſicut liber inuolutus*, de quo nullo modo prouenit aliquis fructus propter peccatorum pullulationem, & boni exempli priuationem,& clauſionem.

*Prima.*

Accipiendo generalius,boni dicuntur ſtellæ lucidæ propter fidei claritatem quæ maxime refloruit in Patriarchis,Eccl.24. *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens.*

*Eccl.34.*

*Secunda.*

Secundo ſunt ſituatione alti propter ſpei arduitatem,quæ maximè refloruit in Prophetis,ad Philip.4. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*

*Phil.4.*

*Tertia.* *Eccl 24.* Tertio ſunt figura ſphœrici propter charitatis latitudinem,quę maxime claruit in Apoſtolis,Eccl.24. *Gyrum cœli circuiui ſola.* A

*Quarta.* *Iob.36.* Quarto ſunt duratione perpetui propter magnanimitatis fortitudinem,quæ maxime floruit in Martyribus,Iob.36. *Cum eo fabricatus eſt cœlos.*

*Quinta,* Quinto ſunt luminaribus diſtincti propter prudentiæ ſplendorem,quæ fuit in Doctoribus.

*Sexta.* *Iob 38.* Sexto ſunt motibus ordinati propter iuſtitiæ vigorē,quæ maxime floruit in Confeſſoribus,Iob. 38. *Nunquid noſti ordinem cœli,& pones rationē eius in terra?*

*Septima.* *Pſal 8.* Septimo ſunt ornatibus ſpecioſi propter temperantiæ decorem , quæ maxime ſplenduit in Virginibus,Pſal.8.*Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* B

Habes ergo in præſenti lectione ſtatum duplicem Eccleſiæ,ſcilicet beatorum Martyrū triumphum,ſtola immortalitatis indutorum ſub quinto ſigillo , & rabiem Antichriſti,& iudicium finalis exterminij quātum ad condemnationem reproborum , habemus ergo in lectione duplicem ſtatum Eccleſiæ, ſcilicet triumphum Martyrum,& præteritum,& futurum , & eorum remunerationem ſecundum rabiem Antichriſti,id eſt terrorem finalis,& extremi iudicij.

Concuſſionem corporum cæleſtium,&commotionem hominum,& in his explicatio terminatur. C

# SYNOPSIS
## CAPITIS SEPTIMI

*SIGNANTVR ab Angelo electi, ne tangantur plaga impiorum, puta duodecim millia ex ſingulis tribubus Iſrael: vt autem abſque nocumento ſeruentur, ſigno in fronte notantur? Deinde vidit Ioannes innumeram turbam ex gentibus ſtantem ante thronum Dei cum ſtolis albis & palmis,gratias agentes , & laudantes Deum & Agnum.* D

### *CAPVT SEPTIMVM*

1\. POST hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ,tenentes quatuor ventos terræ,ne flarent ſuper terram,neque ſuper mare, neque in vllam arborem.

2\. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui,& clamauit voce magna quatuor Angelis,quibus datū eſt nocere terræ,& mari.

3\.Dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

4\.Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſraël.

5\.Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati:ex tribu Ruben duodecim millia ſignati:ex tribu Gad duodecim millia ſignati.

6\.Ex tribu Aſer duodecim millia ſignati : ex tribu Nephtali duodecim millia ſignati : ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati.

7\.Ex tribu Simeon duodecim millia ſignati : ex tribu Leui duodecim millia ſignati, ex tribu Iſſachar duodecim millia ſignati.

8\.Ex tribu Zabulon duodecim millia ſignati : ex tribu Ioſeph duodecim millia ſignati: ex tribu Beniamin,duodecim millia ſignati.

9\.Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus , & tribubus , & populis, & linguis:ſtantes ante thronum , & in conſpectu Agni , amicti ſtolis albis:& palmæ in manibus eorum.

10\.Et clamabant voce magna dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum,& Agno.

11\.Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni,& ſeniorum,& quatuor animalium,& ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas,& adorauerunt Deum.

12\.Dicentes,Benedictio, & claritas, & ſapientia,& gratiarum actio,honor,&virtus,& fortitudo Deo noſtro,in ſæcula ſæculorum,Amen.

13\.Et reſpondit vnus de ſenioribus , & dixit mihi:Hi,qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt?& vnde venerunt?

14\.Et dixit illi:Domine mi , tu ſcis , & dixit mihi:Hi ſunt,qui venerunt de tribulatione magna &lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. E

15\.Ideo ſunt ante thronum Dei,& ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui ſedet in throno,habitabit ſuper illos.

16\. Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol , neque vllus æſtus.

17\. Quoniam Agnus , qui in medio throni eſt,reget illos , & deducet eos ad vitæ fontes aquarum , & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

EXPOSITIO

# *EXPOSITIO SEPTIMI Capitis.*

VERS. I. POST HÆC VIDI QVATVOR ANGELOS STANTES SVPER QVATVOR. &c.] Deſcripta perſecutione Eccleſiæ tempore Antichriſti, & expreſſo pauore fidelium à magnitudine ſignorum apparentium, hic deſcribitur dæmonum perſecutio per ſubtractionem bonorũ ſpiritualium: diuiditur ergo præſens caput in ſeptem partes, quoniam primo prædicitur malignorum ſpirituum infectio, ſecundo Angeli veræ pacis cohibitio ibi, *& vidi*, tertio electorum conſignatio, ibi, *nolite nocere terræ*, quarto ſignatorum numeratio, *& audiui numerum*, quinto ſaluandorum iubilatio, ibi, *poſt hæc vidi turbam*, ſexto Angelorum adoratio, ibi, *& omnes Angeli*, ſeptimo gloriæ Beatorum deſcriptio, *& reſpondit vnus.*

*Præſens caput. diuiditur. in ſeptem partes.*

Ait ergo POST HÆC VIDI.] id eſt ſpiritualiter intellexi, hoc dicto *Poſt* notat diuerſitatem viſionis, ſecundum ordinem diſtinctionis, *quatuor Angelos*, id eſt dæmones vniuerſos, qui per quaternarium deſignantur, quia ſicut quaternarius eſt maxime diuiſibilis, ſic impij nituntur diuiſionem & diſcordiam ſeminare, vnde Leo in quodam ſermone circumciſionis, diabolus diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, vbicunque ſtudioſum viderit occupari.

*Prima pars. Expoſitio textus. Quatuor Angeli vniuerſitatem dæmonum ſignificant.*

Vel dicuntur quatuor, quia per choros quatuor diuiduntur ad exterminandum & ſubuertendum quatuor partes mundi ſtantes, *ſuper quatuor Angulos terræ*, ſcilicet vniuerſis vitioſis & reprobis, qui deſignantur per quatuor Angelos imperantes: Angulum enim faciunt duæ lineæ concurrentes ſecundum longitudinem, & in puncto ſuo methodum terminantes, per quod ſignificantur reprobi in quibus concurrunt, vanitas mentis, & voluptas carnis coniunguntur in appetitu deordinato voluptatis. Item anguli ſunt exterius acuti, & interius ſordium collectiui, ita huiuſmodi alios mordent, & pungunt exterius.

*Quatuor Anguli terræ ſignificant reprobos.*

VERS. 2. TENENTES QVATVOR VENTOS TERRÆ.] id eſt doctrinam quadripartitam Euangelij pro viribus perturbantes, ſic enim ſecundum quemdam libro quarto de numeralibus. Quibus Deus dedit ventos ad cuſtodiam cæli, terrarum temperiem, ad vacuandas conprimendaſque aquas ad maturandos ſegetum arborumque fructus, ſic doctrina euangelica habet conſimiles effectus, qui per ventos quatuor deſignantur: quadruplex ergo ventus ſignificat quadruplicem prædicationem, ſcilicet, orientalem contra faſtum ſuperbiæ, occidentalem contra puteum auaritiæ, aquilonarem contra flatum iracundiæ; Auſtralem contra æſtum luxuriæ: auſter enim habet diſſoluere, Ezech. 37. *A quatuor ventis veni ſpiritus, & ſuffla ſuper interfectos iſtos & reuiuiſcant*, vnde quadruplex ventus ſignificat quatuor quæ debemus prædicare, ſcilicet vitia, & virtutes pœnam, & gloriam. Dan. 7. *Quatuor venti pugnabunt in medio mari*, ad iſta enim quatuor tendit omnis prædicatio, vnde Auguſt. lib. ſermonum. 19. Omnis prædicatio euangelica, aut admonet bona, aut prohibet mala, aut comminatur ſupplicia, aut promittit præmia.

*Quadruplex ventus prædicationem ſanctam. inſinuat. Ezech. 37.*

*Dan. 6. Quatuor debent prædicari.*

Item per iſtum quaternarium docetur, prædicator regulare quaternarium affectuum, qui ſunt dolor & gaudium, ſpes & timor: debet enim docere pure, vnde ſit dolendum, quia de culpabili tranſgreſſione,

*Quatuor venti quatuor affectus.*

A vnde gaudendum, quia de Sacramentali reformatione quid timendum, quia gehennale incendium, quid ſit deſiderandum, quia cœleſte ſtipendium.

Secundo per iſtum quaternarium magna attentione debent mirari, & conſiderare profunditatem ſapientiæ diuinæ in diſpenſatione adminiſtrandorũ, auctoritatẽ diuinæ potentiæ in inquiſitione iudicandorũ, ſeueritatem diuinæ iuſtitię in punitione reproborum, liberalitatem diuinæ affluentiæ in retributione electorum.

Sed prædicator in hoc quaternario declarare debet quaternum ſtatum, videlicet remedia vitiatorum, ſuffragia purgandorum, ſupplicia damnandorum,
B gaudia ſaluandorum.

*Prædicator. debet quatuor ſtatus hominibus declarare.*

Quarto docetur Prædicator in iſto quaternario ordinare quaternarium, gaudium videlicet, dextrum gratiæ, ſiniſtrum conſcientiæ, deorſum gehennæ, ſurſum gloriæ: iſtud in viſione Ezech. fuit figuratum in quatuor rotis, in quo moderatio affectionum, in quatuor pennis, in quo actio conſiderationum, in quatuor animalibus, in quo diſpoſitio graduum.

*Quatuor rota.*

Quatuor venti, quatuor regna mundi ſunt, regnum Aſſyriorum, Chaldeorum, Græcorũ, & Roman. *Tenentes ergo ventos, ne flarent ſuper terram*, inſuper illi qui ſunt arabiles, & diuini ſeminis ſuſceptibiles, *nec ſuper mare*, ſuper inſtabiles & fluibiles; *nec in verſam arborem*, id eſt ſuper illos qui ad fructificandum, ſunt habiles, quaſi dicat, dæmones conati ſunt, &
C quotidie conantur impedire prædicatores ne prædicent bonis & malis, vnde Gregor. Immundi ſpiritus tanto magis corda hominum aſcendere ad cæleſtia inuident, quanto ſe à cæleſtibus per elationis ſuæ immunditiam perfectos vident, & idem. Tanto hoſtis callidus decipere hominem ardentius exquirit, quanto cæleſtem patrem feruentius inhabitare cognoſcit.

*Regna mundi, quatuor per quatuor ventos.*

*Diabolus conatur prædicatores impedire.*

Sequitur ſecunda pars: ET VIDI ALTERVM ANGELVM ASCENDENTEM AB ORTV SOLIS.] poſita infeſtatione dæmonum, hic ponitur Angeli magni concilij adiutorium cohibentis dæmonum aſtutiam, & refrænantis ipſorum malitiam, vnde dicit: *Et vidi alterum Angelum*, id eſt Chriſtum Angelo Sathanæ contrarium *aſcendentem ab ortu ſolis*;
D id eſt à Patre qui eſt fons, & origo totius luminis & initium, *Aſcendentem*, inquam per eminentiam apparitionis, & per ſublimitatem rationis, deſcendentem per humilitatem exinanitionis, *& habentem ſignum Dei viui*, conſubſtantialitatem in eſſentia; & coæqualitatem in potentia.

*Secunda pars cap.*

*Chriſtus Angelus aſcendens ab ortu ſolis.*

Signum enim Dei viui eſt poteſtas diuinitatis contra peccatum, vel crux pœnalitatis, ſed qualiter crux eſt ſignum Dei viui, cum potius videatur ſignũ hominis mortui, cuius ſignum fuit clamor validus? Reſpondeo crux fuit ſignum Dei viui, quia moriente homine vixit Deus, cuius ſignum fuit clamor validus, quem moriendo emiſit, quod eſt ſupra naturam humanam, quia homo, & tota natura humana in
E morte debilitatur, & ſpiritus & meatus etiam coarctantur in tantum quod vix homo tunc loqui poſſit, vel alia ſigna fuerunt ſibi, ſolis obſcuratio, terræ commotio, petrarum ſciſſio, ſepulchrorum apertio; quæ omnia quod fuerint ſigna Dei viui, bene dixit centurio, *vere filius Dei erat iſte*. Et in verbo propoſito deſcribitur Dominus Ieſus vt ſalutis noſtræ procurator, operator, inſpirator, exemplator: vt ſalutis noſtræ cura, cauſa maxima, & forma: vt ſalutis noſtræ auctor, nomine Angeli factor, & aſcendens ductor ſignifer.

*Signum Dei viui eſt poteſtas Dei contra peccatum.*

Circa hoc ſunt aliqua vtilia notanda. Primum quod Dominus Ieſus dicitur Angelus propter officium prolocutoris in erudiendo infra cap. 10. *Habebat Angelus in manu ſua libellum apertum*, Secundo

*Primo eius prolocutor Angelus. Chriſtus. Secundo eſt propugnator.*

*Tertio quia mediator. Geneſ.21. Chriſtus aſcendit ſuper carnem & ſuper mortem. Iſa.19. Pſal.67. Super orbem.*

propter officium propugnatoris in eripiendo, Dan.3. *Angelus deſcendit cum Azaria & ſocijs eius in fornacem*, &c. Tertio propter officium mediatoris in intercedendo. Geneſ.21. *Vocauit Angelus Domini Agar dicens. Quid agis Agar? Noli timere, exaudiuit Dominus vocem pueri de loco in quo eſt.*

Secundo eſt notandum quod Dominus aſcendit ſuper carnem pro reſtauratione naturæ. Iſa. 19. *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur omnia ſimulachra Ægypti à facie eius.* Aſcendit etiam ſuper mortem pro reſtauratione vitæ perditæ. Pſal.67. *Aſcendit Deus ſuper occaſum.* Aſcendit ſuper orbem pro reſtauratione gloriæ. Pſal.67. *aſcendit ei in ſuper cælos ad orientem.*

*Aſcenſio Chriſti. Chriſtus quomodo ab ortu ſolis aſcendit. Chriſtus habuit ſignum Dei viui. Luc.2. Crux ſignum Dei viui. Matth.24.*

Circa tertium eſt notandum quod Dominus aſcẽdit *ob ortu ſolis*, in radio veritatis, Luc. 1. *Viſitauit nos oriens ex alto*, in radio humilitatis, Pſal. *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt.* in radio ſanctitatis, Malach. 3. *orietur vobis timentibus Deum ſol iuſtitiæ.*

Circa quartum eſt notandum quod Chriſtus habuit ſignum Dei viui tunica mortalitatis præcinctus, Lucæ ſecundo. *Hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio*, doctrina exemplaritatis præcinctus ibidem. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in ſignum cui contradicetur*, potentia diuinitatis accinctus. Matthæi vigeſimo quarto. *Tunc apparebit ſignum filij hominis*, hoc ſignum crucis amabile, ſecundum Chryſoſtomum, eſt ſpes vnica Chriſtianorum, vita mortuorum, cæcorum dux, deſperatorum via, claudorum baculus, conſolatio pauperum, adoleſcentium pedagogus, ſuſtentatio inopum, nauigantium gubernator, periclitantium portus, obſeſſorum murus, hæc inſenſatorum ſapientia, libertas ſeruorum, imperitorum philoſophia, lex Imperiorum, Prophetarum præconizatio, annunciatio Apoſtolorum, martyrum glorificatio, monachorum abſtinentia, caſtitas Virginum, gaudium ſacerdotum, Eccleſiæ fundamentum. Et Caſſiod. ſuper pſalterium. Crux eſt humilium inuocatio, ſuperborum abiectio, victoria Chriſti, perditio diaboli, infernorum deſtructio, cæleſtium reparatio, mors infidelium, vita iuſtorum, qui in ſignum & ſignatum ſuum vellet ſtudioſe attendere, poſſet omnem ſcientiam addiſcere & aperte cognoſcere. Ibi enim inuenitur. Phyſica quia cauſa æternæ ſalutis. Logica, excluſio dialecticæ falſitatis. Ethica quia exemplar totius ſanctitatis. Scientia naturalis quia vera paſſio ſubiecti, ſ. Chriſti. Mathematica quia forma crucis ſecundum quatuor angulos. Metaphyſica completa reſolutio vſque ad cauſam primam. Geometria quia Chriſtus ſtetit & menſus eſt terram. Aſtrologia quia ibi ſol paſſus eclipſim duplici genere eclipſis. Arithmetica, quia ibi dinumerata ſunt omnia oſſa Chriſti. Muſica quia voce ſua ſimpla, noſtra dupla concinit ad ſalutem.

*Crucis omnia. Laudes crucis. Omnis ſcientia poteſt addiſci in cruce.*

*Aſcendit Chriſtus ſuper omnem creaturam.*

Nota quod Saluator noſter aſcendit corporaliter ſuper orbes mundi & ſpiritualiter ſuper nouẽ orbes cæli propter quod ſuper omnem creaturam prædicatur merito ſublimatus.

*Primo.*

Primo ergo aſcendit ſuper orbem terreum propter ſuam ordinatam pulchritudinem præualentem elemento terræ & hoc fuit figuratum. 1. Reg. 14. *Aſcendit Ionatas reptans manibus. &c.* *1.Reg.14.*

*Secundo.*

Secundo aſcendit ſuper elementum aqueum propter ſuam ſtrenuam agilitatem præualentem aqueo elemento & eius conditioni. Reg.19. *Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* *Reg.19.*

*Tertio.*

Aſcendit tertio ſuper elementum igneum propter ſuum illuminatiuum ſplendorem præualentem elemento ignis & eius virtuti Iudicum 13. *Cum aſcenderet flamma ignis altaris in cælum, Angelus Domini pariter pariter in flamma aſcendit.* *Iudic.13.*

*Quarto.*

Aſcendit inſuper & quarto ſuper globum lunarẽ A propter ſuam copioſam fœcunditatem tranſcendentem orbem lunæ & virtutem eius. Pſal 67. *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* *Pſal.67.*

Aſcendit quinto ſuper orbem Mercurij & virtutem eius Pſal. ibid. *Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cælum ad orientem.* *Quinto.*

Sexto acendit ſuper orbem Veneris propter ſuam placitam iucunditatem tranſcendentem ſtellam Veneris & virtutem eius. Pſal. *Aſcendit in iubilo & Dominus in voce tubæ.* *Pſal.67. Sexto. Pſal.48.*

Septimo aſcendit ſuper ſphæram ſolarem propter ſuam vniuerſalem illuminationem tranſcendentem vim ſolarem & virtutem eius ad Epheſ. 4. *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* *Septimo. Epheſ.4.*

Octauo aſcendit ſuper orbem Martis propter ſuam B validam dominationem tranſcendentem vim Martis & virtutem eius ſeu proprietatem. Ioan.4. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis.* *Octauo. Io.4.*

Nono aſcendit ſuper orbem Iouis propter ſuam opulentam fidelitatem tranſcendentem vim Iouis & eius proprietatem, *Nono.*

Decimo aſcendit ſuper orbem Saturni, propter ſuã venerandam dignitatem ſacram & proprietatem eius. Io.13. *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrũ.* *Decimo. Io.13.*

Vndecimo aſcendit ſuper cælum ſydereum, propter ſuam ſpecioſam varietatem tranſcendentem firmamentum & eius proprietatem Cant. 3. *Aſcenſum purpureum media charitate.* *Vndecimo. Cant.3.*

Duodecimo aſcendit ſuper cælum vnigeneum propter ſuam æquabilem ſimplicitatem tranſcenden- C tem orbem vnigeneum & eius proprietatem. Pſal. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius.* *Duodecimo. Pſal.23.*

Decimo tertio aſcendit ſuper cælum cryſtallinum, propter ſuam concordem conſimilationem tranſcendentem orbem cryſtallinum & eius proprietatem. Eccleſ.46. *Dedit Dominus Caleph fortitudinem vt aſcenderet in excelſum terræ locum. & ſemen ipſius obtineret hæreditatem.* *Decimo tertio.*

Decimo quarto aſcendit ſuper cœlum empyreum, propter ſuam ſublimem dignitatem præſidentem paradiſo & ciuibus eius, Amos 9. *Qui ædificat in cælo Aſcenſionem ſuam.* *Decimo quarto. Aſcendit Chriſtus. Amos 9.*

Decimo quinto ſuper ordinem Angelorum, propter Adminiſtratoriam ſupernæ diſpoſitionis nun- D ciationem Exod.34. *Ingreſſus Moyſes in medium nebulæ aſcendit in montem.* *Decimo quinto. Exod.34.*

Decimo ſexto aſcendit ſuper ordinem Archangelorum propter præcellentem promiſſionis reuelationem. Gen,33. *Dixit Angelus, ad Iacob, iam enim aurora eſt. &c.* *Decimo ſexto. Gen 33.*

Decimo ſeptimo aſcendit ſuper orbem Principatuum propter triumphale ſuperducatus gubernationem. Hier.22. *Aſcende ad liberandum & clama.* *Decimo ſeptimo. Hier.22.*

Decimo octauo aſcendit ſuper ordinem poteſtatum propter imperialem auctoritatem. Gen.2. *Fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* *Decimo octauo. Gen.2.*

Decimo nono aſcendit ſuper ordinem Virtutum, propter miraculorum efficaciam. Baruch.3. *Quis aſcen-* E *dit in cœlum & accepit & deduxit eam. &c.* *Decimo nono. Baruc.3. De Aſcenſione.*

Vigeſimo aſcendit ſuper ordinem Dominationũ, propter præeminẽs maieſtatis imperium. Io.10. *Signo videbitis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.* *Vigeſimo. Io.10.*

Vigeſimo primo aſcendit ſuper ordinem Thronorum, propter perſeuerantem diuinarum immiſſionum capacitatem. Cant. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* *Vigeſimo primo. Cant.8.*

Vigeſimo ſecundo aſcendit ſuper ordinem Cherubin, propter perfectam diuinorum ſpectaculorum continuationem. Pſal. *aſcendit ſuper Cherubin &c.* *Vigeſimo ſecundo.*

Vigeſimo tertio aſcendit ſuper Seraphin, propter incendium amoris & inflammationem. Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi.* *Vigeſimo tertio. Cant.3.*

VERS. 2. VIDI EGO ALTERVM ANGELVM ASCENDENTEM AB ORTV SOLIS HABENTEM SIGNVM DEI VIVI.] A

*B. Franciſcus legatus.*

Deſcribitur hic beatus Franciſcus vt fidelis legatus, quantum ad agilitatem expeditionis, quia *Angelum*, quantum ad viriditatem executionis, quia *aſcendentem*, quantum ad ſerenitatem conuerſationis, quia *ab ortu ſolis*, quantum ad auctoritatem legationis habentem ſignum Dei viui.

*Vide quæ de hoc dixi in ſermone de eius ſtigmatibus.*

Præter illa quæ dicta ſunt quod Chriſtus fuit ſignum miræ charitatis in Incarnatione. Iſa. 6. *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuel.*

*Chriſtus eſt ſignum. Primo.*

Fuit ſignum imitabilis perfectionis in ſua conuerſatione hoc ſignum petebat Pſal. *Fac mecum in ſignum &c.*

*Secundo.* B

*Tertio. Io. 20.*

Fuit ſignum certiſſimum veritatis in miraculorum operatione Io. 20. *Hoc fecit initium ſignorum in Cana Galilea & ibi manifeſtauit gloriam ſuam.*

*Quarto. Iſa. 12.*

Fuit ſignum iuſtiſſimæ redemptionis in acerbiſſima paſſione Iſa. 12. *In illa die erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.*

*Quinto. Iſa 55.*

Fuit ſignum glorioſæ reformationis in ſua reſurtione. Iſa. 55. *Erit Dominus nominatus in ſignum æternum quod non auferetur.*

*Sexto. Iſa. 49.*

Fuit ſignum noſtræ glorificationis in ſua Aſcenſione Iſa. 49. *Exaltabo ad populum ſignum meum.*

*Septimo. Dan. 3.*

Fuit ſignum maximæ vtilitatis in Spiritus ſancti miſſione. Dan. 3. *Et mirabilia fecit Deus excelſus apud me.* C

*Octauo Matt. 24.*

Fuit ſignum mirabilis æquitatis in omnium examinatione. Matth. 24. *Tunc apparebit ſignum filii hominis & tunc plangent omnes tribus terræ & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna & maieſtate.*

VERS. 2. Sequitur ET CLAMAVIT VOCE MAGNA,] id eſt imperauit poteſtate regia, *quatuor Angelis* obſtinatis in omni malitia *quibus datum eſt*, id eſt permiſſum vel adeo conceſſum ad bonorum probationem & malorum deceptionem. *Nocere terra & mari* ad litteram regionibus & inſulis vel auaris & terrena amantibus & mari, id eſt luxurioſis & fluctuantibus neque arboribus, id eſt peccatoribus omnibus.

*Quæſtio. Dæmones cur cohibentur.*

Sed hic oritur quæſtio quare prohibet, eos cum D datum ſit eis nocere talibus? Reſpondeo quia dæmones excedunt & pluribus modis affectant nocere quam ſit eis permiſſum, vt eorum poteſtas & malitia cohibeatur, quod patet per hoc quod dicitur. *Neque arboribus* quod non fuit poſitum ſupra: ipſi enim ſæpe conantur nocere bonis, qui ſunt arbores fructificantes in bonis ſermonibus.

*Fideles ſignantur quomodo.*

NOLITE ERGO NOCERE QVOADVSQVE SIGNEMVS,] per diſtinctionem, *ſeruos* per ſubiectionem, *Dei noſtri* per gratam communicationem *in frontibus eorum*, per confeſſionis manifeſtationem & E per charitatis impreſſionem, per trinitatis imaginem, per characteris ſigillationem, confirmationis ſuſceptionem: conſignatur enim aliquis imagine increata, confirmata, conſignata. Ezech. 9. *Signa thau ſuper frontes virorum gementium.*

*Ezech. 9.*

Ex his videtur quod ſignatis ſigno fidei non poſſint nocere maligni Spiritus, cuius contrarium apparet, quia multos ſignatos ſigno fidei tentauerunt, & tentationibus duxerunt in peccatum.

Reſpondeo, licet Deus permittat prædeſtinatos & electos tentari, tamen facit cum tentatione prouentum. Qui vult ergo conſignari tanquam ſeruus Dei, oportet quod ſit humilis contra ſuperbiã. Luc. 17. *Cũ feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus*, quod debuimus facere, fecimus. Charitatiuus contra inuidiam. Pſal. *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.*

*Luc. 17.*

*Pſal 88.*

Patiens contra iracundiam. Iudith. 8. *flagella Domini quibus quaſi ſerui corripimur ad emendationem,* &c. Contentus contra auaritiam Matt. 5. *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammona.* Operoſus contra acidiam. Luc. 11. *Beati ſunt ſerui illi quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes &c.* Continens contra luxuriam, Rom. 6. *Liberati à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Seruus ergo Dei, debet ſeruire ſanctè, vt ſit in exercitatione ſinceritas quoad ſeipſum, id eſt debet ſeruire iuſtè, vt ſit in negotiatione æquitas quoad proximum, debet ſeruire ſimpliciter, vt ſit in intentione veritas quoad Deum, debet ſeruire perſeueranter reſpectu horum omnium, vt ſit in perſecutione longanimitas, Deuter. 10. *Ipſum timete, & mandata eius cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis*, in quo verbo ſit nobis perſuaſio ad exhibendum Deo ſeruitium ſibi gratum, quod quidem perficiunt declinatio effuſionis, impletio iuſſionis, acceptatio monitionis.

*Valens conſignari, tanquam ſeruus Dei oportet has virtutes habere. Matt. 5. Luc. 11. Rom. 15. Seruus Dei has habere debet.*

*Deut. 19.*

Et tale ſeruitium promouet ad ſentiendum æternam lætitiam, ad acquirendum diuinam complacentiam, ad obtinendam æternam gloriam, quia ſeruire Deo regnare eſt.

*Seruitio Dei effectus.*

VERS. 4. ET AVDIVI NVMERVM SIGNATORVM GENTIVM QVADRAGINTAQVATVOR MILLIA SIGNATI, &c ] Poſita Angeli cohibitione hic exprimitur electorum conſignatio tam in genere quam in ſpecie: & ad euidentiam litteræ eſt notandum, quod centenarius numerus ſignificat continentiam virginalem, quadragenarius vero victoriam triumphalem.

*Electorum conſignatio. Centenarius continentiam Quadragenarius victoriam ſignificat.*

Item per iſtos numeros perfecta pœnitentia deſignatur, quæ includit in ſe centenarium, quod eſt deteſtatio peccatorum, quadragenarium quod eſt obſeruatio mandatorum, quaternarium quod eſt exercitatio meritorum, millenarium quod eſt conſummatio inceptorum, pœnitentia enim initialiter reformat, virtualiter reintegrat, perfectè pugnat, finaliter coronat.

*Iſti numeri ſignificans pœnitentes.*

Item ad euidentiam litteræ iterum eſt notandum, quod numerus quadragenarius in ſcriptura ſtatum pœnitentiæ ſignificat: per iſtos ergo numeros quatuor millia circunſtantes, & quadragenarium includentes vel concomitantes perfecta firma ac ſtabilis pœnitentia & permanens deſignatur, & in ipſa cumulus meritorum inuenitur, quod patet, quia centenarius qui præmittitur eſt quadratus numerus.

Item quaternarius, qui ſequitur, eſt numerus quadratus.

Item centum quadraginta quatuor millia, totalis, ſcilicet numerus, qui quadragenarium complectitur eſt quadratus, cui radix ſunt duodecim, quadratus vero ſiue tetragonus hic eſt firmus & ſtabilis in proſpetis: vnde primo, & hic virtuoſo dicitur, ſemper enim vel iuſta nunc operabitur, & ſpeculabitur, vnde quadrantur lapides, vt ædificiis ſtabilius ordinentur: & quia non ſolum debet apparere firmitas, & perfectio pœnitentiæ: imo primo, & principaliter debet interius radicari, ideo additur *centum quadraginta quatuor millia*, ſecundum enim beatum Greg. 35. moral. 17. cap. figura quadrata de ſe plena non eſt niſi ſurgat in quadratum ſolidum, & eadem eſt radix operis exterioris pœnitentiæ & interioris ſc. gratia ad hoc quod pœnitentia ſit meritoria. Sic eſt radix eadem cubiti & quadrati. Da centum & da mille, da etiam decem, & tunc adimpletur & habetur cumulus meritorum & cum hoc notatur propter hoc quod duodecies. 12. intelligitur numerus qui eſt in numero electorum duodecimus, quoniam 12. eſt primus numerus abundans. Vnde ad denotandum ſuperabundantiam electorum explicat quilibet duodecimus per ſe, dicit ergo.

*Gregor.*

*Electorum numerus deſcribitur.*

VERS. 4. ET AVDIVI NVMERVM SIGNATORVM,] ſigno pœnitentiali & per conſequens ſaluandorum

retributione finali centum, ſicut mercatores quando emunt oues, eas ſignant ac per eas ſibi determinant, & ab omnibus ouibus ſeparant & diſtinguunt, ſic Chriſtus qui eſt mercator, emptor & redemptor noſter, & *nos populus eius & oues paſcuæ eius*, electos ſuos per gratiam prædeſtinationis ſpecaliter conſignauit & ab omnibus aliis ſeparatos oſtendit. Et quoniam in libris Prophetarum ſpecialiter in iſto nobis ſpiritualia ſub figuris ſenſibilium & metaphorice exprimuntur, hinc eſt quod numeroſa multitudine populi Iſraelitici nobis deſcribitur ac deſignatur populus Dei adoptatus. Non quia omnes illi de illis duodecim tribubus ſaluati fuerunt vel electi, vt ſolum tales, ſed propter figuram iam dictam & etiam ipſe numerus ſatis videtur competere conditionibus viatorum ad patriam tendentium, prout inferius oſtendetur.

*Chriſtus mercator & redemptor.*

*Iſrael populus ſignificat electos.*

Ad oſtendendum ergo numerum electorum & eorum profectum in gratia, in via, ac deſiderium de futura patria proponit eos nobis ſub metaphora illius populi Iſraelitici qui in peculiarem populum adoptati & circuncitionis ſignaculo ſignati. Et hæc de iſta expoſitione.

*ſignificatur mandatorum perfectio.*

Redeundo igitur ad numerum centenarium vbi fuit diſcontinuatio propter intermediam expoſitionem dico, quod numerus centenarius ſignificat operum omnium mandatorum perfectionem, denarius enim decies ductus facit centum. Quadragenarius ſignificat Euangelicam ſupererogationem. Quaternarius vero virtutum quatuor ſupernaturalium exercitationem. Millenarius per omnium conſummationem, vnde millenarius eſt omnium vltimus, nec in numeris, nec vltra ipſum eſt proprie numerus, vt ſumptus à prioribus numeris.

*Cur ex qualibet tribu 12 millia ſignati.*

Et nota quod ex ſingulis tribubus 12. numerantur propter Patriarch. & Apoſtol. prærogatiuam, non quin plures ſaluentur. Sed ſignati dicuntur ob confeſſionem Dei munitiuam. Et millia ob iuſtitiam conſummatiuam.

*Cur ex tribu Dan & Ephraim 12. millia ſignati.*

Notandum quod tribus Dan & tribus Ephraim, hic non enumerantur. Ex Dan enim naſcetur Antichriſtus, & ideo merito eſt ab iſto numero excludendus, de Ephraim autem natus eſt Ieroboam qui filios Iſrael induxit ad idololatriam 3. Reg. 13. Et fuit filius ſchiſmaticorum, diuiſit. 10. tribus à cultu diuino. Ideo autem iſta propriè & congrue appropriantur ſanctis nominibus, quia nullus regnum cælorum ingreditur niſi conſignatus fuerit proprietate & caractere ſignatorum.

*Primus ternarius incipientes ſignificat.*

Per primum igitur ternarium, ſcilicet Iuda, Ruben, & Gad, ſcilicet ſtatum incipientium, deſignatur pudor confeſſionis, dolor contritionis, labor ſatisfactionis.

*2. perficientes.*

Per ſecundum ternarium, ſc. Aſer, & Nephtali, & Manaſſes ſtatum proficientium, deſignatur rectitudo æquitatis, latitudo charitatis, obliuio carnalitatis. Vel per Azer, Nephtali & Manaſſem intelligitur hic, fidei rectitudo, ſpei altitudo, charitatis latitudo. Sic ergo Azer in fide fundatus, Nephtali ſpe eleuatus, Manaſſes Deo intimatus & mundo obliuioni datus.

*3. perfectos.*

Per tertium ternarium Simeon, Leui Iſſachar, qui reſpicit perfectos, deſignatur auditio, & impletio mādatorum, oſtenſio præmiorum.

*4. ſtatus perſeuerantium.*

Per quartum ternarium Zabulon, Ioſeph & Beniamin, qui reſpicit perſeuerantes, ſignificatur, triumphus victoriæ, cumulus gratiæ, titulus gloriæ.

*Cur Tribus Iuda prior.*

Tribus ergo Iuda primo ponitur, quia Chriſtus ſecundum carnem de illa oritur. EX TRIBV IVDA DVODECIM MILLIA SIGNATI.]

*Rom. 10. Bern.*

Iuda igitur qui confeſſio interpretatur recte, primo proponitur, quia peccati confeſſio primum iudicium eſt ſalutis, iuxta illud ad Rom. 10. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ſecundum autem Bern. In con-A feſſione omnia lauantur, conſcientia ſerenatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, ſpes reuiuiſcit, animus hilareſcit.

*Sex in confeſſione eſſe debent.*

Nota ſex per ordinem quæ debent eſſe in confeſ-
ſione quæ in verſiculo huiuſmodi continentur, *dixi*
*confitebor aduerſum me &c.* Debet enim primo præire
meditatio, ideo *dixi in corde meo*, id eſt diligenter ex- 1.
cuſſi. Secundo debet eſſe pariter cordis & oris con- 2.
iunctio, *confitebor*. Tertio debet eſſe accuſatoria non 3.
excuſatoria ideo *aduerſum me*, non alium accuſando. 4.
Quarto debet eſſe de malis non de bonis, ideo dicit 5.
*iniuſtitiam*. Item quod ſit de peccatis propriis non de 6.
alienis, quia *meam*. Itē quod fiat ad laudem & honorem Dei non ad laudem mundi, ideo *Domino*.

VERS. 5.

*Ruben. Significat contritionem.*

EX TRIBV RVBEN DVODECIM MILLIA SI-B GNATI] Ruben interpretatur filius viſionis & deſignat dolorem contritionis per quam quis meretur Deum videre, cuius aſpectus pulchrior, amor ſuauior, ſocietas iucundior, vel Ruben interpretatur videns filium quia in contritione homo debet videre filium id eſt peccatum quod fecit, & ex hoc dolore, hæc eſt humiliati cordis vera compunctio, quæ facit magna agere & humilia loqui & humiliari, iuſte operari & ſuper peccatis timere. Vnde Bernard. de virtute contritionis. Nemo ad Deum aliquando flens acceſſit qui non quod poſtulauerit acceperit. Nullus ab eo beneficia obtinuit qui non impetrauerit quod voluit, ipſe enim eſt qui conſolatur flentes, dolentes curat, contritos reformat.

*Bern. Virtus contritionis.*

*Gad.*

C EX TRIBV GAD DVODECIM MILLIA SIGNATI,] iſte Gad primogenitus ancillæ Balæ qui laborioſa ſatisfactio deſignatur interpretatur ſuccinctus, quod ſpectat ad ſatisfactionem, in qua pœnitentia perficitur & completur: humilis ergo & verecunda debet eſſe ſatisfactio, per quam non oſtendatur ſuperbia. Vnde Ambroſius de virtute ipſius ſatisfactionis dicit Nemo diffidat, nemo conſcius veterum delictorum præmia diuina deſperet. Nouit enim Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris mutare delictum. Sic ergo Iuda eſt qui habet pudorem confeſſionis, Ruben quantum ad dolorem contritionis, Gad quantum ad laborem ſatisfactionis. Et tunc D talis pœnitentiam compleuit qui ſecundum Chryſoſt. Cor mundat, ſenſus illuminat, animam ſanctificat, ad ſuſceptionem Chriſti ſperat. Iſte ternarius reſpicit incipiētes, qui ſūt primi in numero ſignatorū.

*Virtus ſatisfactionis.*

*Iuda.*

VERS. 6.

*2. ternarius virtutes Theologicas ſignificat*

Sequitur EX TRIBV AZER DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Iſtum ſecundum qui pertinet ad proficientes, potes accipere penes virtutes Theologicas, quibus potiſſime perficimur.

*Azer fidem*

EX TRIBV igitur AZER.] Azer enim interpretatur atrium. In atrio autem fit ſacrificium & oblatio communis, per quam fides intelligitur, quæ eſt prima & communis omnibus, per quam eſt introitus ſpiritualis.

*Nephtalim ſpem ſignificat.*

EX TRIBV ETIAM NEPHTALIM.] Nephtalim intelligitur habitatio, per quam ſpes quæ ſequitur fi-E dem ſicut habitatio atrium. Per atrium enim exterius intratur in habitationem intrinſecam, per ſpem quædam habetur habitatio cæleſtis, imo beatitudo quoniam ſpe beati ſumus. Sicut ſpes erigit parietes ſuper fidei fundamentum.

*Manaſſes charitatem.*

Manaſſes interpretatur Natiuitas vel obliuioſus per quod charitas poteſt intelligi. Nam per charitatem homo intimatur Deo & datur obliuioni mundo, quia iſta obliuio omnino eſt neceſſaria ex parte amātis, ſcilicet quod mundum tradat totaliter obliuioni, & tunc erit Manaſſes.

*Azer. Spes.*

Vel Azer interpretatur beatus, & ſpes in præſenti viuificat. In qua tria conſidero in quibus tota noſtra ſpes conſiſtit: conſidero enim charitatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatē redditionis. Et quia ſine charitate nihil vtile, & nihil ſalubre

Ideo

*Nephtalim Charitas quid.*

Ideo ſequitur: EX TRIBV NEPHTALI DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Nephtalim interpretatur altitudo per quam charitas deſignatur. Charitas tantum vult omnes amplexari, omnes diligit, omnes fouet: ipſa enim eſt ligamentum omnium virtutum, gluten animarum, concordia mentium & ſocietas electorum.

*Manaſſe oblivio carnalium.*

EX TRIBV MANASSE DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Manaſſes interpretatur, vt dictum eſt, oblivio & præmiorum promiſſio & expectatio quæ temporalia & carnalia faciunt obliuiſci. Si enim conſideremus quæ & quanta ſunt quæ promittuntur in cælis &c. Sic igitur quilibet debet eſſe Azer, quantum ad rectitudinem æquitatis, Nephtalim quantum ad latitudinem charitatis, Manaſſes quantum ad obliuionem carnalitatis. Et iſte ternarius pertinet ad proficientes qui ſunt 12. in numero ſignatorum.

VERS. 7. *3. ternarius. Simeon compaſſionem ſignificat.*

EX TRIBV SIMEON DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Simeon interpretatur audiens mœrorem, per quod compaſſio deſignatur omnibus ſubueniens, & mœrorem omnium exaudiens, ſcilicet eſurienti cibus, ſitienti potus, nudo fulcimentum, humilium veſtimentum, viatorum hoſpitium, infirmitatibus ſanitas, captiuis redemptio, mortuis ſepultura, amoris dulcedo, deſolatis conſolatio, errantibus via, peregrinantibus viaticum, patria exulibus, nauigantibus portus.

*Leui ſignificat opera conſiliorum. Paupertas pretioſa margarita.*

EX TRIBV LEVI DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Leui interpretatur additus & perfectus virtutibus & ſuperaddit opera conſiliorum donec perficiantur, intra quæ conſilia potiſſima & primaria eſt paupertas. Hæc eſt pretioſa margarita pro qua neglectis omnibus regnum cælorum facilius comparatur. Hæc eſt quæ non hæredes & reges regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc eſt portio mea quæ perducit in terram viuentium.

*Iſſachar contemplationem ſignificat.*

EX TRIBV ISSACHAR DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Iſſachar interpretatur merces & ſignificat contemplationem eorum, qui iam partem mercedis recipiunt dum ſubtracti à corporalibus ad ſpiritualia, à viſibilibus ad inuiſibilia mercedem futuræ dulcedinis iam prægustant. Conſiderantes in pulchris pulcherrimum in eum per ebrietatis incendium totaliter transformantur. Sic ergo quilibet debet eſſe Simeon quantum ad compaſſionem miſerorum, Leui quantum ad additionem conſiliorum, Iſſachar quantum ad accenſionem præmiorum. Iſte ternarius pertinet ad perfectos qui tenent tertium locum in numero ſignatorum.

VERS. 7. *4. ternarius. Zabulon fortitudinem ſignificat. Ioſeph ſapientiam.*

EX TRIBV ZABVLON DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis & ſignificat fortes non ſuccumbentes in tentationibus, & tandem peruenitur ad habitaculum æternæ quietis.

EX TRIBV IOSEPH DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Ioſeph interpretatur augmentum, qui per ſapientiam ſuam augmentauit redditus Pharaonis.

EX TRIBV BENIAMIN DVODECIM MILLIA SIGNATI.] Beniamin interpretatur filius dextræ & ſignificat perſeuerantiam, quæ continuat meritum tandem inducit ad Præmium. Vnde perſeuerantia ſola meretur virtutibus gloriam & coronam, prorſus abſque perſeuerantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur.

*Ad perſeuerantiam concurrunt.*

Nota quod in perſeuerantia ſicut in qualibet virtute tria concurrunt, ſcilicet habitus & quantum ad hoc Zabulon promittitur qui interpretatur habitaculum fortitudinis vlterius quia habitus procedit vel exit ad actum, ideo poſtea ordinatur tribus Ioſeph qui interpretatur augmentum finaliter, quia in

A homine perſeuerante in actibus virtutum non ſolum requiritur actus virtutum quicunque, Sed actus perfectiſſimus, ideo omnia concluduntur per tribum Beniamin qui interpretatur filius dextræ Per manum quidem opera ſignificantur. Sed per dexteram opus perfectum. Sic igitur quilibet debet eſſe Zabulon quantum ad triumphum victoriæ, Ioſeph quantum ad cumulum gratiæ, Beniamin quantum ad titulum coronæ, & ſi tandem perueniet ad brauium gloriæ. Iſte ternarius reſpicit perficientes, ſic & nos perficiamus.

*In qualibet virtute tria occurrunt.*

POST HÆC VIDI TVRBAM MAGNAM QVAM NEMO DINVMERARE POTERAT &c.] VERS. 9.

B Poſita dæmonum infeſtatione, Angelorum præſidio & defenſione, electorum conſignatione, conſignatorum numeratione, hic introducitur multitudo gentium Deum laudantium pro ſua glorificatione. Vnde ſecundum Richardum. Superius poſuit iuſtos qui paſſionem Chriſti præceſſerunt, nunc illos qui tempore gratiæ ſignum fidei acceperunt, de Iudæis vero ponitur numerus determinatus, de gentibus vero indeterminatus, ad denotandum quod erunt nouiſſimi primi & plures ſaluantur de gentibus quam de iudæis.

*Richard.*

*Turba vnde dicta.*

Dicit ergo, POST HÆC VIDI TVRBAM MAGNAM] turbam non à turbando dictam, ſed propter multitudinem copioſam, *quam dinumerare nemo poterat*, id eſt nullus purus homo, niſi ſolus ille *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

*Multitudo fidelium innumerabilis.*

C *Arenam maris, pluuias guttas & dies ſæculi.* Nullus per quamcunque artem numerare poteſt, quia in numeratione ſupponitur numerus rerum, & tunc per ſuas figuras artificiales computare. In aliis ſpeciebus algoriſmi ſimiliter ſemper ſupponitur quid eſt vel addendum vel diminuendum vel duplandum & ſic de aliis, vnde eſt ibi aliquis ordo, ſed in prædictis nihil poteſt ordinari ad hoc quod perfecte numeretur. Similiter in propoſito vnde dicit.

QVAM NEMO DINVMERARE POTERAT EX OMNIBVS GENTIBVS] & barbaris *& tribubus* gentium, *& populis* tribuum, *& linguis* populorum. In gentibus ſunt diuerſæ tribus. In tribubus diuerſus populus. In populo diuerſæ linguæ. Et de omnibus

*Ex omni ſtatu aliqui ſaluabuntur.*

D iſtis aliqui ſunt ſaluandi *ſtantes ante thronum*, quantum ad reuerentiam diuinæ maieſtatis. *In conſpectu agni*, ad obſequium Chriſti humanitatis. *Amicti ſtolis* quantum ad decorem immortalitatis *Et palmæ in omnibus eorum* quantum ad honorem triumphi & poteſtatis.

*Palma pœnitentiam ſignificat ob multa.*

Et eſt notandum quod in ſcriptura per palmam pœnitentia deſignatur ratione conuenientiæ & aſſimilationis, ſcilicet aſperitas in radicibus, viriditas in frondibus, ſpecioſitas in floribus, diuturnitas in temporibus, ſuauitas fructibus.

E Dico primo quod in palma eſt aſperitas in radicibus. Sic in anima pœnitente debet eſſe aſperitas afflictionis. Eccleſ. 23. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.*

*1. ob aſperitatem. Eccleſ. 23.*

Circa ſecundum in pœnitente ſimiliter debet eſſe viriditas confeſſionis, id eſt veritas in verbo confeſſionis, quia vera verba in ore ſunt quaſi virides frondes in arbore. Sed in multis verificatur illud Ioel. 1. *Malogranatum & palma & omnia ligna agri aruerunt.*

*2. ob viriditatem. Ioel. 1.*

Circa tertium debet eſſe ſimiliter in pœnitente pulchritudo ſatisfactionis. Pſalm. *Iuſtus vt palma florebit.*

*3. ob pulchritudinem floris.*

Ad inſtar quarti debet eſſe in pœnitente continuitas durationis. Vnde homo arbor numquam creditur poſſe finire Iob. 29. *In nidulo meo moriar & ſicut palma multiplicabo dies meos.*

*4. ob diuturnitatem. Iob. 29.*

Ad inſtar quinti debet eſſe in pœnitente ſuauitas in

*5. ob ſuauitatem fructus.*

in fructibus vt poſſit dicere. *Dedi ſuauitatem odoris.* Et pro remuneratione apprehendat fructum palmæ. Cant 1.

VERS.9. Sequitur STANTES ANTE THRONVM IN CONSPECTV AGNI AMICTI STOLIS ALBIS ET PALMÆ IN MANIBVS EORVM.] In iſto verbo deſcribitur gloria beatorum, declaratur enim tenor ſtatus in quo confirmantur ſtantes ante thronum, dulcor vultus quem contemplantur in conſpectu agni, decor cultus quo adornantur.

Eſt enim gloria ſanctorum, virtuoſa contemplatione quia *ſtantes*, glorioſa felicitate quia *in conſpectu agni*, ſpecioſa iucunditate, quia *amicti ſtolis albis*: pretioſa vtilitate quia *palma in manibus eorum.*

Circa primum eſt notandum quod beati ſtant ante thronum, & ſuſpenſi contemplatione maieſtatis. 3. Reg. 1. *Semper audiunt ſapientiam tuam*, ſuccenſi inflammatione charitatis. Iſa. 3. *Seraphim ſtabant ſubter illud, ſex alæ vni & ſix ala alteri.* Abſorpti delectatione voluptatis Io. 3. *Amicus ſponſi qui ſtat* &c.

Iſa.3. Io.3. Cur Sancti ſtant. Circa ſecundum eſt notandum, quod ſancti *ſtant in conſpectu agni*, dealbati lauacro, reparati pretio, decorati præmio.

De primo infra *Lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas.*]

1.Petr 1. De ſecundo 1. Petr. 1. *non corruptibilibus auro &c.*

De tertio infra Agnus qui in medio throni eſt.

Circa tertium eſt notandum quod *ſunt amicti ſtolis albis*, ſcilicet fulgore primæ veritatis. Eccli. 46. *induit illum ſtola gloriæ, & coronauit eum &c.*

Eccli.45. Decore immortalitatis. Iſa. 83. *iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ* honor: ſummæ liberalitatis. Matt. vlt. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida & obſtupuerunt.*

Iſa.83. Matt.vlt.

Ioan.12. Circa quartum eſt notandum quod *palmæ in manibus eorum* ſunt triumphi aduerſariorum. Ioan. 12. *Acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam, &c.* de ſecundo Exod. 15. *venerunt filii Iſrael in Helim, vbi erant duodecim fontes, ſeptuaginta palmæ & caſtrametati ſunt iuxta aquas.* De tertio Leuit. 25. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum.*

Leuit.23.

Et ſequitur ET CLAMABANT VOCE MAGNA ſecundum deſiderij intentionem, *clamabant* inquam *ſalus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum & agno* & paſſionis immolationem, Chriſtus dicitur agnus ratione puritatis, ratione benignitatis, ratione vtilitatis.

Agnus dicitur Chriſtus. Chriſtus à culpa immunis. Io.1. Vbi ſciendum eſt quod puritatem habuit per omnimodam peccati immunitatem, benignitatem, patientiæ lenitatem, vtilitatem ſanando noſtram infirmitatem. Io 1. *Ecce agnus Dei* qui lacte ſuo nos potat, carne cibat, lana facit indumentum, pelle præparat ornamentum.

Sequitur ſupernorum ciuium veneratio. ET OMNES ANGELI STANT IN CIRCVITV THRONI,] per voluntariam ſubiectionem *& ſeniorum* quantum ad patrum antiquorum ſubuerſionem *& quatuor animalium*, per omnium prædicatorum protectionem, vel per omnium bonorum iugem miniſtrationem.

VERS.2. ET CECIDERVNT IN CONSPECTV THRONI IN FACIES SVAS] ſuam vertibilitatem recognoſcendo *& adorauerunt eum*, diuinam maieſtatem venerando.

Decem gradus adorationis mentalis. Vbi nota quod decem ſunt gradus veræ adorationis mentalis correſpondentes decem gradibus adorationis vocalis: gradus mentales ſunt iſti, primus eſt amaræ compunctionis, ſecundus eſt fraternæ compaſſionis, tertius benignæ ſubuentionis, quartus inconcuſſæ fortitudinis, quintus eſt indeflexæ rectitudinis, ſextus manſuetudinis, ſeptimus auſteræ diſtrictionis, octauus promptæ diſcretionis, nonus ſanctæ deuotionis, decimus diuinæ conſolationis. Secundum iſtos decem gradus mentales Dauid inſtituit decem gradus vocales.

Primus gradus. Quorum primus ſunt ſeptem pſalmi pœnitentiales correſpondentes primo gradui mentali qui eſt amaræ compunctionis. Et iſti ſunt *Domine ne in furore tuo arguas* &c. & conſequenter alij qui ſequuntur.

Secundus. Pro ſecundo gradu mentali ſunt pſalmi compaſſionales. *Deus Deus meus &c.*

Tertius. Pro tertio gradu ſunt pſalmi correſpondentes qui dicuntur victoriales, ſcilicet *Diligam te Domine.*

Quartus. Pro quarto gradu mentali correſpondent pſalmi confortatiui. *In te Domine ſperaui &c.*

Quintus. Pro quinto gradu mentali correſpondent pſalmi directiui. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Sextus. Pro ſexto gradu mentali ſunt pſalmi conſolatorij, ſcilicet *Canticum graduum.*

Septimus. Pro ſeptimo gradu ſunt pſalmi diuina myſteria ſcientes, ſcilicet. *In exitu Iſrael de Ægypto.*

Octauus. Pro octauo gradu ſunt pſalmi diuina chariſmata continentes, ſcilicet, *Quam dilecta tabernacula tua Domine.*

Nonus & Decimus. Pro nono & decimo gradu ſunt pſalmi diuina præconia continentes, ſ. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*

Mentaliter & vocaliter adorare debemus. Iſtis modis debemus adorare mentaliter & vocaliter Deum cum Angelis dicentes Amen reſpondentes & confirmantes laudationem ſignatorum.

Sicut pueri reſpondentes Amen in fine orationis, *benedictio* Deo creanti, *claritas* recreanti, *ſapientia* illuminanti, *gratiarum actio* ſaluanti, *honor* maieſtati, *virtus* deitati, *fortitudo* poteſtati.

Chriſto multa debentur. Eſt enim Chriſto, *benedictio* ratione Incarnationis, *claritas* ratione miſericordiarum operationis, *ſapientia* ratione informationis, *gratiarum actio* ratione paſſionis, *honor* ratione Reſurrectionis, *virtus* ratione Aſcenſionis, *fortitudo* ratione perpetuæ durationis.

Laudes & præconia Chriſti referuntur ad ſeptem dona Spiritus ſancti. Et nota quod ſunt ſeptem præconia in hac laude, quæ referuntur ad laudem conditoris propter ſeptem dona Spiritus ſancti quæ ab ipſo deſcribuntur, ſaluãdis quoniã nobis datur *per benedictionem* Spiritus timoris, per claritatem Spiritus intellectus, per ſapientiam Spiritus ſapientiæ, per gratiarum actionem Spiritus pietatis, per honorem Spiritus ſcientiæ, per virtutem Spiritus conſilij, per fortitudinem Spiritus fortitudinis ad reſiſtendum dæmonibus, peruerſis hominibus & diuerſis tẽtationibus. Vnde Aug. ad Aurelium Epiſtola quarta. Quid melius in animo grauemus & corde promamus & ore & calamo exprimamus quam Deo gratias? ad hoc nec aliquid tangi breuius, nec audiri lenius, nec intelligi gratioſius, nec agi fructuoſius poteſt.

Deo gratias agere vtile.

VERS.15. Et ſequitur conſolationis reuelatio ex magnitudine gloriæ bonorum. *Et reſpondit vnus de ſenioribus & dixit mihi*, quaſi inueſtiganti *hi amicti ſunt ſtolis albis*, ſtola iucunditatis fulgendo *qui ſunt & vnde venerunt* quia de miſeria peruenerunt ad gloriam, de paupertate ad diuitias, de exilio ad patriam, de anguſtia ad delitias, de carcere ad libertatem. Vnde hic deſcribitur fructus præmiorum. Iſti qui amicti ſunt ſtolis albis, gradus officiorum qui ſunt ordo meritorum & vnde venerunt. Sed hic quæritur qualiter vnus de ſenioribus reſpondit nulla interrogatione præmiſſa ex more ſcripturarum loquitur deſiderio ſatisfaciens auditoris. Et dixit illi meam ignorantiam confitendo, *Domine tu ſcis*, & ideo pro meo deſiderio ſatisfaciendo hoc eſt contra præſumptuoſos ignota determinantes & ſe melioribus præferentes de quibus Bernardus præſumptuoſus primus reſpondet, non

Præſumptuoſus hic arguitur.

vocatus accedit, non iuſſus reficit facta, & ordinat ordinata, quicquid ipſe non fecit ac non ordinauit, non recte factum nec pulchre exiſtimat ordinatum cum debeat dicere, *Domine tu ſcis &c. Et dixit mihi* aliqua enodando.

VERS. 14. *De tribulatione venerunt.*

HI SVNT QVI VENERVNT EX MAGNA TRIBVLATIONE,] id eſt de huius mundi corruptione, ratione periculi, ratione exilij, & ratione contagij. Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis quid eſt aliud quam quædam prolixitas mortis? Veniunt ergo *ex magna tribulatione* & multiplici. Nam ex vna parte dæmones expugnant pacem, ex alia hæretici fidem, ex alia falſi chriſtiani mores corrumpunt, ex alia tyranni ſubſtantiam auferunt.

*Lauant ſtolas ſuas quomodo.*

Sed LAVERVNT STOLAS SVAS] per baptiſmalem innocentiam, per ſacramentalem pœnitentiam, per martyrij victoriam. *Et dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Et hoc per exterminationem vitiorum, exercitationem meritorum, ædificationem exemplorum, Pſal. *Aſperges me Domine hyſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* De iſto ſanguine pulcherrime loquitur Chryſoſtomus. Largitor imbrium ſputis perfunditur. Cæli ſtructor clauis ferreis aſtringitur, mellis dator felle cibatur, propinatur fontium aceto potatur, ſublimator omnium in cruce eleuatur & tandem mortis lancea perforatur. Corpus candidum vnda ſanguinis madidatur, heu captiuorum libertas traditur in ſanguinis ſudorem. Et ſequitur gloria Angelorum illuditur, virtus immenſa cæditur, ſapientia ſpernitur, pietas damnatur viuificans occiditur & in crucem aſcendit Dominus maieſtatis.

*Chryſoſt. Chriſti dolores deſcribuntur.*

*Vera in gloria beatorum eſt multitudo*

Ex prædictis patet quod in gloria eſt beatorum multitudo, magnitudo, longitudo, latitudo. Sed paſſiones huius mundi ſunt paucæ, momentaneæ breues: & leues & propter hoc iuxta Apoſtolum. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et quia ad meritum ſequitur præmium.

VERS. 15.

IDEO SVNT ANTE THRONVM DEI.] ad miniſtrandum, ad contemplandum & iubilandum, *& ſeruiunt ei* reuerentiæ exhibitione, & laudis decantatione *die ac nocte*, ſine intermiſſione, ſancta & deuota affectione *in templo eius*, fœlici & perenni habitatione, nam in templo illo omnes dicent gloriã.

Vide ergo quomodo hic coaptatur præmium merito, *hi ſunt qui venerunt*, per perſeuerantiam, *ex magna tribulatione* ſuſtentati per patientiam, *& lauerunt ſtolas ſuas*, cuſtodientes innocentiam, *& dealbauerunt eas*, per frequentem paſſionis memoriam, *ideo ſunt ante thronum*, per perpetuam aſſiſtentiam, *& ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius*, per gratiarum actionem indefeſſam, *& qui ſedet in throno*, per omnium præſidentiam, *habitat ſuper illos*, per continuam lætitiam, *non eſurient*, pane vitæ ſatiati, *nec ſitient amplius* aqua vitæ potati,

*In cœlo nec ſitis nec fames.*

Nota quod in fame, & ſiti duo ſunt, defectus ſcilicet, & deſiderium: quando ergo non eſurient neque ſitient amplius tollitur defectus, & ponitur fructus: tollitur faſtidium, & ponitur deſiderium: fruuntur enim, nec faſtidiunt quo frui magis ſitiunt, ſecundum Greg. ſuper Ezechiel. lib. 1. hom. 8. O quanta feſtinitas viſionis in eis, in quibus nec deſiderium generat pœnitentiam, ſatietas faſtidium, quia ſatiabitur. Et quidẽ quando ad ipſum fontem aquæ viuæ peruenerimus erit nobis delectabiliter impreſſa ſitis ſimul atque ſatietas, ſed longe aberit à ſiti neceſſitas, longe à ſatietate faſtidium, quia ſitientes ſatiabuntur, & ſatiati ſitient.

VERS. 16.

NEC CADET SVPER ILLOS SOL.] id eſt perſecutio tribulationis, *neque vllus æſtus*, id eſt calefactio cuiuſcumque vexationis, *quoniam Agnus qui in medio throni eſt*, tanquam medium influens reget eos, quia virtus perficiens: *& deducet eos ad fontes*, quia

A allíciens, *vitæ aquarum*, quia ſapor reficiẽs, vnde odor trahit, amor vnit, dulcor allicit, ſapor reficit.

*Agnus in medio. Chriſtus. Agnus mitiſſimus. Iſa 16.*

Quantum ad primum eſt notandum quod agnus ille qui ſtat in medio throni eſt mitiſſimus in conuerſatione, quia temporaliter incarnatus, Iſa. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.*

*Secundo manſuetiſſimus. Hier. 20.*

Manſuetiſſimus in paſſione, quia corporaliter immolatus, Hier. 20. *Ego quaſi Agnus manſuetus.*

*Tertio victorioſiſſimus*

Victorioſiſſimus in reſurrectione, quia triumphaliter ſuſcitatus, ſupra hoc *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt.*

*Quarto glorioſiſſimus. Pſal. Ioan. 16.*

Glorioſiſſimus in aſcenſione, quia imperialiter B exaltatus, ſupra. *Vidi ſupra montem agnum ſtantem, & cum eo, &c.*

*Zach. 1. Ioan. 10. Primo fontes ſitiuntur.*

Circa ſecundum eſt notandum quod vita, ad quam deducit Agnus, eſt æterna ſtatu, excelſa gradu, iucunda viſu, Ioan. 16. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te* De ſecundo Zach. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*; & De tertio Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant.*

Circa tertium eſt notandum quod fontes iſti ſitiuntur cum deſiderio, vnde in Pſal. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

*2. oriuntur.*

Secundo oriuntur ſine excidio Cant. *Fons hortorum, puteus aquarum.*

*3 hauriuntur. 4. bibuntur.*

Tertio hauriuntur intenſo gaudio, Iſa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

C Quarto bibuntur ſine faſtidio, in Pſalm. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.*

*Fons ſpiritualis ſapientia verbum.*

Quamuis autem ſint multi fontes pro variis ſanctorum meritis & gaudiis. Eſt tamen principalis fons ſapientiæ. *Verbum Dei in excelſis.* Eccl. 1. fons inquam indefectibiliter plenus, incontaminabiliter purus, interminabiliter viuus, imperturbabiliter clarus, ideo fons ſummè deſiderabilis & delitioſus, ex illo namque hauritur vbertas inexhauſtibilis, præclaritas inobfuſcabilis, voluptas infaſtidibilis, perennitas inamiſſibilis, vbertas dat omnem appetitum, præclaritas exuperat omnem ſenſum, perennitas quietat omnem ſtatum, voluptas ſatiat omnem guſtum, tunc enim ſecundum auctorem de ſpiritu & anima erit illa manifeſta viſio plena gratia, vera dilectio, firma coniun-D ctio, ſatietas indiuidua, ſimilitudo perfecta, vita beata in æternum & vltra. Ibi enim anima ſecundum Aug. lib. conf. amabit quandam lucem, vbi fulgebit quam non capit, (locus) quandam vocem vbi ſonat, quam non rapit tempus, quemdam odorem quem non minuit odoratus, quendam nitorem amplexum vbi habet quicquid non diuellit ſocietas: vbi vero videbitur ſpecies ſpecierum, exemplar exemplarium, & cauſa cauſarum, illa ſpecies vt dicitur 2. cap. rapiet omnem animam rationalem deſiderio ſui, quæ tanto ardentior eſt, quanto mundior, quanto ad ſpiritualia reſurgens tanto carnalibus moriens, in hac quippe conſiſtit iam conſtitutæ vniuerſitatis lux percipiendæ veritatis, fons habendæ fælicitatis.

*Ex illo fonte hauritur Beatitudinis deſcriptio.*

Secundum enim quod ſunt diuerſa merita & prẽmia, diuerſi ſunt fontes, & variæ aquæ: habemus namque, de fonte ſapientiæ aquas inſtructionis, de fonte E miſericordiæ aquas regenerationis, de fonte ſpiritalis lætitiæ aquas conſolationis, de fonte gratiæ aquas refectionis, de fonte vitæ aquas perpetuæ durationis.

De primo, Eccleſiaſtici decimo quinto. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.* *Eccl. 15.*

De ſecundo, Ezechielis vigeſimo ſeptimo. *Effundam ſuper vos aquam mundam, &c.* *Ezech. 27.*

De tertio, prouerbiorum vigeſimo quinto. *Aqua frigida refrigerat cor.* *Prou. 25.*

De quarto, Pſal. *Super aquas refectionis educauit me.*

De quinto, Iſaiæ *Hauriectis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Aqua autem, de qua fit hic mentio eſt *Iſa. 12.*

quæ

quadruplex gaudium beatorum, ſcilicet calamitas inferni quam comparauerunt, claritas paradiſi quam acquiſierunt, fœlicitas regni quam præoptauerunt.

Vers. 17. Et absterget Devs omnem lacrymam ab ocvlis eorvm.] id eſt omnem doloris occaſionem.

Econtrario in reprobis erit fletus ex calore reſoluente, ſtridor dentium ex frigore conſtringente, lachrymabuntur ex propria offenſa, ex aliena culpa pro mundi miſeria, pro deperdita & neglecta gloria.

*Fletus quomodo fit.*

Vbi nota ſecundum Gregor. quod quatuor qualitatibus fletus efficitur, aut cum malorum ſuorum conſiderans reminiſcitur vbi fuit, aut iudiciorum diuinorum ſententiam metuens, cogitat, vbi erit, aut mala huius vitæ attendens aduertit vbi eſt, aut ſuperna contemplans, lugens aſpicit vbi non eſt.

*Quatuor lachrymarum proprietates.*

Quatuor nota proprietates lachrymarum, ſecundum quas lachrymæ quatuor bona faciunt, & ob hoc quilibet ſe prouocare ad fletum attendendo ad prædicta quatuor: proprietates autem lacrymarum ſunt hæ videlicet, quod ſunt humidæ & fœcundæ, vt cor datum molliant, ſunt calidæ, vt frigidum calefaciant, ſunt ſalſæ vt inſipidum condiant, ſunt amaræ, vt dulcorem voluptate carnalium temperent. Et ideo dicit Bernard. lacryma pœnitentis eſt odor vitæ, ſapor gratiæ, indulgentia guſtus, reconciliationis locus, renouatio ſtatus, iucunditas redeuntis innocentiæ, ſuauitas ſerenatæ conſcientiæ.

# SYNOPSIS
## CAPITIS OCTAVI.

*APERTO ſeptimo ſigillo admiranda Joanni apparuerunt, nam ſeptem Angeli cum tubis oſtenduntur, effuſóque igne altaris, ab alio Angelo fiunt variæ tempeſtates: ſimiliter quatuor Angelis tuba canentibus fiunt variæ plagæ aduerſus homines. Primo enim ſonante tuba facta eſt grando & ignis cum mixtione ſanguinis. Secundo tuba canente mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare. Tertio tuba canente magna ſtella ardens tanquam facula cecidit de cœlo in tertiam partem fluminum. Quarto denique tuba canente percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, & audita eſt vox vnius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna, Væ, væ, væ, habitantibus in terra.*

---

### CAPVT OCTAVVM.

1. ET cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora.

2. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

3. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.

4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

6. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe vt tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis, miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.

8. Et ſecundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.

9. Et mortua eſt tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

10. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

11. Et nomen ſtellæ dicitur abſynthium: & facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.

12. Et quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

13. Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

## EXPOSITIO OCTAVI Capitis.

VERS. 1. *Septimus Eccleſiæ ſtatus ſcilicet pacis & quietis.*

ET CVM APERVISSET SIGILLVM SEPTIMVM, FACTVM EST SILENTIVM IN COELO QVASI MEDIA HORA.] Oſtenſa tribulatione quæ erit tempore Antichriſti in ſeptimo ſtatu Eccleſiæ, hic oſtenditur breuis quies, quæ erit poſt mortem beſtiæ.

Vnde nota quod apparitio iſtius ſeptimi ſigilli eſt reſeratio ſeptimi ſtatus in quo erit ſilentium, id eſt pax & tranquillitas paruo tempore.

Dicit ergo. ET CVM APERVISSET SEPTIMVM SIGILLVM.] id eſt cum futurum ſtatum Eccleſiæ poſt mortem Antichriſti, *factum eſt ſilentium in cœlo*, id eſt pax & tranquillitas in mundo: & ponit præteritum pro futuro, ad maiorem certitudinem; *quaſi media hora*, id eſt valde parum durabit iſta tranquillitas. Vnde ſecundum Hier. ſuper Danielem poſt mortem Antichriſti, præſtabunt dies quadraginta, ad pœnitendum hominibus, quod ſpatium dicitur hic fieri ſilentium in media hora, ſicut dedit Deus quadraginta annos Iudæis ad pœnitendum poſt paſſionem Chriſti vſque ad deſtructionem ciuitatis Hieruſalem per Titum & Veſpaſianum. Ita ex ſua miſericordia dabit ſpatium pœnitendi hominibus poſt mortem Antichriſti vſque ad extremum iudicium: quantum vero ſpatium ſit vel fuerit futurum inter illos quadraginta dies, & finem mundi nemo ſcit niſi fortè alicui ſancto fuerit reuelatum. Matth. 24. *De die autem illa, & hora nemo ſcit niſi ſolus pater. Cum* tamen *videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat.*

*Ad pœnitendum dedit Iudæis quadraginta annos: & 40. dies poſt mortem Antichriſti vſque ad iudicium. Huius capitis ſunt ſeptem partes.*

Sic ergo habetis in iſto octauo capite ſeptem partes. Quarum prima continet dæmonum infeſtationem, ſecunda perturbantium Euangelicam prædicationem, tertia electorum conſignationem per duodenarium Patriarcharum numerum, & Apoſtolorum, quarta gentium nobis innumerabilium venerationem, quinta Euangeliſtarum collaudantium adorationem, ſexta perenniter regnantium felicem conſolationem, ſeptima ſeptimi ſigilli apertionem, ſeu reſerationem.

VERS. 2. Secunda viſio continet quatuor alia, ſub hoc ſecundo tempore continentur pugnæ filiorum Iſraël, habitæ cum Chananæis & diuerſis gentibus ſecundum quod ſcriptum eſt in geſtis Ioſue, & libris Iudicum à diebus eiuſdem Ioſue vſque ad Dauid, ſimiliter ſub hoc ſecundo tempore continentur prælia Sanctorum Martyrum habita cum paganis, ſecundum quod continentur ſpecialiter in ſpiritu, & in ſecunda parte Apocalypſis quam cõpleuimus, in qua apertis ſeptem ſigillis, vel ſignaculis in ſpecie equitum, & aliarum imaginum diuerſa perſecutorum genera oſtenduntur, qui præceſſerunt, & ad huiuſmodi vero ſtatum Eccleſiæ ſunt ventura.

ET VIDI SEPTEM ANGELOS STANTES IN CONSPECTV DEI, &c.] Poſtquam determinatum eſt de Eccleſiarum correctione & de ſigillorum apertione: hic determinatur de prædictorum manifeſtatione per officium prædicationis. Vnde hic Ioanni oſtenditur quomodo prædicatores defendunt Eccleſiam ſuis monitionibus ſecundum diuerſitatem ſtatuum & perſecutionis. Et patet ordo huius viſionis ad præcedentem, in illa enim aperiuntur omnes ſtatus Eccleſiæ, à mundi exordio vſque in finem, in quibus Eccleſia multas ſuſtinet paſſiones. In iſta ponuntur conſolationes Prædicatorum, tribulationes perſequentium, & retributiones præmiorum annunciantium. Continet igitur

A iſta viſio quatuor capita, vnde hæc pars diuiditur in duas, quoniam præmittit quædam præambula omnibus in generali, ſecundo determinat de vno quoque in ſpeciali. *Et primus Angelus tuba cecinit.*

Dicit ergo: ET VIDI SEPTEM ANGELOS.] id eſt prædicatores vniuerſos, qui debent eſſe Angeli prõpti executione, ad Hebræos quinto. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*, puri affectione. Pſal. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* *Prædicatores ſunt Angeli* *Heb. 5.* *Pſalm.*

Clari contemplatione. Matthæi decimo octauo. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* *Matth. 18.*

Cauti ſpeculatione, Pſalm. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant*, &c. *Pſal.*

Qui dicuntur SEPTEM.] quia ornati ſeptem virtutibus, B & ſeptem donis, vel quia extirpant ſeptem vitia capitalia inſerentes ſeptem remedia ſacramentalia, ſtantes contra negligentiam, contra inſolentiam, contra inconſtantiam. *Cur ſeptem Angeli.*

IN CONSPECTV DEI.] vt ipſum iugiter contemplentur, humiliter venerentur, fortiter imitentur. *Cur in conſpectu Dei.*

Vel in conſpectu Dei, id eſt in laudem Dei, in meritum ſui, in commodum proximi: & in conſpectu Dei, vt Deum conſpiciant, & alios conſpicere faciãt.

Vel in conſpectu Dei, vt quicquid dicunt, aut faciunt recta intentione reguletur, ac ſi ſemper conſpicerentur à Deo, de quo Boetius. Magna nobis probitatis neceſſitas indicta eſt, ſi diſſimulare non velimus cum cuncta agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Sunt aperta ergo: ET DATÆ SVNT ILLIS SEPTEM C TVBÆ.] id eſt tale officiũ cuius eſt vitium extirpare, petitiones formare, opera miſericordię clamare, beatitudines commendare, dotes pronunciare. Hier. 1. *Conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: in clangore iſtarum ſeptem tubarum muri Iericho corruunt, id eſt vanitas ambitionis, vilitas infectionis, breuitas durationis, leuitas mutationis, falſitas deceptionis, infidelitas dilationis, malignitas operationis. VERS. 2. *Tuba prædicatorum.*

Et ſequitur facultas exequendi iniunctum officium, quia hinc introducitur alius Angelus, qui eſt REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM.] committens prædicatoribus ſuum miniſterium, vnde dicit. *Chriſtus Angelus.*

D ET ALIVS ANGELVS.] in quo eſt excellentia diuinitatis: alius inquam, quia excellentior dignitate, potior primitate, celſior poteſtate, Iſa. 9. *Vocabitur magni conſilii Angelus. Venit* in quo euidentia humanitatis, *Stetit*, in quo vehementia charitatis, *ante altare*, id eſt ante crucem in quo obedientia humilitatis, *habens thuribulum aureum, in manu ſua*, in quo exſolutio pœnalitatis: *& data ſunt illi incenſa multa*, in quo placatio diuinæ maieſtatis. VERS. 3. *Iſa. 9.*

Altare iſtud eſt benedicta crux in qua veſpertinum ſacrificium pro redemptione humani generis eſt oblatum. Altare ſecundum Papiam, id eſt quaſi alta ara, vnde altare eſt eminentia altum, Deo dicatum, figura quadratum, ad ſacrificandum, & Deum placandum ordinatum. Et ideo congrue ſignificat iſtam E crucem Iſa. 60. *Offerent ſuper placabili altari meo.* *Altare crux.* *Altaris etymologia.*

Nota quod Chriſtus dicitur thuribulum generoſum factura, pretioſum natura, ſpatioſum figura, ſpecioſum ſculptura, thuribulum ergo eſt rotundum, & ſignificat ſubiectionem obedientiæ; clauſum inferius, & ſignificat extinctionem concupiſcentiæ, apertum ſuperius, & ſignificat exhibitionem reuerentiæ, vel contemplationem intelligentiæ, ignitum interius, & ſignificat affectionem beneuolentiæ. *Chriſtus thuribulum.*

Sed nota quod eſt aureum propter exemplaritatem perfectionis omnimodæ. Vnde legitur 3. Reg. *quod Salomon fecit ſeptem thuribula aurea*, aurum purum *Cur aureum thuribulum.* *3. Reg.*

fuit Adam in ſua plaſmatione, ſed obſcuratum eſt in A peccati transgreſſione. Thren.3. *Filii Sion inclyti*, ſc. Adam & Eua, *amicti auro primo* in ſua formatione.

Salomon fecit ſeptem thuribula. Thren.3. Virgo Maria aurum. Prou.21.

Nota quod virgo glorioſa fuit aurum potius duplici ſanctificatione.Prou.21. *Aufer rubiginem à ferro*, id eſt de glorioſa Virgine Maria omnem fomitem peccati & originalis contagionem, *& egredietur vas puriſſimũ*.id eſt corpus Chriſti per carnis aſſumptionẽ.

ET DATA SVNT ILLI INCENSA MVLTA ]id eſt orationes propter feruoris incẽdiũ,*vt daret*,id eſt. Patri præſentaret *de orationibus Sanctorum omnium*,quantum ad orationis diſtinctum encenium, quia non omnes orationes ſanctorum Chriſtus repræſentat Patri, quia aliquando petunt homines quod non eſt petendum ſuper altare aureum, id eſt ſuper crucis tropheum,vbi orauit pro peccatoribus, *quod eſt ante* B *thronum Dei*, quantum ad diuinum beneplacitum, quia paſſio Chriſti in carne Deo placuit,licet crucifixio Iudæorum diſplicuerit: vnde Bernard. Actio diſplicuit,ſed paſſio grata fuit.

Oratio eſt incenſum.

VERS.4 ET ASCENDIT FVMVS INCENSORVM. ] id eſt compunctio cordium deuotorum procedens *de orationibus ſanctorum*,ſicut fumus ex aromatibus incenſis, ſic virtus cõpunctionis ex ſtudio orationis gignitur *de manu Angeli*, i. de virtute Chriſti, qui ſanctis omnibus dat virtutem,aſcendit *coram Deo*, ſcilicet patre:Chriſtus enim orationes ſanctorum in manu ſua ſuſcipit,& oſtendit eas Deo Patri proponens ei quotidie humanitatem aſſumptam & paſſam pro redemptione generis humani,Ioan. 12. *Aduocatum ha-* C *bemus apud patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*.Vnde Bernardus ſecurum habes, ô homo,acceſſum ad Deum,vbi habes filium ante patrem,& matrem ante filium,ille oſtendit Patri latus, & vulnera,mater filio pectus & vbera, nulla poteſt eſſe repulſa,vbi tot currunt charitatis inſignia.

Chriſtus aduocatus noſter. Ioan.12.

Et quia fit hic mentio de oratione ſanctorum eſt notandum ſecundum Bernard.quod ſunt, tres comites orationis.Primo enim debet præcedere præparatio ſecundo concomitari attentio, & tertio ſubſequi exultatio, vt ſic per eam orans purgetur, illuminetur,& perficiatur.

Tres comites orationis.

1.præparatio. Patet ergo quod in oratione debet præcedere præparatio purgatiua, & hoc ab elatione præſumptuoſa D per manſuetudinem humilitatis, à delectatione voluptuoſa per deuotionem ſuauitatis, ab occupatione curioſa,& hoc per adeptionem tranquillitatis, iuxta illud,Eccleſ.18. *Orationi prepara animam tuam*.

Eccli.8. 2.attentio. Secundo anima debet eſſe prouida attentione & hoc per vigilantiam in intellectu ad ſuperna ſpectacula,per beneuolentiam in affectu ad ſuperna ſuffragia,per perſeuerantiam in effectu ad accumulanda merita propria. Eccleſia. 18. *Non impediaris orare ſemper*.

3.exultatio. De tertio anima debet in oratione totaliter repleri ſpirituali admiratione viſus in ſplendoribus æternis per ſuſpenſionem auditis,in contentis Angelicis per attractionem olfactus in ſpiritualibus vn- E guentis, per aſſuefactionem guſtus, & chariſmatibus diuinis per affectionem tactus, vel aſcenſionem in amplexibus ſacris datis oranti, vnde ait Auguſt. in quadam Epiſtola non multa locutio, ſed non deſit multa deprecatio ſi feruens perſeuerat in intentione & oratione; nam multum loqui in orando eſt rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis multum precari eſt ad eum, quem precamur diuturna, & pia cordis excitatione pulſare, nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam ſermonibus agitur, plus fletu quam affatu,ponit autem lacrymas in conſpectu ſuo,& gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo,quia omnia per verbum condidit,& humana verba ſolum non quærit.

Nota quod tribus vicibus ſecundum gloſſ. ſuper Matth. Chriſtus orauit, vt nos à peccatis præteritis veniam, & à præſentibus malis tutelam oremus.

Chriſtus tribus vicibus orauit.

ET ACCEPIT ANGELVS THVRIBVLVM ] id eſt Chriſtus contubernium noſtræ conditionis. *Et impleuit illud de igne altaris*,quia fuit plenus gratia,& veritate ab inſtanti ſuæ conceptionis: *& miſit in terram*, poſtquam paſſus eſt ſepulchrum, vel ſepulturam ſuæ conditionis. *Et facta ſunt tonitrua*, ipſo moriente: *& voces & fulgura*, ipſo expirante: *& terræmotus magnus*, omni creatura compatiente Chriſto patienti.

In verbo igitur propoſito deſcribitur Incarnationis vnio, quia accepit thuribulum aureum:paſſio, quia impleuit illud de igne altaris:ignis enim feruidæ dilectionis fecit paſſibilem impaſſibilem Tumulatio,quia miſſus eſt in terram: oſtenditur ergo Dominus Ieſus hic vt incarnatus, immolatus,& tumulatus.

Quantum ad primum eſt notandum quod Chriſtus quando accepit noſtræ carnis thuribulum,tunc hominem lapſum reparauit,Deum placauit, cœlum reſerauit,lymbum ſpoliauit, hoſtem ſuperauit: vnde ſignificatur per Aaron qui tenebat thuribulum in manu ſua.Num 16.

Incarnatio Chriſti.

Quantum ad ſecundum eſt notandum quod lignũ crucis dicitur hoc altare,placatiuæ oblationis, & ſic fit ſalus præuaricantium,protentiuæ munitionis, & ſic fuit clypeus prœliantium,vnitiuæ dilectionis:& ſic fuit calculus amplectentium, ſuſpenſiuæ deuotionis,& ſic dicitur titulus cõtemplantium,de quo altari Iſa.30.*In dio illa erit altare in medio terræ*,& titulus Domini erit ſuper crucem poſitam in medio eius:poſitus enim fuit triumphalis titulus Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

Lignum crucis altare

Circa tertium eſt notandum quod corpus Domini cum fuit miſſum in terram, quia ſepulchri conſecrator,ſubtus terram quia lymbi ſpoliator, ſuper terram quia mortis triumphator,vltra terram,quia ſuper cœlum imperator,Iſaiæ tertio. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria,fructus terræ ſublimis,& exaltatio de his qui ſaluati fuerunt de Iſrael*.

Sepulchrum Chriſti. Iſa.3.

Sequitur: ET SEPTEM ANGELI.]id eſt prædicatores vniuerſi,*qui habebant ſeptem tubas*, quantum ad commiſſionem officij,*parauerunt ſe vt tuba canerent*,quantum ad diſpoſitionem exercitij, veri prædicatores debent ſe præparare primo, vt quæ dicturi ſunt in prædicatione compleant opere in conuerſatione,Act.1.*Cœpit Ieſus facere & docere*. VERS.6.

Prædicatores debent ſe præparare. Act.1.

Secundo vt diſcant prius quod doceant,Eccleſiaſt. decimo octauo. *Antequam loquaris,diſce*. Eccl.18.

Tertio vt prius quam prædicent prouideant & cogirent ſecum quando, & quomodo, & qui ſingulis perſonis,& locis oporteat prædicare,nam aliter iuuenibus,& aliter ſenioribus,aliter perfectis, aliter imperfectis,aliter ſapientibus, & aliter mundanis,aliter Monaſticis, & aliter ſecularibus ſecundum doctrinam Gregorij in paſtorali.

In hoc verbo deſcribuntur Prælati quantum ad veritatem iuſtitiæ,vitæ,& doctrinæ quam debent habere.Primum probat cura paſtoralis, debent eſſe Angeli.quia ſecundum vitam perſonalem debent eſſe ab aliis in moribus & vita diſtincti.

Prælatus debet eſſe Angelus.

Tertio tuba doctrinalis quia debent tuba canere. Bonus enim Prælatus debet eſſe ſicut Angelus, vt de eo dicatur. *Ego mitto Angelum meum*. Debet ergo eſſe vt Angelus,vigil ſpeculator,fortis propugnator, prouidus defenſor, primus anteceſſor, propitius interceſſor, Exod vigeſimo tertio. *Ego mitto Angelum meum qui præcedat te in via, & introducat ad locum*, &c. Iſti ergo Angeli ſe debent parare ad tole

Exod.23.

*Pſal.118.* *Ioel.3.*

tolerandum,ad portandum,ad bene operandum.Pſal. *Paratus ſum, & non ſum turbatus*, & ſic debet canere tuba excitationis,comminationis & confortationis, Ioel.3.*Canite tuba in Sion.*

VERS.7. Sequitur:ET PRIMVS ANGELVS TVBA CECINIT.]Poſtquam determinatum eſt de ſeptem Angelis in generali,hic determinat de quolibet in ſpeciali,& ſicut diabolus principio orientis Eccleſiæ multos aduerſarios ſuſcitauit, ſic Deus econtrario multos defenſores conſolatores donauit. Primo igitur diabolus ſuſcitauit Iudæos contra quos Chriſtus miſit Apoſtolos,& ſic eſt primus Angelus,ſecundo miſit tyrannos contra quos miſit Martyres,& ille eſt ſecundus Angelus,tertio hæreticos contra quos miſit Doctores, & ille eſt tertius Angelus, quarto falſos Chriſtianos, ſiue ſchiſmaticos contra quos pauperes prædicatores,& ille eſt quartus Angelus, quinto mittet Antichriſtum contra quem Dominus mittet prædicatores quarti ſtatus, vel alios, & ille quintus Angelus. Dæmonum latens ſæuitia, & Antichriſti malitia apparebit,contra quem Dominus veniet, qui ſolus poteſt dæmonem ſuperare, & eius malitiam refrænare,& his deuictis pax reſtituitur Eccleſiæ Dei, vnde in voce ſeptimi Angeli nullum obſtaculum inuenitur.Dicit ergo:

*Septem Angeli ſignificant Apoſtolos,Doctores, Prædicatores.*

*1. Angelus cœtum Apoſtolorum indicat.*

ET PRIMVS ANGELVS,]id eſt cœtus Apoſtolicus,*tuba cecinit*,ad prælium animauit confortãdo,promittendo,conſolando, hoſtis caſum indicando. Primo igitur Angelo clangente,id eſt cœtu Apoſtolico prædicante,*facta eſt grando*,id eſt verborum contumelia, *ignis*, id eſt animorum iracundia *mixta ſanguine*, id eſt corporum interfectione, *& miſſus eſt in terram*, id eſt in Iudæos diabolica ſuggeſtione, vnde contumeliis quæ per grandinem iracundi, quæ per ſanguinis immixtionem Iudæi terreni & cupidi perſecuti ſunt Apoſtolos diabolo ſuggerente,& ideo præmiſſa perſequentium culpa.

*Terra ſubditos ſignificat.*

Sequitur pœna iuſtè inflicta, ET TERTIA PARS TERRÆ.]i.Iudæi cupidi combuſti ſunt, vel eſt in præſenti igne peccati,& in futuro igne inferni. *Tertia pars arborum*, elati combuſti ſunt ſicut prius, *& omne fœnum viride*,i. omnes luxurioſi combuſti ſunt in præſenti igne luxuriæ,in futuro igne gehennæ.

Quia igitur duæ ſunt partes electorum, ſcilicet innocentes & pœnitentes.Tertia pars,quæ eſt reproborum ſemper comburetur, vel per terram ſignificatur ſtatus ſubditorum,quia ab hominibus opprimuntur,horum igitur ſunt tres partes, ſcilicet innocentes,pœnitentes,& pertinaces,& hæc tria pars comburitur ſemper,

*Arbores, monaſtices.*

Per arbores poſſunt deſignari monaſtici qui dicuntur eſſe Prælati, qui ſuper alios eleuati, horum igitur tres ſunt partes quidam magis vacant orationi,lectioni,contemplationi,quidam actioni,& prædicationi,quidam & iſti ſunt tertij magis vacant litibus,& cauſis negociationum, & hæc tria pars arborum combuſta eſt, hi ſunt ſecundum Bernard. per quos in oppoſitum parcitas putatur auaritia, ſobrietas auſteritas,triſtitia contra remiſſio, diſcretio dicitur effuſio,liberalitas dicitur cachinnatio, iocunditas mollicies,veſtimentorum,& equorum & etiam lectorum ſuperfluus faſtus honeſtas,& iſti finaliter comburentur.

*Fœnum mundanum.*

Per fœnum vero viride ſignificantur omnes illi qui gaudent de virore huius mundi:ergo omnes fœnum viride combuſtum eſt,quia omnes qui glorientur de proſperitate mundi vicini ſunt æternæ combuſtioni,non tamen condemno,vel contemno habentes domos, agros & pecuniam,& marſupia plena, ſed cum cautela hæc haberi volo,&c.& cum decentia,vt ſcilicet poſſideant ea, & non abutantur,quia aliter omne fœnum viride comburitur dum mundana proſperitas appetitur,*quæ fugit velut vmbra,& nunquam in eodem ſtatu permanet*, quæ velut herba ſicca cito conſumitur.

*S. Bernard. de Semis, in Apocal.*

*Ad litteram.*

Ad litteram igitur primus Angelus eſt chorus Apoſtolicus,terra,arbor, fœnum eſt populus Iudaicus cupidus,elatus,luxurioſus qui contemnens prædicationem Apoſtolorum quantum ad tertiam partem igne gehennali comburitur.

*Secundus Angelus.*

*Principes Romani per mare ſignificantur.*

Sequitur:ET SECVNDVS ANGELVS TVBA CECINIT.]hic oſtenditur ſecundus ordo prædicatorum quoad ſecundum ſtatum qui martyres occiderunt.Etiam oſtenditur culpa tranſgreſſionis, & pœna damnationis,vnde magni Principes Romanorum ſignificantur per mare propter elationem ſuperbiæ, & amaritudinem iracundiæ.

*Diabolus dicitur mons.*

Secundo igitur Angelo tuba canente,ſcilicet choro Martyrum Chriſtum paſſum reuelante, Deum verum & hominem affirmante.Et tanquam *mons magnus igne ardens*,id eſt diabolus qui dicitur mons propter naturæ excellentiam igne ardens propter humanam euidentiam,*miſſus eſt in mare* in Romanos Principes, ſcilicet Neronem.& alios inflammandum & incitandum,& ſanctos Martyres cruciandum.

ET FACTA EST TERTIA PARS MARIS,]id eſt gentilium,*ſanguis* ſitiens ſanguinem ſanctorum, *& mortua eſt* peccato,*tertia pars creaturæ eorum quæ habebat animas in mari*,id eſt iſtorum tyrannorum conſiliarij, qui dabant conſilium ſanctos interficiendi, *& tertia pars nauium*, id eſt Principum alios gubernantium, *interiit* in interitu peccati.

*Prima pars maris,quid.*

Prima pars igitur maris & gentilitatis poteſt dici illi qui fidẽ aperte acceperunt & cõfeſſi ſunt,ſecunda illi qui occulte acceperunt,ſed confeſſi non fuerunt, tertia illi qui nec aperte,nec occulte acceperunt, ſed in ſua malitia remanſerunt: & hæc facta eſt ſanguis, id eſt ſugens ſanguinem Sanctorum.

*Gentiles.*

Item Philoſophorum gentilium qui intelliguntur per eos qui habebant animas in mari tres partes fuerunt. Prima eorum qui per ſolam inſpirationem conuerſi fuerunt, ſecunda eorum, qui per prædicationem ac fidem venerunt, tertia eorum qui neutro modo fidem receperunt,& hæc eſt mortua.

*Naues ſignificant Principes.*

Item principes qui per naues intelliguntur ſunt tres partes,quidã qui fidem tenuerunt,alij qui doctrinam prædicationis Catholicæ approbauerunt,& tunc nouiter receperunt,quidam qui non approbauerunt, nec receperunt,& iſta tertia pars interiit.

*Secundus Angelus Martyrum cœtus.*

Secundus Angelus,ſcilicet Martyrum chorus tuba cecinit quibus prædicantibus, & nomen Chriſti diuulgantibus diabolus, qui eſt mons magnus per ſuperbiam miſſus eſt in mare ad imperatores Romanos elatos per ſuperbiam etiam, quia ſanctos Martyres interfecerunt.

Tertia pars ſimplicium facta eſt ſanguis ad litteram gladio perempta, tertia conſiliatiorum morte perpetua damnata,tertia principum interempta.

*Tertius Angelus prædicatorum cœtus.*

ET TERTIVS ANGELVS TVBA CECINIT.]Deſcripto cœtu prædicatorum animantium Eccleſiam tempore infeſtationis, & perſecutionis corporalis, hic deſcribitur cœtus prædicatorum tempore infeſtationis ſpiritualis, ſc. hæreticorum peruertentium intelligentiam ſcripturarum, qui in apertione tertij ſigilli, per equum nigrum ſignificantur, hic autem per ſtellam cadentem, vtrobique obſcuritas.

*Stella hæreſiarcha quidam.*

Dicitur autem:ET TERTIVS ANGELVS TVBA CECINIT.]id eſt Doctorum & Prædicatorum tertius gradus tuba cecinit, id eſt contra hæreticorum aſtutias prædicauit: *& cecidit de cælo*, id eſt de fidelium collegio, *ſtella magna*, id eſt quidam magnus Hæreſiarcha nocte lucens, in obſcuris docens, magnus quantum ad apparentiam, vel propter

arrogantiam, *ardens* in igne inuidiæ, *ſicut facula*, quæ alios illuminando ſeipſam conſumit, & quicquid incendit, in carbonem tetertimum conuertit. *Et cecidit* propria præcipitatus ſuperbia, *in tertiam partem fluminum*, id eſt ſcripturarum, quarum prima pars eſt vetus teſtamentum, ſecunda nouum, & tertia pars expoſitio ſanctorum: in hanc igitur cadunt, quia ipſam non recipiunt.

*Flumina ſignificant ſcripturam*

Vel prima pars fluminum, id eſt ſcripturarum eſt expoſitio hiſtorialis. Secunda ſpiritualis. & Tertia factio ſuper adinuentione humana, in hanc cadunt, quia ſequuntur proprium ſenſum ſuum & nõ ſãctorũ.

*Quatuor Euangelia fontes.*

ET IN FONTES AQVARVM] qui ſunt propriè quatuor Euangelia & ipſi ſimiliter male exponendo dictos fontes deprauant, id eſt Euangelia.

ET NOMEN STELLÆ DICITVR ABSYNTHIVM] quia amaritudinem prauæ intelligentiæ inducunt, vel prædicta amaritudine incidunt in gehennam ipſi, & quicquid ab eis ſeducitur, in amaritudinem perducitur gehennæ. Sicut enim abſinthium mixtũ ſapido cibo, totum cibum facit amarum, ſic praua expoſitio hæreticorum cibum ſcripturæ dulciſſimum reddit inſipidum.

ET FACTA EST TERTIA PARS AQVARVM] id eſt ſcripturarum *in abſinthium* inferni propter iſtorum peruerſum ſenſum. *Et multi homines mortui ſunt de aquis*, ſequentes iſtorum doctrinam & errorem peſtiferum, quantum ad corpus & animam, *quia amaræ factæ ſunt*, per expoſitionem contrariam.

*Philoſophia mundana dicitur ſtella.*

Sed aliter exponamus iſtam auctoritatem. Mundana enim Philoſophia poteſt dici ſtella propter curioſitatem intelligentiæ, quæ de cœlo cadit cum primæ veritati non aſſentit, & de veritate Dei & fidei experimentum accipit & quærit, cum fides non habeat meritum, vbi humana ratio præbet experimentum ſecundum Gregorium. Nomen ſtellæ dicitur abſinthium, cuius amaritudine obtenebreſcit ſenſus cognitionis, refrigeſcit virtus dilectionis, obſtupeſcit guſtus deuotionis. Sed dicitur cadere in tertiam partem fluminum. Quidam namque credentium inquirunt fideliter & ſtudioſe. Quidam peruertunt nequiter & curioſe, & malitioſe, quibus infectis turbatur ordo ſcientiarum, ſiccatur origo ſcientiarum & gratiarum, & inde ſcaturit doctrina errorum & falſitatum. Vnde ſequitur quod multi moriuntur ex aquarum multitudine ruentes à charitate, cadentes à veritate, vacillantes à fidei ſtabilitate.

*Greg.*

*Cur factæ ſunt ſtellæ.*

Et quia hic fit mentio de ſtella, nota ſecundum Ptolemeum in centiloquio, quod ſtellæ ideo factæ ſunt, vt per aggrauationem ſuam ordinent variabilem mundi curſum. Stellæ autem ad litteram ordinant totum mundum in 5. ſcilicet in diſtinctione temporali, in ſignificatione naturali, in productione cauſali, in proportione complexionali, in fluxione vitali. Gen. 1. *Poſuit ſtellas in firmamento cæli, vt ſint in ſigna & tempora & dies & annos, vt luceant in firmamento cæli & illuminent terram.*

*Stellæ in quinque ordinant totũ mundum.*

*Gen.*

Et quia ſtella quæ in ortum Chriſti ſummi regis apparuit, eſt de ſpeculatione Theologiæ, cæteris prętermiſſis aliquid de ea breuiter diſſeramus ad laudem conditoris iſto ſacratiſſimo tempore deſcendentis ad hemiſphærium noſtræ mortalitatis.

*Stella trium Regum in quinque ab aliis ſtellis differt.*

Circa quam ſtellam libet conſiderare tria, videlicet, apparentis formam, apparendi cauſam, apparendi horam. Quantum ad apparentis formam eſt notandum quod ſtella illa differebat ab aliis ſtellis in quinque. Et primo hęc ſtella differebat, in quidditate, quia elementatis mixta: in quantitate, quia dimenſionaliter parua: in qualitate quia interſcalariter viſa, in localitate, quia in aere ſita: in proceſſibilitate, quia irregulariter mota.

*Primo.*

Quantum ad primum dico, quod niſi fuiſſet elementatis mixta, de die non luceret. Sidera enim ſole

A

lucente in die vel præſente non lucent, ſed iſta lux erat quaſi lux ignea & terſa in ſe terminata, vt patet in ſpeculis & in corporibus metallicis & bene politis.

*Secundo.*

Secundo niſi fuiſſet dimenſionaliter parua, puerum non diſcernerent. Vnde Chryſoſtomus. Stabat ſupra vbi erat puer quaſi dicens, hic eſt.

*Tertio.*

Tertio dico quod niſi fuiſſet interſcalariter viſa, non viciſſim lateret & appareret, magis enim intrantibus in Hieruſalem, latuit, & iterum exeuntibus apparuit, vt humanum conſilium quærentibus diuinum non ſubtraheretur, vel vt apparentis ſtellæ & prædicẽtis ſcripturæ duplex teſtimonium haberetur, in Magorum directione & Iudæorum confuſione.

B

*Quarto.*

Quarto dico quod niſi fuiſſet in aëre ſita, vias aëreas non teneret, vt diſcrete viam & locum & puerum demonſtraret.

*Quinto.*

Quinto niſi irregulariter moueretur non iret linealiter. Sed orbiculariter, cum tamen ab oriente in meridiem proceſſit.

*Stella Magis apparuit in ſignis in Natiuitate Chriſti.*

Circa ſecundum eſt notandum quod cauſa apparendi fuit vt prædicta ſtella magis oſtenderet Chriſti ortum, viam, locum: & hoc de cauſa apparendi.

*Quo tempore apparuit ſtella Magis.*

Circa tertium eſt notandum de apparitionis hora, quod ſecundum quod dicit Chryſoſt. ſuper Mat. Vidi ſtellam ſub forma pueri crucem habentis Magis apparuiſſe, natum edocuiſſe, de via inſtruxiſſe, de loco ſuaſiſſe per biennium ante Natiuitatem ad tanta terrarum peragenda ſpatia præceſſiſſe, quicquid autem fuerat facto de apparitionis & modo informationis, cum fuit vera, Chryſoſt. Non affirmat, ſed opinatur, ac recitanter tenetur communius cum Doctoribus ſanctis. Et quod illa ſtella apparuit in hora Natiuitatis. Vnde Auguſt. Eo naſcente lux noua in ſtella eſt reuelata, quo moriente ſolis claritas obfuſcatur.

C

*Hier.*

Item Hieron. in gloſſa. Stella dominicæ Natiuitatis nunquam prius apparuit. Sed eam vt puer creauit & Magis præuiam demonſtrauit.

Item Gregor. in homil. Elementa Creatorem ſuum veniſſe teſtata ſunt, hunc Deum cæli cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt.

Item Leo Papa Gens quæ ſpectandorum ſyderum arte pollebat, ſignum nati pueri qui ſuper omnem Iſrael regnaturus eſſet accepit.

*Hora apparitionis, fuit hora Natiuitatis Chriſti.*

D

In his omnibus patet quod hora apparitionis fuerit hora Natiuitatis: nec tamen hora natalis Domini dicitur eſſe fatalis. Naſcuntur enim ſub eiuſdem conſtellationis puncto deformis in naturalibus aut perfectus & monſtruoſus: in moralibus & electus & reprobus, in artificialibus, vt hebes & induſtrius, in fortuitis, vt liber & ſeruus. E contrario ſub diuerſa conſtellatione in diluuio nati ſunt in eodem puncto. Et ideo dicit Sapiens, quod vir ſapiens dominabitur aſtris. In hac ſtella completum eſt vaticinium Balaan dicentis Numer. 23. capite. *Orietur ſtella ex Iacob*, quam Magi viderunt in oriente. *Num. 23.*

Sequitur ET QVARTVS ANGELVS TVBA CECINIT.] Hic deſcribitur ordo prædicantium quantum ad ſtatum Eccleſiæ, in quo ſumus. Vnde dicit. *Et quartus Angelus*, id eſt pauperum prædicantium ordo & numerus. *Tuba cecinit*, id eſt aperte prædicauit, *& percuſſa eſt*, id eſt percuſſa oſtenditur *tertia pars ſolis*, id eſt prælatorum illius temporis qui debent eſſe ſicut ſol alios ſplendore illuminando, calore inflammando, vigore confortando. Prælatorum vero quidam ardent, ſed non lucent, quidam lucent ſed non ardent, quidã non lucent nec ardent. Et hi ſunt tertia pars quæ percuſſa eſt iaculis prædicationis, & hoc etiam oſtenditur in principibus qui per ſolem deſignantur. VERS. 12.

E

*Prælati debent eſſe ſoles lucidi.*

*Principes ſunt ſoles.*

*Bern.*

Et iſtorum ſunt tres partes, iuſtitia, clementia, ſeueritas, & hæc percutitur. Attende ſi tertia pars ſolis percuſſa eſt. Omnes enim, prout dicit Bern. diligunt munera, ſequuntur retributiones, dicuntur miniſtri Chriſti

Chriſti ſed ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini qui Domino honorem deferre volunt. De his dico in quibus quotidie videtur geſtus meretricius, intus hiſtrionicus habitus regius apparatus. De his dico qui animas regere ſuſceperunt, quod ſine doloroſo gemitu dicendum non eſt Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clauos & lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ & laſciuiæ conflant in acquiſitione turpis quæſtus. Vnde nec caſus reputatur, nec ſalus, cum ſint de patrimonio crucifixi ditati, incraſſati, impinguati, & dilatati non compatiuntur ſuper contritione Ioſeph.

*Non Epiſcopatus quaſtus deſiderandus.*

Sed forſan dices, quia *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat.*

Reſponſio ſecundum Gregorium, quod hoc illo tempore dictum eſt quod quiſquis plebibus præerat primus ad martyrium ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit quærere Epiſcopatum quando per hunc cuiquam dubium non erat ad ſupplicium peruenire.

*Luna ſignificat mediocres ſacerdotes.*

ET TERTIA PARS LVNÆ,] ſimiliter percutitur, per lunam vero poſſunt deſignari mediocres & ſacerdotes, quia ſicut luna recipit lumen à ſole, ſic iſti ad exemplar ſuperiorum ſe informant, prima pars iſtorum ſunt ſcholares. Secunda pars ſunt chorales. Tertia pars ſunt curiales, & iſta percutitur. Attende ſi tertia pars lunæ percuſſa eſt. *Egreſſa enim eſt*, dicit ſcriptura, *iniquitas a ſenioribus populi*, ſcilicet à ſenioribus iudicibus tuis Domine, qui videbantur regere populum tuum, non eſt iam dicere, vt populus ſic ſacerdos. Heu Domine Deus quia ipſi ſunt in percuſſione tua primi qui videntur in eccleſia tua primatum diligere id eſt regere principatum percuſſi ſunt.

*Stellæ minores ſacerdotes.*

ET TERTIA PARS STELLARVM,] ſcilicet minorum ſimiliter eſt percuſſa & iſtorum prima pars ſunt actiui, ſecunda contemplatiui, tertia vero quæ nec vnum nec reliquum habet. Et iſta percutitur, ita obſcurata.

*Dies id eſt clerici Nox id eſt Laici.*

TERTIA PARS EORVM] quantum ad interiorem ſui illuminationem ad Dei cognitionem. *Tertiaque pars*, id eſt clericorum qui debent eſſe dies illuminans non lucent propter vitæ obſcuritatem. *Et noctis ſimiliter*, quantum ad laicos qui per noctem ſignificantur propter ignorantiæ cæcitatem.

VERS. 13 Sequitur ET VIDI ET AVDIVI VOCEM VNIVS AQVILÆ VOLANTIS PER MEDIVM CÆLVM DICENTIS VOCE MAGNA VÆ, VÆ, VÆ, HABITANTIBVS IN TERRA,] deſcripto proceſſu prædicantium, vel prædicatorum, eccleſiam conſolatur quantum ad præterita, & hic deſcribit proceſſum prædicantium quantum ad futura, merito mutat ſonum ad denotandum quod tres ſequentes ſtatus Eccleſiæ grauiores & periculoſiores erunt quam quatuor præcedentes; deſcribit ergo vocibus Angelorum prædicatoris perſonam nomine Aquilæ qui cæteris clamat prædicationis ſententiam, cum dicit, *væ, væ*, &c.

*In prædicatore 8.*

Nota quod in prædicatore debet eſſe, veritas ſermonis, ideo dicit. *Vidi & audiui*, claritas condilectionis, ideo dicit. *Vocem vnius*, claritas contemplationis, ideo dicit, *Aquilæ*, velocitas executionis, ideo dicit, *volantis*, maturitas diſcretionis *per medium cæli*, auctoritas contritionis dicentis, *voce magna*, &c. Rigiditas increpationis, *væ, væ, væ*, ſinceritas prædicationis *habitantibus in terra*.

*Triplex væ triplex tribulatio.*

Nota tamen quod illud triplex væ eſt interpoſitum propter tres tribulationes, quæ ſingulariter per tres Angelos ſignantur.

*Act. 4. Prædicator debet Aquila eſſe. Pſal. 54.*

Circa primum eſt notandum quod prædicator debet eſſe vnus in Deo & proximo ſine rebellione, ſine aduerſione, ſine diſſenſione. Act. 3. *Multitudinis credentium, erat cor vnum & anima vna.* Sed debet eſſe Aquila, quæ debet eſſe à natura acuta viſu, agilis volatu, & aſtuta paſſu. De primo in Pſal. *Quis dabit mihi pennas*

S. Bernard. de Senis, in Apocal.

A *ſicut columbæ & volabo & requieſcam?* De ſecundo, Iob, 31. *Aquila volatu celeri, aſtuta paſſu fortis vt nubecula*, &c. Sequitur, *ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos*, &c. De tertio. Iſaiæ. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant.*

*Prædicatoris qualitates. Iob. 31.*

Sed debet volare PER MEDIVM CÆLI,] id eſt, per mediam Eccleſiam ne ſit ſic offenſor & acceptor perſonarum, peruerſor ſcripturarum. Sed ſit defenſor animarum.

Debet clamare. Vnde Eccleſiaſtes. *In medio Eccleſiæ aperuit os eius.* Debet enim clamare, *voce magna*, quia de magnis, id eſt de cæleſtibus ad magnos & ad paruos & etiam ad minores per magna, & ſic de aliis paruis & minoribus exponendo.

Sequitur VÆ, VÆ, VÆ, HABITANTIBVS IN TERRA.] Vbi ſicut patet, introducitur affectio immoderata in habitatione, deſcribitur aduerſio inordinata terra, prędicatur dãnatio interminata in triplici væ, cum triplicando geminat iſtam prædicationẽ, quæ quantũ ad ternarium culpæ connumerantur. Etenim cupidis ignem comminatur.

B

*Triplex væ.*

Et triplex væ quantum ad ternariam pœnæ acerbitatem, immundis enim ſubinfertur pœnæ diuerſitas, elatis ſpiritus procellarum, & pœnæ æternitas, ita quantum ad ternarium ſtatum connumeratur triplex væ, ſcilicet coniugatis transgreſſoribus, necnon thori violatoribus, fidei virginibus fatuis carentibus intellectione. Item comminatur væ peruerſis clericis & malis laicis & falſis religioſis. Item comminatur væ facientibus, conſentientibus & obmuteſcentibus. C Item comminatur væ peccantibus in corde, ſecundo in ore, tertio in opere. Item comminatur væ peccantibus in Deum, in ſeipſum & proximum. Item comminatur væ peccantibus in Patrem, in Filium & in Spiritum ſanctum. Item comminatur væ contra miſerias animæ & corporis & contra miſerias totius compoſiti. Item comminatur væ quantum ad ternarium locorum, primo propter afflictionem in mundo. Item comminatur ſecundo contra paſſionem in purgatorio væ naſcentibus cum languore, tertio contra damnationem in inferno viuentibus cum labore, morientibus in errore, item comminatur væ propter infirmitatem peccatorum, propter aduerſitatem flagellorum, propter perplexitatem periculorum. Item D comminatur væ propter æternitatem ſuppliciorum. Amos 1. *Væ deſiderantibus diem Domini.* A væ ergo culpæ, pœnæ & gehennæ nos præſeruet Dei Filius iſto ſacratiſſimo tempore incarnatus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Amos 1.*

# SYNOPSIS
## CAPITIS NONI.

E

*PERSEQVITVR Ioannes tertiam huius operis viſionem, cumque ſuperiori capite de ſeptem illis Angelis quos cum tubis in cœlo conſpexerat, quatuor tantum aperuerit, pergit deinceps, tres alios explicare, eorumque viſionem commemorat tribus capitibus ſequentibus. Hoc vero caput quinti & ſexti Angeli narrationem complectitur. Quinto Angelo tuba canente ſtella cadit, & locuſtæ à fumo putei*

*egreſſæ deſcribuntur, quæ homines crucient, ſexto verò Angelo canente, ſoluuntur quatuor Angeli, qui ingenti equeſtri exercitu tertiam hominum partem occidant.* A

## *CAPVT NONVM.*

1. ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei B abyſſi.

2. Et aperuit puteum abyſſi & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aer de fumo putei.

3. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.

4. Et præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque C omnem arborem: niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.

5. Et datum eſt illis, ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij cum percutit hominem.

6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

7. Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles D equis paratis in prælium: & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro: & facies earum tanquam facies hominum.

8. Et habebant capillos ſicut capillos mulierum: & dentes earum ſicut dentes leonum erant.

9. Et habebant loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. E

10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque: & habebant ſuper ſe.

11. Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans.

12. Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc,

13. Et ſextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.

14. Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

15. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

16. Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Et audiui numerum eorum.

17. Et ita vidi equos in viſione: & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas, & capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.

18. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

19. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum, nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita & in his nocent.

20. Et ceteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque ambulare.

21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.

## *EXPOSITIO NONI Capitis.*

ET QVINTVS ANGELVS TVBA CECINIT, &c.] Hoc eſt nonum caput vbi agitur de duobus Angelis tuba canentibus, & de perſecutionibus eorum, & languore contra Eccleſiam ſuſcitatis, hoc autem præſens caput in duas partes diuiditur, in prima parte agitur de perſecutione & perſecutoribus Antichriſti. Et de iſto Angelo tunc temporis Eccleſiam conſolante. Et hinc eſt triplex ſtatus Eccleſiæ. In ſecunda parte agitur de perſecutione Eccleſiæ, & econtra de ſexto Angelo, tunc enim confortauit ibi. Et ſextus Angelus tuba cecinit. Videns ergo diabolus humani generis inimicus, quod non poterat impedire Euangelicam prædicationem per Iudæorum æmulationem, nec per Romanorum crudelitatem, nec per hæreticorum calliditatem, nec per hypocritarum fallitatem, & multa mala fideliter ſuſcitabit. Et quod

*Vers. 1.* *Diuiſio capitis.* *Malitia & caliditas ſathanæ.*

quod non poterit per ſingula,per omnia efficere attentabit.

*Tertius Angelus animat fideles.*

Dicit ergo,tertius Angelus,id eſt ordo prædicantium quantum ad tertium ſtatum Eccleſiæ *tuba cecinit* animando ad cautelam prouidentiæ, & ad conſtantiam perſeuerantiæ, quæ tunc ſumme neceſſaria erit.

*Cur diabolus ſtella dicitur. Ezech.28.*

ET VIDI STELLAM,] id eſt diabolum qui primus vt ſtella ſplendida luxit,non plenus ſapientia & perfecto decore fuit.Ezech.28.qui dicitur ſtella propter puritatem in eſſentia, propter claritatem in apparentia. Vnde aliquando ſe transfigurat in Angelum lucis propter agilitatem in efficacia.

*Quomodo dicitur in terram cecidiſſe.*

Vnde dicitur DE CÆLO CECIDISSE AD TERRAM,] per ſuam excellentiam, in terram ergo cecidit,& in aerem cecidit terræ vacuum, quod eſt quaſi teterrimus reſpectu cæli empyrei deputatus ad luminum præſentiam vſque ad finem iudicij,vel ad terram, id eſt infernum qui dicitur eſſe in inferioribus partibus terræ, vbi forte iam ſunt & in fine omnes ſunt retrudendi.Vnde Iſa.14. dicitur de lucifero veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci,ſicut ergo ſuperbia facit deſcendere & cadere, ſic per oppoſitum humilitas facit aſcendere. Vnde Auguſt.Non aſcenditur ad altitudinem Dei niſi per humilitatem vt illo appropinquante ſit ſubditus, longe enim ab ea recedit elatus. Superbia ergo ſecundum Hier.non tantum eſt omnis peccati quæ naturæ cæleſtis ſublimi nitens inhabitat ſub cinere & cilicio habitans. Superbus vero ſecundum Hier.ſic dinoſcitur. Cunctis inquit apud ſe ſuperba cogitatio tumentibus ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio,diſſolutio in hilaritate,furor in triſtitia, inhoneſtas in actione,faſtus in inceſſu, rancor in reſponſione, mens ſemper ad irrogandas contumelias valida, ad tolerantias infirma ad obediendum, pigra ad operandum,ad laceſcendum alios prompta, quid ergo ſecundum Bernard. humilitate pretioſius dicimus, qua regnum cælorum emitur, & gratia diuina acquiritur.

*Iſa.14.*
*Superbiæ deſcenſus, humilitatis aſcenſus. Auguſt.*
*Optima ſuperbi deſcriptio.*
*Bernard. Elogia humilitatis.*

B

*Peccata puteus & abyſſus malitia. Antichriſtus puteus malitia.*

ET DATA EST ILLI CLAVIS PVTEI ABYSSI,] id eſt conceſſa eſt ſibi poteſtas nocendi ſuper illos,qui ſunt puteus per malitiæ profunditatem,abyſſus per conſcientiæ tenebroſitatem, vel per puteum poſſumus intelligere Antichriſtum, qui eſt puteus profundus per aſtutiam, abyſſus tenebroſa per malitioſam nequitiam.

VERS. 2. ET APERVIT PVTEVM ABYSSI ET REVELAVIT,] id eſt explicauit malitiam de corde Antichriſti & ſuorum ſatellitum & ſequacium ad nocendum.

*Peruerſa doctrina fumus inferni.*

ET ASCENDIT FVMVS PVTEI,] id eſt peruerſa doctrina eius, *& inualuit ſicut fumus fornaci magna*, quando aſcendit in altitudine & accenditur in magna valitudine. Sic Antichriſtus & eius præcurſores, & eorum doctrina poteſt fumo propriè comparari propter ignis malitiæ cupiditatem, vel comparatur fornaci,quia purgabit bonos, & comminuet malos.

VERS. 3.
*Doctores ſoli comparantur.*

ET OBSCVRATVS SOL,] id eſt maiores Doctores illuminati ad cognitionem, inflammati ad diuinum amorem,*& aer* quantum ad minorem conditionem, *de fumo putei* quantum per doctrinæ infectionem. Et nota quod hic dicitur quod doctrina prædicatorum & doctorum non reputabitur propter pſeudoprædicantium vel prædicatorum doctrinam. Et videtur quod iam venit tempus illud,quia hodie plus placet nouitas quam veritas, & libentius auditur ſubtilitas vana quæ facit admirationem quam vtilis veritas quæ facit compunctionem.2.Tim.4. *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*,hodie namque ſecundum Iſidor quidam curioſi delectantur audire quoſlibet ſapientes, non quod ab eis veritatem inquirant, ſed vt ſermonis facundiam audiant, & cognoſcant mores Poëtarum qui magis compoſitionem verborum quam ſententiarum veritatem ſequuntur, multiplicata famoſa doctrina Antichriſti multiplicabuntur eius doctores.

*2.Tim 4.*
*Temporum corruptio.*

*Pſeudopropheta ſimiles locuſtis.*

Vnde ſequitur DE FVMO PVTEI EXIERVNT LOCVSTÆ IN TERRAM,]id eſt pſeudo prophetæ, *in terram* amantes,ſcilicet terram,locuſtis ſimiles, qui non volabunt per contemplationem, nec gradientur per bonam operationem, & per ſaltum in terra capientur, quia ibidem cadent per terrenorum adhæſionem.

ET DATA EST EIS POTESTAS,] diuina permiſſione, *ſicut habent poteſtatem ſcorpiones*,qui lambentes facie,cauda pungunt occulte, prædicatores Antichriſti dicuntur eſſe ſcorpiones qui ſuauiter & lethaliter inficiunt: iſti enim decipient, per aſtutiam, per fallaciam,per ſeueritatem.Scorpiones ſunt detractores in aperto blandientes, detrahentes in occulto. Contra quos loquitur D. Aug. Si velis corripere delinquentem, aperte increpa ne occulte mordeas:quid enim mihi prodeſt ſi me neſciente alijs mala mea referas:hoc enim non eſt emendare,ſed vitio tuo ſatisfacere,tuæ procacitatis deſiderium adimplere.Detractio ergo eſt quotieſcunque quis aliquid de alio ea intentione dicit, vt bene ipſe minus amari vel appretiari poſſit.

*Detractores ſcorpiones.*
*Quorum eſt detractio.*

C

VERS. 4. ET PRÆCEPTVM EST ILLIS]diuina prohibitione, *ne læderent fœnum* quantum ad incipientes, *nec omne viride* quantum ad proficientes, *nec omnem arborem* quantum ad perfectos fructificantes. Vel per iſta tria ſignantur tres ordines ſaluandorum, Noe, Daniel, & Iob, vel ordo coniugatorum fidem ſeruantium per fœnum,continentium per viride,religioſorum, foliis bonorum operum repleram. Et quia non omnes adhærentes ſunt Deo. Ideo ſequitur.

*Religioſi arbores fructuoſa.*

*Thau ſignum crucis repræſentat.*

QVI NON HABENT SIGNVM DEI VIVI IN FRONTIBVS SVIS.] Chriſtum crucifixum damnabiliter abnegantes, hoc ſignum eſt Thau quod habet formam crucis, ſuper quam poſitus fuit Saluator noſter,ſicut ſignum ad ſagittam, & eſt vltima littera in

D

alphabeto Hebræorum. Hoc ſignum eſt de quo 2.Mach.7.dicitur in figura. *Dato ſigno adiutoris Dei ipſe duplex bellum commiſit contra hoſtem*. hoc ſigno ſuperauit hoſtes ſuos Heraclius, Conſtantius, Eradius, & omnes qui in virtute huius ſigni pugnauerunt. Vnde Iſa.62.*Tranſite per portas,parate viam in populo,& leuate ſignum ad populos*, per quod errores diſciplina ſtudentium. Hier. *Leuate ſignum in Sion & confortamini*, quo ſigno vitia extirpantur. Hier.1. *Annunciate in gentibus & auditum facite*,leuate ſignum doctrina prædicantium,ſapientia contemplantium. Iſa.11. *In die illa erit radix Ieſſe, quæ ſtat in ſignum omnium populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Meta peruenientium per quam regna cæleſtia imperantur Exod.22. dicitur in figura. *Erit autem*

E

*nobis ſanguis in ſignum in ædibus*,&c.Hoc ſignum mirabile ſecundum Auguſtin. A locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. Qui ergo tantum honorem ſupplicio dedit quid ſeruat fidelibus ſuis? In hoc ſigno ſecundum Rabanum Angeli ſui cumulatis gaudiis reficiuntur, homines iura ſalutis ſuæ cognoſcunt, inferri iuſtam retributionem fraudi ſuæ percipiunt & omnia denique præterita reuocat, præſentia illuſtrat,futura præmonſtrat,perdita requirit,quæſita inuenit,inuenta cuſtodit.

*2.Mach.7. Virtus crucis.*
*Iſa.62.*
*Ier.3.*
*Ier.1.*
*Iſa.11.*
*Exod.22.*
*Encomia crucis.*

VERS. 5. ET DATVM EST ILLIS,] ſ.diuina præceptione *vt non occiderent eos*, ſed vt cruciarent corpora,in corporali afflictione menſibus quinque. Sic Helias in perſecutione Ieſabelis petiuit animæ ſuæ vt moreretur. 3.Reg.19.Et Tobiæ 3. *fac mecum Domine miſericordiam & præcipe in pace ſuſcipi animam meam, expedit enim me magis mori quam viuere.* Et Iob.10. *Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduerſum me eloquium.*

*3.Reg.19.*
*Iob.10.*

VERS. 6. ET NON INVENIET EAM,] vt perfectiores ſed A & minores conſolentur. *Et deſiderabunt mori*, caſum vehementer timentes, *& fugiet mors ab eis* finaliter perſeuerantes. O Domine Ieſu & quantus dolor erit dicit Bern. hoc videre, quando amici tui turpiter occidentur, nec audebunt loqui & inimici tui florebunt diuitiis & honoribus & affluent deliciis, inſuper facient mirabilia, nec audebit aliquis contra ire.

*Iuſti oppreſſi, impii fœlices & proſperi.*

VERS. 7. SIMILITVDINES LOCVSTARVM SIMILES EQVIS PARATIS AD PRÆLIVM.] Deſcriptis perſecutoribus Antichriſti ſub nomine locuſtarum, hic deſcribuntur ſub ſimilitudine & nomine equo- B rum. Primo quantum ad vitam, ſecundo quantum ad doctrinam, ibi. *Et vox illorum erat ſicut curruum*, dicit ergo ſimilitudines locuſtarum id eſt præcurſorum Antichriſti per locuſtas ſignari ſimiles equis propter velocitatem & impetuoſitatem. Vnde Beda ſicut equi non propria ratione, ſed imperio præſidentis agitantur, ita iſti agitati impetu Antichriſti Eccleſiam impugnabunt. Et non ſolum ſimiles equis, ſed paratis ad prælium, quia erunt animoſi ad congrediendum, veloces ad diſcurrendum, prompti ad inuadendum, indomabiles ad refrenandum, vel retinendum, robuſti ad opprimendum. *Et ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro*, propter victoriæ fictionem.

*Impii equis ferocibus comparantur.*

Vnde vt habetur ſupra. Seniores habebant coronas aureas quas miſerunt ante agnum aſcribentes ei C ſuas victorias. Sed præcurſores Antichriſti habituri ſunt coronas de ſua ſapientia. Vnde Haymo. eorum coronæ non ſunt aureæ, ſed ſimiles auro per quoddam falſitatis figmentum, quia victores ſe ſimulabunt & remuneratione dignos. Sed reuera eorum remuneratio erit, quia deſcendent in profundum inferni. *Et facies eorum facies hominum*, quia manſueti, diſcreti & eloquentes apparebunt. Et quia facies idem eſt quod effigies, effigiem habebunt hominum, ſed alas ferarum. Ideo merito dicuntur lupi in veſtimentis ouium prætendentes humanam manſuetudinem, quia vt dictum eſt facies eorum ſicut facies hominum ſed erunt habentes vulpium ferocitatem. Mat. 3. Iſti apparebunt humiles in ſuperficie, ſed erunt turgidi in profundo, portemus ergo nos ſecundum Hie- D ron. ſimplicitatem veram, in qua non ſit ſuperbia incluſa: multi enim huius veritatis vmbram, ſed ipſam veritatem pauci ſequuntur, perfacile eſt aliquam veſtem habere contemptam, ſubmiſſas manus & genua deoſculari inclinato ad terram capite, oculiſque deiectis humilitatem ac manſuetudinem polliceri, lenta voce tenuique ſermone ſermones proferre, ſuſpirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem & miſerum ſe clamare. Sed ſi iſte leui ſermone offenſus fuerit continuo videbis attollere ſupercilium, leuare ceruicem, & indebitum oris ſonum inſano clamore repente murmurare.

*Iuſti aſcribunt victorias ſuas Deo, mali ſibi.*

*Hypocrita deſcriptio.*

*Sinceritas amplectenda.*

VERS. 8. ET HABEBVNT CAPILLOS SICVT MVLIERES,] quia iſti habebunt mores femineos, molles in vita, lucentes in apparentia, ad terram dependentes E vel protendentes per pondus malitiæ, collum tegentes per velamen malitiæ vt dicitur Sap. 5. De animalibus mulier eſt parui ſenſus & magnæ voluptatis. Item magis immunda & amatrix luctuum. Item mulieres magis ſunt mendaces & inuerecundæ & ſegnes, quid eſt mulier ſecundum Chryſoſt niſi inimicitia, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, igitur ſecundum Io Mulier eſt ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nociuumque genus.

VERS. 9. ET DENTES EORVM SICVT DENTES LEONVM ERVNT,] ſemper ferientes & fortiter elidentes, ſecundum Richard.

Hic de iſtis præcurſoribus tria enumerat. Primo quia cuncta ſecundum rationem ſe agere fingent. Et ideo facies eorum ſicut facies hominum. Deinde fraude leuius, ad molliciem vitiorum pertrahent, & ideo habebunt capillos ſicut mulieres, demum per tormentorum crudelitatem omnia diſcerpent, & ideo dentes eorum ſicut dentes leonum. Et primo notatur libido accedendi. Ex ſecundo libido voluptandi, ex tertio libido deuaſtandi.

ET HABEBANT LORICAS SICVT LORICAS FERREAS] in quo ipſorum durities demonſtratur. VERS. 10.
Sicut enim lorica ferrea non de facili penetratur, ſic corda obdurata prædictorum non ſcindentur iaculis veritatis, loricæ ſunt hamatæ per tenacitatem, opacæ per perplexitatem, graues per ponderoſitatem. Ita quod in præcurſoribus Antichriſti erit pertinacitas ad reſiſtendum contra veritatem. *Et vox alarum earum*, perplexitas ad decipiendum per falſitatem, id eſt rationes eorum ſunt quaſi quædam perplexitates ad deiiciendum in pœnalitatem, coram aliis eleuabuntur, vt iuſti & ſapientes credantur, *ſicut vox curruum multorum currentium in bellum*. Sicut enim diuerſi currus à diuerſis equis ad idem bellum rapiuntur, ſic Antichriſtiani diuerſis hæreſibus infecti & diuerſis rationibus præmuniti current vnà. Contra Eccleſiam impugnandam, quorum vox erit clamoroſa, imperuoſa, doloroſa.

*Obſtinatio lorica ferrea.*

*Impiorum concordia contra iuſtos.*

ET HABEBVNT CAVDAS SIMILES SCORPIONIBVS,] id eſt doctrinam blandam & deceptoriam. VERS. 10.
*Et aculei erant in caudis eorum*, propter punctionem ſtimulationum. *Et poteſtas eorum nocere hominibus*; carnaliter viuentibus à menſibus quinque per quinque ſenſuum damnationem & præceptorum dimidiationem.

ET HABEBVNT SVPRA SE REGEM ABYSSI ANGELVM.] Deſcripto cœtu Antichriſti peſtifero, hic deſcribitur mortis ſingulariter ductoris conditio nomine Angeli vt dicit. *Et habebant ſupra ſe regem, quem ſibi conſtituerant, Angelum regem abyſſi diabolum*, qui eſt de abyſſo inferni ſine byſſo & candore omnis boni. Dicitur autem diabolus rex, non quia regnat, per omnes filios ſuperbiæ. Iob. 12. Cui nomen Hebraïcè Abadon, aliqui libri habent Abſcadon, aliqui Babulon. Sed vera littera habet Abadon. Vnde Hieronymus dicit Abadon nomen Hebraicum eſt, & interpretatur exterminans, Abadon vero græce interpretatur iudicans. Vnde componitur idem nomen in græco, & in Latino exterminans, ponit autem nomen diaboli in tribus linguis ſolemnibus, vt in omni gente & lingua eius verſutia caueatur, & hoc præcipuè, quia in illa triplici lingua doctrina euangelica eſt conſcripta, Matthæus enim lingua Hebraïca, Lucas & Ioannes Græca, & Marcus in Latina ſua euangelia conſcripſerunt. Vnde & titulus triumphalis fuit iſtis tribus linguis inſcriptus. Hebræa enim lingua eminebat propter Iudæos in lege Dei gloriantes, Græca propter ſapientes, Latina propter Romanos imperantes. Dicitur autem exterminans, quia fuerunt in exterminium infernale, vel per Angelum abyſſi poteſt intelligi Antichriſtus, qui rutilans, & ſplendidus iſtis principabitur ad bonorum probationem. VERS. 11.

*Diabolus quomodo Rex. Iob. 12.*

*Cur triplici idiomate ſcribitur nomen diaboli.*

*Hebræa, Græca, Latina ſcripta ſunt euangelia.*

Sequitur capitulatio, ſeu continuatio præcedentium ad ſubſequentia, VÆ VNVM ABIIT.] id eſt explicata eſt turbatio, quæ erit tempore præcurſoris Antichriſti, *Et ecce veniunt duo væ poſt hoc*, reſtat declarare duo extrema diſpendia, quæ erunt in Eccleſia, ſcilicet tempore Antichriſti, & futura die iudicij. VERS. 12.

ET SEXTVS ANGELVS TVBA CECINIT.] præmiſſa deſcriptione tertij Angeli animantis, & conſolantis Eccleſiam ſuper perſecutione præcurſorum Antichriſti hic exprimitur conditio ſexti Angeli confortantis Eccleſiam ſub rabie Antichriſti. Vnde hic VERS. 13.

hic ſcribitur perſequentium exercitus, & diſpendia, tunc temporis circa Eccleſiam futura, propter quod dicit, *Et ſextus Angelus tuba cecinit*, quia fraudes Antichriſti, & verſutias nunciabit Eccleſiæ, *audiui vocem vnam*, quia per ſpiritum intellexi prædicationem futuram procedentem ex quatuor cornibus altaris aurei, id eſt ex quatuor euangeliis eccleſiæ in qua offertur omnis oblatio quæ accepta eſt Deo, quod dicitur aureum, quia Eccleſia eſt, rubea per charitatem, fulgida per caſtitatem, ſolida per patientiam, ductibilis per obedientiam, ponderoſa per modeſtiam, *quod eſt ante oculos Dei*, quia Deus ſemper intuetur per continuam protectionem, & influentiam, vel per altare poſſumus intelligere Chriſtum, nam fuit altare, & hoſtia pro nobis in cruce oblata, quod dicitur aureum ratione claritatis ſapientiæ, ratione plenitudinis gratiæ, ratione ſoliditatis patientiæ, quatuor cornua altaris ſunt quatuor de Chriſto prædicabilia, Natiuitas, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio.

*Oblatio Eccleſiæ declarata per quinque.*

*Deus ſpecialis protector Eccleſiæ.*

Vers. 14. Avdivi ergo vocem vnam dicentem sexto angelo.] ſcilicet Prædicatorum, vel præſentium collegio, qui habebat tubam pro prædicationis officio, vel myſterio, *ſoluere quatuor Angelos*, id eſt quatuor dæmones vniuerſos prædicat ſoluendos tempore Antichriſti, vt homines reddantur tutiores, & cautiores, & in fide firmiores, *qui alligati ſunt* diuina virtute, *& in flumine magno Euphrate*, id eſt malorum hominum ſocietate: Euphrates enim eſt fluuius profundus, & impetuoſus, & ſignificat amatores huius mundi, qui ſunt profundi in aſtutia, & impetuoſi per malitiam, & currunt per ſæculum ex auaritia, & dictus fluuius currit per Babyloniam.

*Amatores mundi flumio Euphrati comparãtur.*

Nota quod fluuius materialis, vt patet ad ſenſum ſpeculariter effluit, circulariter effluit, liberaliter affluit, efficaciter influit, per quod poteſt ſignificari hæc doctrina, quæ eſt ſpecularis cognitione, circularis complexione, liberalis commemoratione, & virtualis operatione, propter quod merito iſte fluuius ſignificat ciuitatem Dei: Per quatuor Angelos vniuerſi dæmones ſignificantur, per quatuor mundi partes finaliter ſæuientes, & reprobos commouentes qui vel dicuntur ligati, quia non poſſunt nocere quantum volunt, ſed finaliter ſoluentur, quia non refrenabuntur. Vnde ſequitur.

Vers. 15. Et solvti svnt.] id eſt finaliter ſoluentur quatuor Angeli, i. dæmones qui per quatuor tentationes quaſi corrumpent, quatuor animæ affectiones qui parati erant ex improba cupiditate, *in horam, diem & menſem, & annum*, ex continua malignitate. *Et occiderunt tertiam partem hominum*, multiplici ſagacitate, non enim deſinit hoſtis antiquus deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt fidem credentium corrumpat, inſtare. Nouit enim cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui gulæ illecebras ingerat, cui componat nocumenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, nouit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem ſpe ſeducat, omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, vbi videt ſtudioſius aliquem occupari. Hæc Leo Papa, & per horam ergo, diem, menſem, & annum deſignatur temporis continuitas, & pugnam ſignificat, & tempus quo durabit perſecutio Antichriſti, quia per horam medius annus, per diem annus, per menſem dimidius annus, durabit enim iſta perſecutio per tempus, & dimidium temporis, id eſt per tres annos, & dimidium iuxta illud dictum Dan. 7. *Tradentur in manu eius vſque ad tempora, & tempora, & dimidium temporis*, ſpecificat numerum equorum diaboli, & equorum Dei. Equi diaboli ſunt Prædicatores Antichriſti. Ponit ergo numerum equorum diaboli, poſtea numerum equorum Dei: & quia plures mali quam boni, ideo prius numerantur ex parte diaboli quam Dei: vtrobique enim ponitur finitum pro infinito, & vtrobique ponitur millenarius, qui eſt numerus ex numero, id eſt habens duas dimenſiones, nam decies decem decies, faciunt mille, cuius radix eſt decem. Nam decies decem faciunt, centum qui eſt quadratus, ducatur ergo radix in quadratum, & ſurgunt mille: peccabant in tribus, quia contra Deum, in ſeipſos, & proximum: iſti autem viuunt iuſte proximo, bene ſibi, piè Deo.

*Diabolus tentat pluries ſecundum noſtras affectiones.*

*Dan. 7.*

*Plures mali quam boni.*

Nota quod iſte denarius ſimplex ponitur ex parte bonorum; quia ipſi obſeruant decalogum præceptorum, denarius vero duplicatus ponitur ex parte malorum, & ſignificat tranſgreſſionem mandatorum, quia binarius primo recedit ab vnitate, vnde binarius denarij ſignificat tranſgreſſionem decalogi.

Vers. 16. Dicit ergo, Nvmervs eqvestris exercitvs.] id eſt equorum diaboli vigeſies millies duo millia, quia multi & quaſi infiniti. Et numerus equeſtris Dei propter nouem ordines Angelorum, & decem hominum. Et poteſt totum exponi de malis, vt per vigeſies millies intelligatur numerus tranſgredientium, per dena millia numerus tranſgreſſorum. *Et audiui numerum eorum*. id eſt ſpiritualiter intellexi quid iſte numerus ſignificabit.

Vers. 19. Et ita vidi eqvos in visione.] id eſt falſos prædicatores minuentes: & *qui ſedebant ſuper eos*, id eſt dæmones prædictos regentes, & conducentes *habebant loricas*, in quo nodoſitas ſententiæ *igneas*, in quo feruor inuidiæ, his enim vitiis quaſi quibuſdam loricis armati, eccleſiam impugnabunt vnicuique ſuggerendo id in quo ipſius animum inclinare conſpici dicit, *Capita equorum*, id eſt Prædicatores in congregatione pſeudo Apoſtolorum, *erant tanquam capita leonum*, per ferocitatem eorum: maiores enim inter ipſos erant peruerſiores & crudeliores, leones ob ſæuitiæ crudelitatem, ob iracundiæ indomabilitatem, ob violentiæ rapacitatem, *& de ore iſtorum*, id eſt de doctrina illorum peſtiferorum procedit ignis auaritiæ, fumus ſuperbiæ, ſulphur luxuriæ: vel aliter procedit ignis inuidiæ, fumus idololatriæ, ſulphur blaſphemiæ: ignis inuidiæ malitia continuationis, obſtinationis, ſimulationis, vel ignis & ſulphur, eſt fœtor corruptæ eruditionis.

*Quo quis magis peruerſus inter malos magis æſtimatur.*

Vers. 18. Et ab his tribvs plagis occisa est tertia pars hominvm.] id eſt vniuerſitas damnatorum, *de igne, ac fumo, de ſulphure procedebant ex ore ipſorum.*

Vers. 19. Potestas enim eqvorvm in ore ipsorvm.] id eſt in malitioſa ſubiectione, *& in caudis eorum*, id eſt in palliata deceptione: cauda enim deſignat ſimulationem hypocritarum, vel falſam promotionem bonorum temporalium, quæ ſunt ſolum ad tegendum neceſſitatem ſicut cauda, *Nam cauda eorum ſimiles ſerpentibus*, propter nocendi calliditatem, *habentes capita*, propter ingenij ſagacitatem, *& his nocent*, propter ſuam malignitatem, ſerpens ſecundum Philoſophum ſecundo de animalibus fugit in natura humiditatem: item linguam habet bifurcatam, & obliquam ſecundum eundem: item in rupturis petrarum habitat, item frigore exterius viget, & tamen interius veneno non caret, item tortuoſus eſt, & lubricus, tales erunt præcurſores Antichriſti, ſanctorum ſanguinem ſugentes linguis ſuis ſubdolis, vt ſerpentes terrenis adhærentes, exterius inuidia tabeſcentes, interius liuore feruentes: ex aliis cauſis eſt defectiua conſtructio. Vnde dixit.

*Præcurſores Antichriſti ſimiles ſerpentibus.*

Vers. 20. Et cæteri homines qvi non svnt occisi in his plagis.] dicuntur incedentes, petulantiæ inſiſtentes, Antichriſto in omnibus, & per omnia obediendo: aliter enim punirentur ab Antichriſto, ſed tandem pœnam æternam incurrendo plectentur. Et ſubdit cauſam, *neque pœnitentiam egerunt*: id

id eſt quia non pœnituerunt de operibus manuum A ſuarum, malis operibus inſiſtendo. Magna virtus eſt pœnitentia, qua purgantur vitia, impetratur venia, conſeruatur gratia, obtinetur gloria. *vt non adorarent dæmonia*, tantum Deum colendo cui ſoli debetur adoratio, & ſimulachra aurea, argentea, & lapidea diuerſificando, idololatrando, & diuerſis diuerſa offerendo, quæ nec videre poſſunt, neque audire per ſenſus experientiam, neque ambulare per motus euidentiam.

*Pœnitentia magna virtus.*

VERS. 21. ET NON EGERVNT POENITENTIAM.] ab homicidiis ſuis ſanguinem iuſtorum effundendo, neque à veneficiis ſuis magicis artibus intendendo, neque à fornicatione ſua carnalibus deſideriis inſiſtendo, & alienis abutendo, neque à furtis aliena rapiendo iuxta Apoſtolum, fugienda eſt fornicatio, B quæ corpus corrumpit, formã deuiat: huiuſmodi fœtor aſcendit in cœlum, ſed ignis deſcendit in infernum, hic eſt fumus carnis, odium Angeli, cibus diaboli: patet ergo quod duplex ſtatus Eccleſiæ qui nobis in iſto capite figuratur, aperitur, ſcilicet quintus per quintum Angelum annunciantem rabiem Antichriſtianorum, ſub ſimilitudine locuſtarum terrena tentantium, ſub ſimilitudine ſcorpionum blandientium lethaliter pungentium, per ſextum Angelum aperitur ſextus ſtatus conclamantium dæmonum ad extollendam Antichriſtianorum ſuperbiam, & augendam miſerorum miſeriam, ex his ergo ſupradictis patet de illo ſtatu in quo nonum caput, illud ſufficienter eſt determinatum.

*Fugienda fornicatio.*

# SYNOPSIS CAPITIS DECIMI.

*Videt Ioannes Angelum quendam fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, geſtantem capite Iridem, cuius facies erat vt ſol, & pedes tanquam columnæ ignis: poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem* D *ſuper terram, & clamauit voce magna inſtar rugientis Leonis, quo clamante, ſeptem reboant, & concrepant tonitrua, & iurat non amplius fore tempus, ſed conſummandũ ad vocem ſeptimi Angeli myſterium: Datque Ioanni librum deuorandum, quem in ore dulcem & melleum, in ventre vero amarum experitur.*

## CAPVT DECIMVM.

1 ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt ſol, & pedes eius tanquam columnæ ignis.

2. Et habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.

3. Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

4. Et cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram, & audiui vocem de cœlo dicentem mihi. Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere

5. Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cœlum.

6. Et iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo ſunt, & terram, & ea quæ in ea ſunt, & mare, & ea quæ in eo ſunt: Quia tempus non erit amplius.

7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit C per ſeruos ſuos Prophetas.

8. Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.

9. Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum: & dixit mihi; Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

10. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

## EXPOSITIO DECIMI *Capitis.*

E

ET VIDI ANGELVM DESCENDENTEM DE COELO.] Oſtenſa grauitate tribulationis, quæ erit à parte pſeudo Antichriſti etiam perſequentis, hic oſtenditur remedium quod erit à parte Chriſti etiam confortantis & amantis, vnde præſens caput in quatuor partes diuiditur. Primo enim præmittitur adiutorij noſtri celſitudo incomparabilis. VERS. 1.

*Diuiſio capitis in quatuor partes. Primo.*

Secundo ſubditur magnitudo poteſtatis inſuperabilis ibi, *Pedem ſuum.* *Secundo.*

Tertio declaratur valitudo cõminationis infallibilis, ibi, *Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram leuauit manum ſuam ad cœlum.* *Tertio.*

Quarto concluditur certitudo promiſſi irrefragabilis, *Quarto.*

bilis, ibi, *Oportet iterum prophetare gentibus, & populis, & regibus multis*.

Sic ergo Eccleſia per Antichriſtum tribulabitur, ſed per Chriſtum, qui eſt auctor veræ pacis conſolabitur, quem Ioannes commendat per ordinem in decem conditionibus, quæ in Chriſto clariſſimæ fuerunt. Fuit namquem in ipſo auctoritas legationis, quia *fortem de cœlo*, vtilitas executionis *deſcendentem* humilitas conuerſationis, *amictum, &c.* veritas Incarnationis, quia *iris in capite eius*, pietas reconciliationis *tanquam columnæ ignis*, claritas contemplationis *in manu ſua libellum*, æquitas actionis, *& pedes* veritas prædicationis *habebat apertum*, pronitas diſcretionis, quia *tenebat in manu*, zelus noſtræ ſalutionis, quia *clamauit voce magna*.

*Chriſtus legatus ad conſolationem Eccleſiæ.*

Dicit ergo, Et vidi alivm Angelvm.] generoſitate celſificum, victorioſitate magnificum, liberalitate munificum, ſcilicet Angelus iſte Chriſtus qui paternæ voluntatis arcana reſerauit, noua vitæ æternæ nunciauit, noua promiſit, noua fidelibus confirmauit, ſcilicet *fortem*, mortem tolerando, fortiorem mortem ſuperando, fortiſſimum de morte triumphando, vnde Iob. 6. *Si fortitudo quæritur fortiſſimus eſt.* Ioan. 1. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.* Deſcendit igitur ad Virginem ad ſe incarnandum. Primus deſcenſus, in mentem ad inflammandum, in infernum ad deuaſtandum, in iudicium ad condemnandum. De primo deſcenſu, Num. 12. *Deſcendit Dominus in nubem leuem.* Secundus rorificus ad conſolandum, Pſal. 132. *ſicut ros qui deſcendit in monte Sion.* Tertius lucrificus ad liberandum, Iſa. 9. *interrumpens &c.* Quartus terrificus ad condemnandum, Iob. 10. *Columnæ cœli contremiſcent.* Primus deſcenſus in Virgine fuit copioſus ad inflammandum, quia ſicut nubes, Pſal. *Deſcendit ſicut Pluuia in vellus.* Vnde per vellus hic caro Virginis intelligitur, vnde Chriſtus carnem humanam aſſumpſit, ſicut enim vellus facili impreſſione pluuiam recipit & imbibit & facili expreſſione refundit: ſic B. Virgo recepit plenitudinem gratiæ quam influit per riuos miſericordiæ, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.

*Angelus Chriſtum ſignificat.* *Iob 6.* *Ioan. 1.* *Deſcendit Chriſtus multifariã.* *Num. 12.* *Pſal. 132.* *Iſa. 9.* *Iob. 10.* *Deſcenſus ad Virginem primo fuit copioſus.*

Secundus fuit luminoſus ad inſtruendum, quia ſicut infra capite 14. Vidi Angelum deſcendentem de cœlo & terra illuminata eſt à gloria eius: iſte Anlus Chriſtus eſt; terra vero Virgo Maria illuminata, vt Apoſtolos confirmaret, errores extirparet, deuiantes informaret. Vnde Bernardus. Nonne Maria amicta ſole perhibetur, quæ vltra quam credi valeat diuinæ ſapientiæ profundam penetrauit abyſſum, vt quod ſine vnione perſonali creaturæ conditio patitur luci inacceſſibili videatur & immerſa.

*Secundo luminoſus.*

Tertio iſte deſcenſus fuit virtuoſus ad dirigendum, quia ſicut ignis, Exod. 19. Totus mons Synai fumigabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum enim in igne, mons B. Virgo eſt fumus, liquefactio dilectionis ex virtute ignis quæ impleuit eã præſentia diuinitatis: tanta enim flamma amoris accẽdebatur quod neceſſario habuit corrumpere mala, & ideo dilectio ipſius amplius fortis quam mors, quia mortem filij ſui ſibi comparationis gladio comparauit.

*Tertio virtuoſus.*

Quarto iſte deſcenſus fuit ad perficiendum, quia ſicut ros, Num. 5. *Cumque deſcenderet ſupra caſtra ros, deſcendebat & pariter manna*, iſte deſcenſus fuit præmonſtratus Moyſi in rubro & igne, Aaron in virga & flore, Gedeoni in vellere & rore, Salomoni in forti muliere. Vide ergo quod in ſola dulci Maria prædiues exinanitur, & excelſus humiliatur. Ier. in fœmina vir circundatur, immenſus abbreuiatur, & ab Angelis minoratur, ſed quo fructu? Nempè vt omnes locupletemur paupertate, honoremur humilitate, eius minoratione magnificemur, eius incarnatione aſſociemur.

*Num. 5.* *Fuit præmonſtratus iſte deſcenſus. Chriſtus quo fine incarnatus.*

Amictvm nvbe.] id eſt humanitate. Nubes ad litteram eſt impreſſio facta in aëre ex multis vaporibus in medio intrinſeco congregatis, & ex loci frigiditate condenſatis. Vnde nubes eſt correſpondens materia ad pluuiam, & ad grandinem, & ad niues, dicitur autem ſic generari. Nam calor cœleſtis in ſua ſphæra partes aquæ, & terræ vaporabiles ad ſe ſubtiliſſimè trahit. Vnde partes eorum ſubtiliores conſumens, & reſiduum condenſans in nubem conuertit.

*Nubes quid ſit, & quomodo gignitur.*

Et iris in capite eivs.] id eſt virtus propitiandi, & reconciliandi in capite eius, id eſt in Diuinitate, quæ quatuor coloribus in iride oſtenditur. Nota quod prædicti quatuor colores ſunt quatuor virtutes in Chriſto capite noſtro: iris ergo eſt impreſſio grauata ex nube concaua, & roſida ex radiis ſolaribus penetrata. Hic ergo per interpoſitionem ſui feruorem ſolis mitigat & temperat, & per ſuam reſolutionem conuertit in pluuiam, vel in rorem, inferiora vegetat, & fœcundat per ſuam figuram, & multiformem colorum variationem, ſuperiora pulchrificat & decorat, ſignum humiditatis in aëre ſignificat, & ideo ante iudicium dixit Beda, & Magiſter in hiſtoriis per annos quadraginta non apparebit, ex hoc in ſignum deſiccationis, & arefactionis elementorum pax inter Deum, & mundum deſignat, & diuinum iudicium per diluuium præteritum futurum denunciat, in qua vero parte ſit facies ſua indicat paterna ſapientia.

*Nota bene iris non apparebit.*

Et facies eivs.] fulgore clarior. Matthæi 10. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Dulcior etiam. Eſth. 15. *Valde mirabilis Domine, & facies tua plena gratiarum.* Pſal. 79. *Oſtende nobis Domine faciem tuam, & ſalui erimus, &c.* honore dignior. Geneſ. 23. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*, *facies* ergo eius pœnitentia humanitatis, *erat ſicut ſol*, clarificans naturaliter, viuificans ſpiritualiter, glorificans virtualiter.

*Matth. 10.* *Geneſ. 23. Solis myſtici effectus.*

Et pedes.] id eſt prædicatores per totum mundum Chriſtum portantes, *tanquam columnæ ignis*, per iuſtitiam plani, per ſpem recti, per contemplationem diuini, per patientiam ſolidi, per charitatem feruidi, recti rectitudine figuræ, altitudine ſtaturæ, pulchritudine ſepulturæ.

*Prædicatores pedes Chriſti.*

Et habebat in manv sva librvm apertvm.] id eſt in poteſtate ſua totam legem iam reſeratam, tempore enim quo omnia ſub figuris in lege latebant implendo apparuit, & prædicando per Apoſtolos manifeſtauit. Vnde Dan. 13. *In tempore iſto ſaluabitur populus meus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ*, & econtrario reſpondebunt reprobi, imago noſtra conformatur beſtiæ horribili, deformatur culpa abominabili, in hoc libro transformatur pœna inexpreſſibili ſcripta erant lamentationes, carmen, & væ: lamentum inquam nominis reprobationis, carmen confuſionis in ſuperſcriptione libri ſui, & væ æternæ damnationis ipſi oſtendet, ſed damnati veſtigium diuinitatis, inſtrumentum hæreditatis, vexillum Chriſtianitatis prætendent, ſignum reprobationis, lubricæ damnationis, æternæ maledictionis, nec poterit quis à libro exemplari ſe ſe abſcondere, omnibus apparabit, videbunt omnes librorum ſuorum felicitatem, & aliorum, vt habetur infra 20. *Et alius liber qui eſt vitæ apertus eſt, & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris.*

Vers. 2. *Damnatorũ pœna.*

Et posvit pedem svvm dextrvm svpra mare.] quia elegit Deus gentes ad beatitudinem, *ſiniſtrum autem ſuper terram*, quia Iudæos reliquit ad dãnationem, hoc dicitur quia primo vocauit gentes ad fidem, & iuſtitiam, & in fine vocabit Iudæos per miſericordiam, quando reliquiæ Iſraël ſaluæ fient. Per dextrum pedem deſignatur prędicatio de appetitu ſupernorum, per ſiniſtrum de contemptu terrenorum.

*Pedes quid ſignificent.*

Moraliter deſcribitur Prælatus qui debet eſſe

Angelus cæterorum, lator morum, quia ſpeculator ſupernorum debet deſcendere, quia exemplator filiorum; amictus nube, quia conſolator afflictorum, iris in capite, quia triumphator vitiorum, facies eius vt ſol, quia contemplator ſupernorum, quemadmodum leo rugit, quia debet eſſe in manu ſua libellus, quia perſcrutator.

Vers. 5. Et clamavit voce magna.] id eſt Chriſtus prædicando magnalia, quæ operabatur, vt leo rugiens audacter, & terribiliter clamauit voce magna, quia de magnis ad magna, & cum magno deſiderio. Vnde clamauit in templo prædicans, & ad vitam reſuſcitans, & in cruce tolerans, in morte expians.

*Leo terret omnia animalia.* Quemadmodum cum leo rugit.] peccatores ad pœnitentiam reuocare: tantus eſt enim tremor leonis rugientis, ſecundum Ambroſium, vt cætera animalia fugiant & fugiendo deficiant.

Et cum clamasset.] ideſt pœnam malorum futuram, & bonorum remunerationem inſinuauit, ideſt *locuta ſunt ſeptem tonitrua*, ideſt prædicatores vniuerſi ſeptemplici gratia Spiritus ſancti repleti *voces ſuas*, quia ſancta prædicatio non fabulas Iudæorum, non Philoſophorum fallacias, non Hæreticorum verſutias in dogmatibus ſuis recipit, ſed documenta ſibi inſpirata diffundit, ſecundum Haymo.

Vers. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas.] ideſt ſententias ſuas propter aliquis dicitur habere vocem in electione aliqua, id. cum Prædicatores clamaſſent pœnam æternam malorum futuram, vt à malo ceſſarent, & remunerationem bonorum, vt amplius in bono perſeuerarent.

Ego scripturus eram.] ideſt paratus ſcribere etiam vt nuntiarem. *Et audiui vocem de cælo dicentem*, ideſt intellexi diuinam inſpirationem, vel Angelicam auditionem, ſigna quæ locuta ſeptem tonitrua myſterio ſub ſigillo conſignando.

Noli ea scribere] aliis aperiendo, & manifeſtando, ſed quæritur hic qualiter Ioanni mandatur celandum quod infra eidem præcipitur ſibi aperiendum, ne ſignaueris verba Prophetiæ huius. Reſpondeo ſecundum Bedam. Myſteria fidei Chriſtianæ, nec paſſim cunctis ſunt reuelanda, ne uileſcant, nec probis claudenda ne reſipiſcant.

Vers. 5. *Secunda pars capitis.* Et Angelus quem vidisti stantem supra mare, et supra terram levavit manum suam ad coelum,] hic eſt ſecunda pars principalis capitis, vbi poſt explicationem tribulationis intolerabilis ſequitur conſolatio ſuper promiſſione vitæ incommutabilis, ergo, *Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper terram & mare*, per omnium ſubiectionem, *leuauit manum ſuam ad cælum*, ideſt geſtum accepit magiſtraliter ad maiorem aſſertionem.

Vers. 6. *Iuramentum Dei, quid.* Iuravit per viventem in sæcula sæculorum.] per fidelem atteſtationem, ſecundum Haymo. Iuramentum Dei eſt ſermonis ipſius ſtabilimentum, quicquid loquitur abſque ambiguitate complet. Homines autem prohibentur iurare ſic, quia ſæpè iuramento falluntur. Vnde licet iurare non ſit malum, malum eſt tamen quandoque à malo, ſcil. propter defectum credulitatis.

*Cur hominis prohibentur iurare.*

Iuravit ergo per viventem in sæcula sæculorum.] *Qui creauit*, ideſt de nihilo plaſmauit *cælum* empyreum, *& omnia quæ in eo ſunt*, ideſt Angelos, vel *cælum* ſydereum, *& omnia quæ in eo ſunt*, ideſt animalia ſenſibilia, & reptilia.

Vel Terram.] ideſt Eccleſiam, *& ea quæ in ea ſunt*, ideſt diſtinctiones officiorum, & mare, ideſt quamlibet aquarum congregationem: *& ea quæ in eo ſunt*, ideſt piſces ex hac littera conuincitur Manichæus, qui dixit tantum inuiſibilia creata à Deo bono, viſibilia vero à Deo malo.

*Hic arguitur Manichæus.*

Vel qui creavit coelum.] id eſt ſpiritum humanum, *& ea quæ in eo ſunt*, id eſt ſenſus, & membra, & *mare*, id eſt ſæculum, vbi maior minorem deuorat, *& ea quæ in eo ſunt*, viuentia, & alia animalia, quibus vita hominis ſuſtentatur.

Quia tempus amplius non erit.] quantum ad bonorum immutabilitatem, contra & erit Chriſtus eorum in ſæcula. Item ſecundum Philoſophum. Cœlum eſt incorruptibile, & motus eius ſempiternus. Vers. 6.

*Tempus accipitur multipliciter.* Cum ergo tempus ſit menſura motus primi mobilis, & etiam aliorum motuum, videtur quod tempus ſemper erit, cuius contrarium hic apparet. Reſpondetur tempus duobus modis accipi: vno modo vt eſt menſura motus primi mobilis, & ſic non erit tempus amplius, quia ſtabit firmamentum, ſol, & luna, & cætera plura iuxta illud, *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo*, & ſtabunt in eodem loco in quo creata ſunt à principio.

Item tempus alio modo dicitur menſura motus rerum mutabilium, & ſic erit tempus malorum, in ſæcula in inferno, vbi tranſibunt ab aquis niuium ad calorem igneum, Iob 24. Vbi Beda impiis tempus ſemper erit, quia tormentis variis torquebuntur, iuſtis non erit, quia illum, qui ſemper eſt idem, contemplabuntur, quid ergo Angelus intrauit amplius non erit, intelligitur rerum viciſſitudo, varietas, & ſucceſſio gaudiorum, & tribulationum non erit poſt iudicium quod rerum eſt affuturum.

Sed in diebus vocis septimi Angeli.] & in diebus vltimorum prædicatorum, & prædicantium poſt curſum Antichriſti, *cum cœperit tuba canere*, id eſt finem ſæculi annunciare, *conſummabitur myſterium Dei*, id eſt diuina promiſſio implebitur ſuper remunerarione ſanctorum, qui modo tribulationibus opprimuntur. Et dicitur myſterium, quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec* &c. 1. Cor. 4. cap. In quadam homel. Gregor. quæ enim lingua dicere, vel quis intellectus capere poteſt quæ, & quanta ſint gaudia Angelorum? &c. *vt euangelizauit per ſuos Prophetas*, quorum intentio fuit de aduentu Domini, & conſummatione ſæculi, quando bonis præmia & malis ſupplicia reddet Deus, per hoc enim, & bonos ad patientiam inuitabat, & malos à peccatis retrahebat. Hierem. 23. in nouiſſimis diebus intelliget conſilium vocem quam audiui de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem præoſtenſis rebus quæ faciunt ad bonorum conſolationem, hæc ſicut ſunt futura mala quorum prædicatio quodammodo profertur: minus enim iacula feriunt quæ præuidentur, & propter hoc datur Ioanni præceptum recipiendi, & annunciandi ſibi reuelata myſteria ad præcauendum pericula imminentia. Vers. 7. *Finis mundi cur appellatur myſterium.*

Vnde dicit, Et vocem quam audivi de coelo.] id eſt Angelicam admonitionem, aut diuinam inſpirationem *loquentem mecum*, per benignam condeſcenſionem, *& dicentem* per arcanorum reuelationem, hæc vox iterum intonuit. Vers. 8.

Vade] ſ. mentis affectu, *& accipe librum*, fidei greſſu, amoris paſſu, i. Euangelicam prædicationem intime incorporando, luculenter intelligendo, & poſtmodum aperiendo. Et ſeq. *apertum*, inuenit, lege concluſum, & ſignatum quem, Agnus aperuit naſcendo, moriendo, reſurgendo, aſcendendo, *de manu Angeli*, id eſt Chriſti, qui eſt Angelus magni conſilij *ſtantis ſupra mare, & ſupra terram*, per auctoritatem vniuerſalis Dominij. *Liber ſignificat Euangelicā prædicationem.*

*Quæſtio.* Sed quomodo dicit quod accipiat librum, qui iam dudum acceperat, quando ſibi Chriſtus dedit officium prædicandi? Reſpondetur hic & dicitur Ioanni in perſona futurorum prædicatorum, vel prædicantium qui nondum acceperant officium prædicandi, ſed accepturi erant, vel dic ei quod vadat in dioceſi ſua,

ſu & accipiat librum patri & reſumat prædicationis officium, quod interierat propter exiliũ in quo erat.

*Moraliter liber eſt vita Chriſti.*

Moraliter liber iſte eſt vita Chriſti, in quo ſunt tot litteræ quot virtutes, quas litteras ipſe ſcripſit, Iob. 27. *Librum ſcribat ipſe qui iudicat filius Pater cui dedit omne iudicium.* Ioa. 6. Sed poſtea homines ſcripſerunt alias litteras ſatis legibiles, & nimio ſanguine rubricatas, ſc. vulnera pedum, manuum, & lateris, & cicatrices virgarum crucis flagellorum, Isa. 8. *Sume tibi librum grandem,* &c. id eſt lancea lingua & clauis Iudæorum, ad exemplum huius libri debet quilibet ſcribere librum ſuum, quod ſi non fecerit iudicabitur. Ipſe n. dicturus quæret cuius eſt imago & ſuperſcriptio hæc; ad hanc quæſtionẽ reſpondebunt electi: imago noſtra tibi conformatur, in tempore tantæ gloriæ renouatur per renouationem, & in tempore illo ſaluabitur populus omnis qui transformatur in te.

*Quilibet Chriſtianus debet ſcribere librum ſuum.*

E contrario reſpondebunt reprobi imago noſtra conformatur beſtiæ horribili, difformatur pœna inexpreſſibili. In hoc libro erunt ſcriptæ *lamentationes, & carmen & væ.* Ezech. 2 lamentum inquam reprobationis, carmen confuſionis, væ æternæ damnationis. Electi ponent in ſuperſcriptione libri ſui quem habebunt, inſtrumentum hæreditatis, vexillum Chriſtianitatis, veſtigium diuinitatis. E contra damnati ibi prætendent ſignum reprobationis, lutum confuſionis, oppſobrium damnationis, nec poterit quis decipere iudicem, quia liber in exemplar omnibus in iudicio apparebit, vt videant omnes falſitates librorum ſuorum, & aliorum infra. *Et alius liber qui eſt apertus & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris.*

*Ezech. 2.*

*Officium prædicatoris.*

Vade & accipe librum apertum de manu Angeli] in quibus quidem verbis oſtenditur quis qualiter debeat officium accipere prædicandi, à quo, quid aſſumendum, quid intendendum. 4. Reg. 1. *Vade, lauare ſepties in Iordane & recipiet ſanitatem caro tua,* expelle odium Matth. 5. *Vade reconciliari fratri tuo,* & excute iugum, Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia,* &c. Exclude otium Prou. 3. *Vade, ad formicam, O piger, & conſidera vias eius.*

*4. Reg. 1.* *Matth. 3. & 19.* *Prou. 3.*

Quantum ad ſecundum nota quod dicitur prædicari, Pro. 8. *Accipite diſciplinam,* & cape ſtudium ad intelligendum, *& non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite,* clypeum ad reſiſtendum ad Eph. 6. *Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo,* & Act. 1. *Accipietis virtutem ſuper vos,* &c.

*Prou. 8.* *Epheſ. 6.* *Act. 1.*

Quantum ad tertium eſt notandum quod eſt liber ſpecialis, qui eſt Verbi diuinitas de quo infra. 20. *Et alius liber apertus eſt qui eſt vitæ,* immutabilis Chriſti humanitas in Pſal. 38. In libro tuo omnes ſcribentur.

Eſt liber vitæ obſeruabilis mandatorum Dei & lex quæ in æternum ſtat, & hic legis auctoritas Baruch. 1. Hic eſt liber, de quo eſt liber conſeruabilis, & hic mentis integritas, infra. 20. *Vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni. Et libri aperti ſunt.*

*Manus Domini quadruplex. Hie. 9. Pſal. 138. Dan. 3 Pſal. 103.*

Quantum ad quartum eſt notandum quod manus Domini eſt manus poteſtatis ad protegendum, æquitatis ad dirigendum, largitatis ad remunerandum de 1. Hier. 9. *In vmbra manus ſuæ protexit me.* De ſecundo in Pſal. 138. *Manus tua deducet me.* De tertio Dan. 3. *Manus tua erexit me.* De quarto in Pſal. 103. *Aperiente te manum omnia replebuntur* &c.

Vers. 9. Sequitur monitionis executio, Et abii] Angelo obtemperante, obediendo *dicens ei vt daret* mihi iam ſcripturam & eius intelligentiam aperiendo *& dixit mihi.*

Accipe librum, & devora illum,] id eſt quod doces verbo, oſtende facto & exemplo, *& faciet amaricari ventrem, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel,* quæ nunc videntur ſenſualitati amara & dura ori, rationi ſunt bona & dulcia.

Vers. 10. Et accepi librum de manu Angeli,] memoriæ commendatio *& deuoraui,* iſtum intime incorporando, *& erat in ore meo tanquam mel dulce,* in his quæ videbam in ſuperficie contemplando.

Et cum devoraſſem eum amaricatus eſt venter meus] ſubtilius tribulationes ſanctorum attendendo *& dixit mihi,* ſcilicet Angelus.

Oportet te iterum prophetare,] id eſt futura mala quæ præuidiſti prædicare, *gentibus, populis & linguis,* quantum ad inferiores & ſuperiores. Vers. 11

*Quæſtio. Prædicandũ non ſolum voce ſed etiã ſcripto.*

Sed contra, quia non legitur quod Ioannes poſt reditum de exilio exierit de Aſia. Reſpondeo, & dico quod licet non exierit ſi non prædicauit verbo, tamen ſcripto multis regibus prædicauit & adhuc hodie prædicare non ceſſat, quia quæcumque ab eo ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt & hoc dicitur Ioanni in perſona prædicatorum, quos oportet iterum prædicare mortuo Antichriſto diuerſis nationibus & regibus quibus datur ſpatium ad agendum pœnitentiam; patet igitur ex iſto capite quod hic introducitur Chriſti Angeli magni conſilium & præſidium & Antichriſti excidium, cuius virtus deſcribitur, ad enumerandum impiorum crudelitatem, ad euitandum impiorum calliditatem, ad euacuandum puſillanimitatem. Sapientia occultarum veritatum quæ inſunt, præmittitur ad omne obſtaculum amouendum, finaliter innuitur propter prædicationis libertatem & facultatem.

# SYNOPSIS CAPITIS VNDECIMI.

*IOANNES Templum metiens audit prædicaturos duos teſtes, quos beſtia à mari aſcendens occidet: at illi reſurgentes in cœlum aſcendunt, ac terræmotu occiduntur 7000. hominum & ad cantum ſeptimi Angeli viginti quatuor ſeniores Deo gratias agunt.*

## CAPVT VNDECIMVM.

1. ET datus eſt mihi calamus
ſimilis virgæ, & dictum
eſt mihi: Surge, & metire
templum Dei, & altare,
& adorantes in eo.
2. Atrium autem quod eſt foris tem-
plum, eiice foras, & ne metiaris illud: quo-
niam datum eſt Gentibus, & ciuitatem
ſanctam calcabunt menſibus quadraginta
duobus.
3. Et dabo duobus teſtibus meis, & pro-
phetabunt diebus mille ducentis, ſexagin-
ta, amicti ſaccis.
4. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candela-
bra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.
5. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis
exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos
eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic
oportet eum occidi.

6. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.

7. Et cum finierint teſtimonium ſuũ, beſtia quæ aſcẽdit de byſſo, faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos & occidet eos.

8. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.

9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.

10. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur? & munera mittent inuicem, quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant ſuper terram.

11. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.

12. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.

13. Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia: & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli.

14. Væ ſecundum abiit; & ecce væ tertium veniet citò.

15. Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi, Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſæcula ſæculorum: Amen.

16. Et vigintiquatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes.

17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.

18. Et iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis, & ſanctis, & timentibus nomen tuum puſillis & magnis, exterminandi eos qui corruperunt terram.

19. Et apertum eſt templum Dei in cælo: & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.

---

## *EXPOSITIO VNDECIMI Capitis.*

ET DATVS EST MIHI CALAMVS SIMILIS VIRGÆ, ET DICTVM EST MIHI SVRGE, &c.] Præmiſſa libertate ſuper Euangelica prædicatione hoc præmittitur adiutorium in eius executione, ſcil. Heliæ & Enoch, qui in nouiſsimis temporibus ſecundum ſcripturam propheticam reuelabuntur. Vnde præſens caput in ſeptem partes diuiditur, quia primo libertas exponendi ſcripturam. Ioan. & eius ſucceſſoribus committitur, ſecundo adiutorium Heliæ & Enoch, ibi *& dabo duobus teſtibus meis*, &c. id eſt hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra, tertio eorum vita deſcribitur, quarto declaratur eorum potentia, ibi, *hi habent poteſtatem*, quinto eorum pugna & finaliter victoria ibi. *Et cum finierit*, ſcilicet teſtimonium ſuum, &c. ſexto ſequitur vindicta ibi. *Et iſta hora factus eſt terræmotus magnus*, ſeptimo aperitur myſterium, ibi *audiui, Angelus tuba cecinit*: ergo.
Vers. 1.

ET DATVS EST MIHI CALAMVS,] id eſt libertas prædicandi, ſcripturam exponendi, quæ calamo inſcribitur & eſt tropica locutio, qua per efficiẽtem, id quod efficitur demonſtratur vel quod idem eſt, quia per cauſam effectus demonſtratur ſecundum regulam Auguſtini 9. de Tri. c. 12. Vel calamus eſt poteſtas imprimendi in cordibus fidelium Spiritus ſancti ſacrarium, quæ, ſcilicet conſiſtit in tribus, ſcilicet in plenitudine ſcientiæ, in venuſtate eloquentiæ, in ſanctitate vitæ.
Vers. 1.

SIMILE VIRGÆ] ratione dirigendi, in virga intelligitur rectitudo ſacræ Scripturæ, in qua nullus mundanitatis nodus, nullus error inuenitur, ſicut in libris philoſophorum Iudæorum, & hæreticorum, vel quia regnum quod promittit cæleſti prædicatione, inflexibili iuſtitia perſeuerat, calamus ergo accipitur pro menſura, virga verò pro auctoritate prædicationis. Pſ. *Lingua mea calamus ſcribæ*, &c. Quicquid eſt, calamus eſt lex moderationis in propoſito, *datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ*, pax conuerſationis. Ezech. 4. *Apparuit calamus miſeria in manu eius odor ædificationis.* Ierem. 20. *Dedit calamum ſuauiter olentem.*
Rectitudo ſacra Scriptura Pſal.
Ezech. 4.
Ier. 20.

Nota circa virgam, quod eſt virga Moſaica, quæ fuit in ſignis potentiſſima, virga Leuitica, quæ fuit in cõceptu fecundiſsima, virga Dauidica, quæ fuit in partu ſinceriſsima, virga Angelica quæ fuit in ẽxẽplis præclariſsima. De prima. Exod. 4. *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* De ſecũda: Num. 16. *Inuenit Aaron germinaſſe virgam in domo Leui, & turgentibus eruperant flores.* De tertia. Iſa. 12. *Egredietur virga de radice Ieſſi, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* De quarta. Iudic 6. *Cumque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & azimos panes.*
Virga Moſaica Multiplex virga.
Exod. 4.
Num. 16.
Iſa. 12.
Iud. 6.

Nota quod Virgo glorioſa dicitur virga, cuius ſummitas adoratur, virga per quam captiuitas liberatur, virga per quam charitas inflammatur, virga per quam infirmitas conſolatur. De prima habetur in figura, ad Heb. 11. *Fide Iacob moriens ſingulos filiorum*
Virga dicitur Maria.
Hebr. 11.

*Ioſeph*

*Exod. 14.* *Iudic. 6.* *Pſal.*

*Ioſeph benedixit & adorauit faſtigium virgæ eius.* De ſecundo. Exod. 14. dicitur in figura. *Eleua virgam tuam, extende manum tuam ſuper mare & diuide illud, vt egrediantur filii Iſrael in medio maris per ſiccum.* De tertio exemplum de virga Gedeonis, de qua accenſus eſt ignis. Iudic. 6. De quarto. Pſal. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Ait ergo Ioan. *Datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ*, id eſt adiutorium Virginis gracilis, flexibilis, & delicatæ præſtabitur prædicatoribus ſuo tempore. Ipſa enim eſt virga qua venenatum caput draconis conteritur & potentia diminuitur, quia primo modo virga dicitur Virgo triangula. Sic Virginis thalamus eſt triangulum imaginis creatæ in memoria, intelligentia, & voluntate triangula cum ſpecie imaginis recreatæ, fide, ſcilicet, ſpe & charitate, ac per hoc Trinitatis increatæ propter virtutes quæ fuerunt perfectiſſimæ in Maria, ſcilicet ſumma humilitas, puriſſima virginitas; manſuetiſſima ſimplicitas. Mutata eſt virga triangularis in circularem, quæ eſt perfectiſſima ratione capacitatis, vnde merito hæc virga dicitur mater & Virgo Maria, interminabilis pietatis. Vnde ipſa eſt, virga & ianua paradiſi, honor & gloria generis humani, Thronus, & camera regis æterni, imago & ſpeculum mundi, ſcala cæli, regina Apoſtolorum, terror dæmonum, ſalus & refugium peccatorum, puritatis figura, & magiſteriũ veritatis, exemplum & natura honeſtatis, fons & taberna gratiarum, mons & ſcala virtutum, arca & gazophylacium cæleſtium theſaurorum, confuſio ſuperborum, ſolatium extraneorum, ductrix peregrinorum, ſcutum pugnantium, murus obſeſſorũ, requies tribulatorum, mater orphanorum, tutela viduarum, magiſtra prædicantiũ, fortitudo laborãtium, aduocata peccatorũ, formula & ſpes credentium, titulus catholicorũ & Eccleſiæ fundamentum. Si ergo te ſentis infirmũ, recurre ad virgã Virginẽ, quę tibi proferat fructus ſanitatis. Si te cognoſcas aridum, feſtina ad oliuã quæ tibi oleum gratiæ affluat pietatis. Si te vides triſtem, vade ad vitem & bibe vinum iucunditatis. Si in amaritudine pœnæ ſis, propera ad ficum, comede fructus eius dulciſſimos, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ.

*Virginis encomia.* *Virginis Mariæ encomia.* *Virginis auxilium implorandum.*

DATVS EST MIHI CALAMVS SIMILIS VIRGÆ] id eſt libera facultas in prædicatione, & dictum eſt mihi Angelica monitione.

SVRGE, ET METIRE TEMPLVM DEI, ET ALTARE, ET ADORANTES IN EO,] id eſt omnibus prædica in conſpectu eorum, ſcilicet conditiones ipſorum: aliter per templum triumphans ſignificatur Eccleſia, per adorantes, beati qui habitant in ea in ſæcula ſæculorum, metiri ergo templum eſt contemplari ſtatum triumphantis Eccleſiæ, & altaris Chriſti ſuper quod offeruntur Deo patri omnes oblationes. Sequitur quomodo menſurabitur longiturnitas quæ non habet terminum, claritas quæ non nouit occaſum, ſatietas quæ neſcit faſtidium: rapitur illuc animus, vbi tota ratio facti eſt potentia, & incomprehenſibilitas facientis. Per templum aut per altare intelligitur, per adorantes ergo contemplatiui intelliguntur: Verbum autem propoſitum poteſt ſeruire in dedicatione Eccleſiæ, vbi primo tangitur ritus dedicationis, cum dicitur *metire*; titulus executionis cum ſubiungitur *altare*, cultus habitationis, cum poſtponitur *adorantes.* Primum probat auctoritas pontificalis, ſecundum, localis exiſtentia, tertium, vtilitas ſpiritualis: triplex autem inuenitur templum, ſcilicet circulari inceſſione, numerali impreſſione, crucis ſubſcriptione. Templum namque Epiſcopus habet circuire, etiam Epiſcopus in templo facit cruces, & ſcribit alphabetum Græcum & Latinum, altare vero dicitur eſſe concauum humilitate, quadratum ſanctitate, latum charitate.

*Quid per altare quid per templum intelligitur.* *Templum triplex inuenitur.*

VERS. 2. *Qui ſunt falſi chriſtiani.*

Sequitur, ATRIVM AVTEM QVOD EST FORIS TEMPLVM,] id eſt falſos Chriſtianos, quia ſunt extra Eccleſiam, *eiice foras*, id eſt prædic eiiciendos in futuro iudicio, hoc ſignificatum fuit in eiectione Adæ de paradiſo. Gen. 3. Et in eiectione Agar & Iſmael. Gen. 21. *Et ne metiaris illud*, menſuram prædicationis ab eis abſtrahendo, *quoniam datum eſt gentibus*, id eſt dari ſuis honoribus, & viriis gentiliter viuendo.

*Gen. 3.* *Gen. 21.*

CIVITATEM CALCABVNT,] Eccleſiam perſequendo, *menſibus quadraginta duobus*, ſuam rabiem continuando, id eſt tribus annis cum dimidio, quibus regnabit Antichriſtus, vel per hunc numerum, qui conſiſtit in ſenario ducto in ſeptenarium; ſignificatur tota vita præſens quæ ſeptem diebus agitur & ſeptem operibus miſericordiæ exercetur, nec mirum ſi mali finaliter conculcabunt bonos, quia ſic fuit à principio, quod ſignificat perſecutio Cain contra Abel, Iſmael contra Iſaac, Eſau contra Iacob, Saul contra Dauid, & Iudæorum contra Chriſtum, ecce ergo perſecutionis flagitium. Sed ſequitur fidele adiutorium ibi.

*Quibus annis regnabit Antichriſtus.* *Mali bonos perſequuntur.*

ET DABO DVOBVS TESTIBVS,] vbi Helias, & Enoch commendantur à veritate cognitionis, quia *prophetabunt diebus mille ducentis*, à poteſtate & prodigiis ibi.

VERS. 3. *A pluribus commendantur Henoch & Helias.*

ET HABEBVNT POTESTATEM CLAVDENDI CÆLVM,] à veritate teſtimonij, *& cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet cum eis bellum*, à fœlicitate in præmiis ibi. *Et poſt tres dies & dimidiũ Spiritus vitæ à Deo intrabit in eos*, dicit ergo *dabo duobus teſtibus meis*, coronam immarceſſibilem, non autem expreſſit quid dabit, ad ſignificandum quod illud eſt inenarrabile, quæ enim lingua dicere, aut quis intellectus capere ſufficit ſupernæ ciuitatis quãta ſint gaudia? vt ſupradictum eſt &c. ſecundum Greg. in homil. quadam, dicuntur duo teſtes, quia de duobus teſtibus accipient quid prædicabunt, vel quia de Chriſto duo prædicabunt, ſcilicet quod pertinet ad eius humanitatem & diuinitatem, vel quia Chriſtum prædicando, magnificabunt, & Antichriſtum damnandum monſtrabunt, vel quia prædicabunt præmia bonorum & ſupplicia reproborum, vel quia in ore duorum ſtat omne verbum ad minus. Deut. 17.

VERS. 6. *Præmium iuſtorum inenarrabile.* *Cur duo teſtes dicuntur Henoch & Helias.*

ET PROPHETABVNT DIEBVS MILLE DVCENTIS QVADRAGINTA,] hoc quo ad temporis opportunitatem, *amicti ſaccis* quantum ad vitæ auſteritatem, prophetabunt ergo diebus mille ducentis quadraginta, hoc eſt tribus annis cũ dimidio. Vbi nota quod hi dies nõ perficiunt tres annos & dimidiũ, quia deficiunt viginti vnus dies. Et nec ex hoc eſt contrarietas, quia Helias & Enoch, prædicabunt ſolũmodo tanto tempore quanto Chriſtus prædicauit, Chriſtus autẽ poſt quod fuit baptiſatus, ſuperuixit tribus annis & quantũ eſt ab Epiphania vſq; ad Paſcha, quod pro anno dimidio cõputatur, vnde ſicut Chriſtus non perfecit præciſe tres annos cum dimidio in ſua prædicatione, ſic nec iſti, & hæc eſt ſolutio quæ habetur in gloſſa interlineari, alia ſolutio poteſt dari, ſcilicet quod ſcriptura non facit vim. Et ideo habet mille ducentos quadraginta, quæ non perficiunt tres annos & dimidium, quia duodecim diqede ficiunt ſedvt iam dictum eſt nno facit vim ſcriptura.

*Deut. 17.* *Prædicabit Helias in fine mundi.*

HI SVNT DVÆ OLIVÆ, propter ſanctitatem in mente, *& duo candelabra lucentia*, propter veritatem in ore, in conſpectu Dei terræ ſtantes propter firmitatem in opere. Oliua eſt arbor plena pinguedine ad vſum triplicem neceſſaria, ſcilicet ad lumen confouendum, ad vnguentum conficiendum, ad cibum cõdiendum. Nota quod in candelabro quinque reperiuntur, Et in iuſtis eſt vitæ perfectibilitas conuerſationis honeſtas, materiæ pretioſitas, formæ ſpecioſitas lucernæ claritas, & doctrinæ veritas.

*In candelabro quinque in iuſtis ſimiliter.*

SI QVIS VOLVERIT EIS NOCERE,] à propoſito reuocando, *ignis* ſcilicet virtus ſpiritualis, *exibit de ore eorum.* quia de fornace accenſa, *& deuorabit inimicos eorum*, hoc ſignatum fuit 4. Reg. 1. in duobus quinquagenariis igne cæleſti conſumptis.

*Reg. 1.*

ET SI QVIS VOLVERIT EOS LÆDERE,] interficere

*S. Bernard. de Senis in Apocal.*

*Scriptura cælum.*

cere morte corporali, ſic oportet eum lædi, id eſt A æternaliter condemnari, *hi habent poteſtatem claudendi cælum*, id eſt ſcripturas, quibus celantur arcana, in hoc cælo lucet ſol ſapientiæ, luna ſcientiæ, ſtellæ virtutum & gratiæ.

*3. Reg. 17.*

NE PLVAT DIEBVS PROPHETIÆ EORVM,] toto tempore prædicationis Euangelicæ hoc figuratum eſt ad litteram. 3. Reg. 17. Vbi ad preces Heliæ clauſum eſt cælum, ne daret pluuiam annis tribus & menſibus ſex. Et forte ad litteram ita fiet finaliter,

*Doctrina falſa inſipida.*

ET POTESTATEM HABENT SVPER AQVAS,] id eſt falſorum prædicatorum doctrinas, quæ ſunt inſipidæ, *conuertendi eas in ſanguinem* ad oſtendendum falſitatem & peruerſitatem latentem, *& percutere terram*, i. terrenos *omni plaga* doloris, aliquos plaga timoris, *vel plaga*, id eſt omni genere damnationis, B *Quotieſcumque voluerint*, habent plenitudinem poteſtatis.

*Plagæ ſpirituales vitia.*

Plagæ ſpirituales deſignatæ ſunt gladiis, quibus Ægyptus fuit percuſſa, detractio deſignatur in veſicis tumentibus, ita in morte primogenitorum, luxuria in grandine, impatientia in locuſtis eos mordentibus, falſiloquia in tenebris denſis, infelicitas in morte eorum, & deſperatio ſicut Cain & Eſau, hi dicuntur terram percutere his plagis, quia vitia reprehendunt in hominibus terrenis.

*Ad quid ſunt reſeruati Helias & Enoch.*

Sed ad quid ſunt reſeruati hi duo teſtes, ſcilicet Helias & Enoch cum Antichriſto pugnaturi, cum Deus poſſit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ? Reſpondeo, quod hi duo ſunt reſeruati ſine morte in teſtimonium nouiſſimi temporis, quia ex ore ipſorum duorum teſtimonium egredietur: Sunt autem remoti C ab hominum conuerſatione, ſecundum quod habetur in libro de mirabilibus ſacræ Scripturę, ad deſignandum, quod ſi homines non peccaſſent commutarentur & transferrentur in vitam ſpiritualem. Enoch igitur tranſlatus ante legem ſicut legitur. Gen. 6. Helias vero ſub lege, ſicut habetur. 4 Reg. 2. Tranſlatio autem Enoch, ibidem ſic deſcribitur. *Et facti ſunt dies omnes Enoch. ccc. lxiij. anni ambulauitque cum Deo & non apparuit, quia tranſtulit eum Deus.* Tranſlatio Heliæ ſic deſcribitur. 4. Reg. 2. *Cumque pergeret*, &c. *Ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque*, & aſcendit Helias per turbinem in cælum. Redditur autem Helias commendabilis cum perfectione obedientiæ, ab auſteritate: pœnitentia enim eius fuit panis ſubcinericius, aqua potus, & erat vir piloſus, D & zona pellicea accinctus. Commendatur etiam à rigore iuſtitiæ, dum non formidabat regale imperium, ab imaginaria viſione gloriæ futuræ, per quem deſignatur propriè beatiſſimus Pater noſter Franciſcus ex obedientia indefeſſa. Vnde omnia vendidit, parenteſque reliquit ad nutum inſpirantis Dei, propter quod ſicut corui Heliam paſcebant, ſic omnes creaturæ Franciſco obſequium exhibebant, in Franciſco etiã erat pœnitentia exceſſiua, vnde panem vix ad ſufficientiam comedebat, contentus vna tunica, & accinctus cordula, in Franciſco etiam iuſtitia inconcuſſa, propter quam audacter prædicabat coram Soldano mortem corporalem nihil penitus reputans vt Chriſtum lucrifaceret & animas redemptas pretioſo ſanguine ad pœnitentiam reuocaret: aſſimilatur E Heliæ imaginaria viſione futuræ gloriæ, & ſpecialiter quando vidit Seraph. ad eius contuitum liquefacta eſt anima eius, & per incendium compaſſionis in eum totaliter transformata. Sic & Helias aſcendit, in curru igneo ſic fuit Franciſcus. &c.

*Gen. 6.*
*4 Reg. 2.*
*Franciſci pœnitentia & alia prærogatiua.*
*Franciſci cum Helia comparatio.*

VERS. 7.

*Antichriſtus ex tribu Dan.*
*Gen. 30.*
*Gen. 49.*
*Antichriſtus hypocrita.*
*Dan. 7.*

CVM FINIERINT TESTIMONIVM SVVM,] iniunctum ſibi officiũ perficiendo, *beſtia* ſanctos deuorando, *quæ aſcendit de abyſſo* de infima tribu etiam vili, ſcilicet naſcendo de Dan qui natus fuit de concubina ſcilicet, Bala ancilla Rachel. Gen. 30. hoc colligitur Gen. 49. *Fiat Dan coluber.* &c. gloſſa, id eſt Antichriſtus veniens, conſumens eos, quos ad altitudinẽ vitæ prouocat, vel *cum aſcendit de abyſſo*, id eſt de obſcura malitia cordis in opus exibit, vnde in principio bonus videbitur, propter quod tyranni & hypocritæ ponent eum in regimen. Dan. vnde. *Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta*, per quam deſignatur regimen Romanorum, *terribilis atque mirabilis & fortis dentes ferreos habebat*, id eſt principes ſeueros, *magnos* virtute, *comedens atque comminuens*, id eſt omnes reges deſtruens, & *reliqua pedibus ſuis conculcans*, id eſt omnia ſubiugans. *Et habebat decem cornua*, id eſt decem reges, quos ſibi ſubiugauit, *& conſiderabam cornua & ecce aliud cornu ortum eſt de medio eorum*, id eſt Antichriſti qui naſcetur tempore regni Romanorum. & tunc fiet diſſenſio temporalis imperij: ſecundo ne quis ſeducat vos nullomodo, quoniam niſi venerit diſſenſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ipſe ſit Deus.

*Quomodo Enoch & Helias victi ab Antichriſto.*

Beſtia ergo quæ aſcendebat de abyſſo, FACIEBAT ADVERSVS EOS BELLVM,] ſ. diſputando, cõminando, blandiendo, promittendo, mirabilia faciendo, *& vincet iſtos, & occidet iſtos*, corporaliter, vnde loquitur ſecundum ſententiam vulgarem humanam, qua iudicantur victi qui corporaliter occiduntur.

VERS. 8.

*Cur Enoch & Helias inſepulti manebunt.*

ET CORPORA EORVM IACEBVNT IN PLATEIS CIVITATIS MAGNÆ,] ſcilicet Hieruſalem quæ dicitur magna multitudine miraculorũ, vel potius à multitudine, *quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma*, id eſt vnica, *& Ægyptus*, quia vnica erit in veræ fidei cõfeſſione, ſed tenebroſa ignorãtia & praua actione, in plateis ergo iacebunt corpora eorum, vel quia nullus audebit ſepelire propter timorẽ Antichriſti, aut propter odium, aut vt homines eos videntes eos timeant imitari, aut eis conformari, *vbi Dominus eorum*, ſcilicet Chriſtus qui eſt Rex regum & Dominus dominantium cuius dominium quatuor probant, ſcilicet, prouidentia gubernantis, omnipotentia imperantis, iuſtitia iudicantis, ſufficientia remunerantis. Iſa 33. *Dominus legifer noſter ipſe ſaluabit nos.* vbi *Dominus eorum*, ſcilicet Heliæ & Enoch iure creationis & iure redemptionis cũ pro peccatis, *crucifixus*, id eſt cruci affixus, pro humani generis redemptione, pro captiuorum liberatione, pro regni reſtitutione Ipſe enim lignum tunc notauit, damnum ligni vt ſolueret.

*Dominium Chriſti.*
*Iſa 33.*

*Crucis vtilitas.*
*Cruce Domini plurima commutata.*

Crux autem iſtius Domini maxime pro hoſtis ſupplantatione vtilitatis & fructuoſitatis, quia quantocunque in loco Caluariæ poneretur & plantaretur, fructum miſericordiæ afferebat. Ignobilitatis quia erat ſupplicium latronum, calamitatis & pœnalitatis, quia ea homines ſummè affligebantur, ſed poſt iſtius Domini crucifixionem, vilitas tranſiuit in pretioſitatem, infructuoſitas in fertilitatem, ignobilitas in ſublimitatem, mors in æternitatem, fœtor in odoris ſuauitatem.

*Crucis encomia.*

Eſt ergo crux ſpes chriſtianorum & reſurrectio mortuorum, cæcorum dux, deſperatorum vita, claudorum baculus, conſolatio pauperum, adoleſcentium pædagogus, ſuſtentatio inopum, nauigantium guber- E nator, periclitantium portus, obſeſſorum murus, inſenſatorum ſapientia, libertas ſeruorum, imperitorum philoſophia, lex impiorum, Prophetarum præconizatio, annunciatio Apoſtolorum, Martyrum glorificatio, Monachorum abſtinentia, Virginum caſtitas, gaudium ſacerdotum, & Eccleſiæ fundamentum. In cruce autem ſunt quatuor genera lignorum: quoniam truncus, cui crux infixa erat, fuit cypreſſinus. Stipes cedrinus, lignum tranſuerſale de palma, tabula tituli de oliua. Cum quatuor eſſent cornua crucis ſecundum quatuor virtutes, charitas erat in ſupereminentia, à dextris obedientia, à ſiniſtris patientia, humilitas in profundo.

*Crux ex quibus lignis compoſita.*

VERS. 9. ET VIDEBVNT DE TRIBVBVS, ET POPVLIS, LINGVIS ET GENTIBVS, quidam [oculis, QVOD PER TRES DIES ET DIMIDIVM CORPORA EORVM NON SINENTVR PONI IN MONVMENTIS,] vt eorum memoria habeatur, vt magis crudelis beſtia timeatur.

VERS. 9. *Cur permiſit Dominus corpora ſanctorum inſepulta manere.*

Sed quæritur quare permittet Dominus ſeruos tam inhumanè & tam crudeliter cruciari? Reſpondeo & dico quod ad coronam ipſorum augmentandam, hoc etiam permittit vt euidenter fieret eorum reſurrectio. Sed adhuc quæritur quomodo potuerunt iacere ſine corruptione ſic in iſta terra multum calida? Reſpondeo corpora eorum non fœtebunt, quia ſolidata ſunt per frequentem vſum ligni vitæ, vel fiet virtute diuina, vt remaneant incorrupta, intacta, & inuiolata.

*Iuſtorum afflictio impiorum exultatio.*

ET INHABITANTES TERRAM GAVDEBVNT SVPER ISTOS,] de iſtorum morte exultando *& iucundabuntur*, manibus plaudendo, *& munera mittent*, quaſi diem feſtum celebrando. Vnde ipſorum afflictio, eſt impiorum exultatio: Sophiſticabunt ſe liberos & ſecuros illis occiſis, quia vitæ eorum derogabant eos puniendo. Vnde ſequitur quoniam *& hi duo prophetæ*, futura præclare ſpeculando, *cruciauerunt eos*, id eſt prædixerunt eos cruciandos, quia hic ponitur præteritum pro futuro, & in pluribus locis; *qui habitabant ſuper terram*, terrena tranſitoria appetendo, & eis adhærendo.

Ad litteram ita eſt hodie. Si homo loquitur placentia, gratioſus vocatur, ſi viriliter corripit & extirpat vitia, cruciator nuncupatur. Præmiſſa ergo eorum morte doloroſa, ſequitur reſurrectio glorioſa.

VERS. 11. Vnde dicit, ET POST DIES TRES ET DIMIDIVM,] id eſt poſt trium annorum ſpatium, ſecundum Hieronymum *ſpiritus vitæ*, id eſt anima viuificans ſenſum & motum & corpus perficiens. Eſt enim actus corporis organici phyſici potentia vitam habentis, *à Deo*, id eſt in virtute diuina. Iterum rediens, *intrabit in eos*, id eſt, *eorum corpora*. Et ideo ſequitur, *& ſteterunt*, id eſt ſtabunt, *ſuper pedes ſuos*, tanquam immortales & impaſſibiles, *& timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos*, tanquam glorioſos & fulgidos, quos prius viderant paſſibiles & contemptibiles.

*Definitio animæ.*

Hic quæritur ad euidentiam litteræ, qualis erit reſurrectio iſtorum, vtrum ſit glorioſa ſicut reſurrectio Chriſti, aut non, & qualis fuit reſurrectio Lazari. Si primo modo, ergo ante nos conſummabitur reſurrectio, quod eſt contra Apoſtolum, ad Hebr. 11. *Hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem à Deo pro nobis melius aliquid prouidente vt ne ſine nobis conſummarentur*, vel ſecundo, tunc fiet eis iniuria, cum iterum ſint morituri, ad hoc dico ſine præiudicio cuiuſcunque, quod reſurgent glorificati ſicut in Chriſto non iterum morituri. Cum enim alantur fructibus paradiſi, grauiſſima erit mors ipſorum & quia optimæ ſunt complexionis, & maxime vigent ſenſus in eis, ſentient dolorem vehementiſſimum, propter quod non vult Deus, vt iterum moriantur, vnde ſicut hoc videtur innuere textus, & ſicut cõmuniter dicitur, reſurgent cum corporibus glorificatis. Ad illud de auctoritate Pauli dicendum eſt, quod erit præmium ſingulare eis per teſtimonium, & ideo priuilegia paucorum non ſunt ducenda in contrarium, non deberent reſurgere ante iſtos, quia parum poſt erit reſurrectio generalis.

*Reſurgent Helias & Enoch glorificati.*

Sed quæritur ſic corpora tunc glorificata, quomodo poterunt videri ab hominibus? Reſpondeo & dico quod corpora glorificata ſunt viſibilia nam à virtute glorificationis habent, quando non vtuntur ſua dote glorificationis in ſubtilitate, vt ſint viſibilia.

VERS. 12. *Quænam ſunt in beatitudine.*

ET AVDIERVNT VOCEM MAGNAM ILLIS, DICENTEM IN VALITVDINE: ASCENDITE HVC,] regnaturi in æterna beatitudine, vbi intellectus ſine errore, memoria ſine obliuione, cognitio ſine peruagatione, ſenſus ſine offenſione, charitas ſine ſimulatione, gaudium ſine dolore, requies ſine labore, ſocietas ſine deceptione, *& aſcenderunt in cælũ in nube veſte immortalitatis induti*, ſcilicet Dei viſione &c.

*De gloria paradiſi.*

VERS. 13. ET IN ILLA HORA,] tam excelſæ glorificationis *factus eſt terræmotus magnus, vniuerſalis*, &c. Vel quia alij moti ſunt ad pœnitentiam, alij ad duritiam. *Et decima pars ciuitatis cecidit*, quantum ad ædificatorum ruinam, vel pars dimenſionis mali, qui decalogum ſunt tranſgreſſi, & non ſunt de aliquo ordinum Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſecundum enim Dionyſium. Eccleſia militans facta eſt ad ſimilitudinem Eccleſiæ triumphantis. Vnde in Eccleſia triumphante ſunt nouem ordines Angelorum, ita in Eccleſia militante ſunt nouem ordines hominum, & ſicut de quolibet ordine Angelorum aliqui ceciderunt, & tot quot poſſent facere decimum ordinem. Ita de nouem ordinibus hominum tot ſaluabuntur, quot poſſent integrare numerum Angelorum, ideo numerus electorum ſignificatur per decimam ouem, quam paſtor venit quærere, & per decimam dragmam quam mulier inuenit. Luc. 3. Mali ergo qui non ſunt de aliquo ordine, ſunt decima pars ciuitatis, quæ cadet in præcipitium infernale, *& occiſi ſunt*, id eſt ad damnationem derelicta, *nomina hominum ſeptem millia*, id eſt vniuerſi damnandi in malitia à vitiis irretiti. *Et reliqui in timorem ſunt miſſi*, conſiderato euentu & ſupplicio aliorum. *Et dederunt gloriam Deo*, gratias ei referendo pro exaltatione humilium & diſperſione ſuperborum.

*Sedes Angelorum reſtituetur per electos.*

SECVNDVM ABIIT,] id eſt tribulatio futura tempore Antichriſti eſt deſcripta velociter. *Et ecce væ tertium*, ſcilicet timor iudicij, *quod veniet cito*, quia infallibiliter & incertitudinaliter.

VERS. 15. ET SEPTIMVS ANGELVS TVBA CECINIT ET FACTÆ SVNT, &c.] Hæc eſt pars vltima huius vltimæ viſionis. Vbi deſcripto ſtatu laborantium & flagellantium, deſcribitur ſtatus quieſcentium & merces recipientium pro labore, primo ergo oſtenditur ciuium ſupernorum imperialis dominatio, ibi, *Domini noſtri ſeniores* pro beneficiorum collatione gratiarum actio, ibi & 24. *qui in conſpectu Dei ceciderunt in facies ſuas*. Meritorum diſcuſsio & finalis retributio, ibi, *& iratæ ſunt gentes & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari*, dicitur ergo, *& ſeptimus Angelus tuba cecinit*, id eſt alius ordo prædicantium poſt Antichriſti excidium: pœnitentiam annunciando & finem ſæculi promulgando, & æquitatem iudicis declarando.

*Poſt laborem requies.*

ET FACTÆ SVNT VOCES IN CÆLO MAGNÆ DICENTES,] Deum collaudando, & venerando ſuper pace Eccleſiæ reſtituta, & ſuper dãnatione impiorum iuſtè reddita. Vox ergo hic accipitur non corporea, quæ cum ſtrepitu aeris pronunciatur, ſed cordis iubilo aſſurgit, voces inquam dicentes.

*Diabolus in mundo regnans.*

FACTVM EST REGNVM HVIVS MVNDI,] in quo longo tempore hoſtis antiquus regnauit per malitiam, *factum* inquam quantum ad euidentiam, *Dei noſtri*, id eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti propter maieſtatis æqualitatem, identitatem, paritatem, *& Chriſti eius*, propter vnionis inſeparabilitatem. Vnde pro declaratione litteræ, eſt notãdum quod mundus dicitur vniuerſitas creatorum. Ioan. 1. *Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit*, collatio electorum Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum.* Congregatio reproborum. 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Primus mundus nunquam eſt diaboli, ſed ſimpliciter Dei, ſecundus ſimiliter per dominationem nunquam eſt diaboli, ſed ſimpliciter Dei, licet diuina diſpenſatione huius regnum, tunc perfecte fiet Dei quando penitus exterminabitur poteſtas diaboli, tertio eſt diaboli quoad vexationem & ſeductionem, ſi tamen Dei eſt quoad punitionis ordinationem

*Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Ioan. 2.* *Quis mundus Dei, quis diaboli.* *Diabolus ... princeps huius mundi, vſurpata Dominatione.*

nem ſuam. Bonitas enim Dei facit, vt malum quod ab ipſo non eſt ortum, nunquam poſſit eſſe inordinatum. Vnde diabolus dicitur eſſe princeps mundi huius per vſurpatam dominationem, per inordinatam deiectionem, per conſummatam damnationem, quia fit mentio de regno, ideo notandum eſt, quod eſt regnum animæ, regnum ſcripturæ, regnum gloriæ, in regno animæ debet præeſſe ratio, & ſenſualitas, quod deſolatur rebellione, Matth. 12. *Omne regnum in ſe diuiſum*, &c. Exod. 10. *Eritis mihi in regnum, & ego ero vobis in Deum.* Confirmatur diſcretione, 3. Reg. 4. *Regnum firmatum eſt in manu Salomonis.* Regnum vero Eccleſiæ vſurpatur violenter, Matth. 17. *Mittet Dominus Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Similiter eſt regnum quod occupatur indifferenter, Matthæi decimotertio. *Simile eſt regnum Cœlorum ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti.* Regnum vero ſcripturæ tollitur abiectione, Matth. duodecimo. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Clauditur curioſis. Matth. 12. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi & Hypocritæ qui clauditis regnum cælorum*, ante homines ſtudioſos, ad Coloſſ. 11. *Hi ſunt ordinatores de regno Dei*, de regno non gloriæ, quid eſt, quale eſt, & quorum eſt, quid autem illud regnum? ſic diffinit Apoſtolus, ad Coloſſ. 11. *Vere inquit regnum Dei non eſca, & potus, ſed pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Vnde regnum Dei, nihil aliud eſt quam militia Dei foris vniuerſaliter rectificans iudicia rationis, tranquillans imperia facultatis, iucundans, ad quæ impoſſibile eſt attingere dum ſumus in hac corporali carne, quod dictum eſt de iudiciis indirectis Medicorum, Iuriſtarum, Aſtrologorum, per quos ferè regitur totus mundus, nam Medicorum, vt ſæpius ſunt obliqua, quia habent medium incertum & actus incidentes, inſuper ſunt varia, & in modico temporis complexionem mutantia, Legiſtarum iudicia quæ falluntur, vt in pluribus, quia habent medium inter vnum, & veriſimile. Aſtrologorum vero iudicia ſæpe ſunt fallibilia, quia habent medium inter neceſſarium & poſſibile: cauſæ enim inferiores ſunt poſſibiles, ideo variabiles. Theologorum etiam iudicia aliquando ſunt minus recta, quia habent medium æternum & temporale, quia circunſtantiæ ſæpe mutant peccata in aliud genus, ideo frequenter confeſſores claudicant in iudicio animarum. Secunda etiam patet, imperia noſtræ facultatis nondum ſunt vniuerſaliter tranquilla: habemus enim continue pugnam quadrupliciter qua infeſtamur, ſcilicet temporis, corporis, ſenſualitatis, & voluntatis, patet etiam quod noſtra deſideria non ſunt adimpleta, quæ ſunt quatuor, ſcilicet præcipiendi, ſciendi, oblectandi, abundandi: illud ergo eſt regnum Dei in quo omnia mandata ſunt directa, imperia tranquillata, deſideria adimpleta.

*Regnum triplex. Matth. 12. Exod. 10. 3. Reg. 4. Matth. 17. Matth. 13. Matth. 12. Matth. 12. Coloſſ. 11. Quid regnū Dei. Medicorum iudicia ſæpius obliqua. Legiſtarum iudicia fallibilia. Aſtrologorum iudicia fallibilia. Theologorū iudicia ſunt minus recta. Quadruplex pugna. Noſtra deſideria non adimplētur.*

Sed ſi quæris quale eſt, dico quod illud regnum habet tranquillitatem durationis, quia eſt regnum omnium ſæculorum, Danielis ſeptimo. *Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni quæ eſt. Qualiter omne cælum, debetur populo ſanctorum altiſſimi, eius regnum ſempiternum eſt, & omnes ſeruient ei.* Item poſſeſſionis, vnde Daniel. ſecundo. *In diebus autem regni iterum ſuſcitabit Deus cæli regnum quod in æternum non diſſipabitur.* Et regnum *eius populo alteri non tradetur*, refectionis habet ſuauitatem. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater Regnum*, &c.

*Dan. 7. Dan. 2.*

Sed tertio quæris quorum eſt illud regnum? Non eſt niſi hominum habentium gratiam baptiſmalem, Ioannis tertio, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*, ad quod neceſſarium eſt, cognitio primæ veritatis, amor ſuæ bonitatis, exercitium dulcoris & pietatis. Secundo prædictum regnum eſt hominum habentium gratiam pœnitentialem. Matth. tertio, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*, ad hoc enim requiritur, abdicatio cupiditatis, tetractio carnalitatis, ſuppeditatio elatæ ſublimitatis. Tertio regnum Dei eſt hominum habentium gratiam ſpiritualem Sapientiæ decimo. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*, ad hoc requirunt deſideria ſpiritualia, ſpecularia ſuauia. Vltimo regnum eſt habentium gratiam finalem, Daniel. octauo, *Suſcipient regnum ſancti Dei, & obtinebunt regnum vſque in ſæculum*, ad hoc requiritur ſtabilis patientia, ſublimis confidentia, longanimis perſeuerantia.

*Ioan. 3. Matth. 3. Sap. 10. Dan. 8.*

Primo regnum huius ſanctum eſt, Scilicet Dei noſtri, & Chriſti eius, quantum ad rebellionis, ſubiugationem, *& regnabit in ſecula ſæculorum*, quantum ad duratione, regnat ergo Chriſtus in regno ſcripturæ, ſicut Doctor, Lucæ primo, *Dabit Dominus ſedem Dauid Patris*, vt rector in regno animæ, in regno Eccleſiæ vt paſtor, in regno gloriæ, vt Imperator. *Et regni eius non erit finis.*

*Chriſtus regnat in regno ſcripturæ, & in aliis regnis, & quomodo.*

VERS. 16.

Sequitur gratiarum actio pro beneficiorum collatione, VIGINTIQVATVOR SENIORES.] id eſt Patriarchæ & Apoſtoli per quos deſignantur Patres vtriuſque Teſtamenti, *qui in conſpectu ſedent Dei*, diuinæ lucis radium iugiter contemplando, *in ſedibus ſuis*, in circuitu iudicis pro quantitate meriti reſiſtendo. Vnde Iſaiæ tertio. *Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi, & ceciderunt in facies ſuas*, ſe humiliando, vel meritum non ſibi, ſed totum Deo attribuendo, & *adorauerunt Deum* ipſum magnificando. Vnde nota quod adorare eſt, ex toto corde, & ex tota anima Deum recognoſcere vt creatorem, vt ductorem, vt redemptorem, vt remuneratorem, *dicentes* corde, ore, opere quæ eſt dictio Chriſtiana.

*Iſa. 3. Adorare quid.*

VERS. 17.

GRATIAS AGIMVS TIBI.] per innumerabilium beneficiorum collationem, ſecundum Hieronimum, epiſtola decima, vel nihil proferri breuius, vel auditi ſuauius, nihil intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt in hac vita, quam gratias agere tibi: ad gratias ergo agendas Deo pro ſuis donis, & beneficiis, omnes merito obligamur, reſpice ergo vniuerſa, & cōſidera aliquid in eo quod tibi ſeruiat omnis natura, ad hunc finem curſum ſuum cœlum dirigit, vt obſequiis eius famuletur, & vtilitati deſeruiat, eiuſque oblectamentis patiet, & neceſſitatibus ſecundum affluentiam indeficientem, hæc terra, hic aër, cum his quæ in eis ſunt vniuerſa explere non ceſſant, hic circuitus temporum anni innouatio, antiqua innouans, dilapſa reformans, conſumpta reſtaurans, paſtu perpetuo ſubminiſtrat, quis ergo putas hoc inſtituit? quis illud naturæ præcepit, vt ſic vno aſcenſu tibi ſeruiant cum beneficium acceperis, actorem eius non agnoſcis: donum manifeſtum eſt, largitor occultus: & cum ipſa ratio dubitare non finit, hoc tuum non eſt debitum, ſed beneficium alienum, ergo ei gratiæ agendæ, & diligendus qui tantum dare potuit, & tantum dare voluit, multum dilexit,

*Gratiarum actionis vtilitas. Omnia homini famulantur. Beneficium creationis dignum maxima gratiarum actione.*

Conſidera ergo beneficia redemptionis, vt vitio non deficias, quia verbum caro factum eſt, vt nos ſpirituales faceret: benigne inclinatus eſt, vt proſtratos erigeret: viſibilis apparuit, vt inuiſibilia oſtenderet: flagella pertulit, vt opprobria ſanaret: & irriſiones ſuſtinuit, vt ab æterno ſupplicio liberaret, mortuus eſt, vt viuificaret: ſurrexit victor inclytus, vt nos glorificaret.

GRATIAS AGIMVS TIBI DOMINE] cuius maieſtas imperſcrutabilis, cuius diuinitas inuiſibilis, cuius poteſtas inſuperabilis, *qui es* immutabiliter, *qui eras* æternaliter, *qui venturus es* certitudinaliter, merito ergo gratias tibi agimus, quia dignus es

*Deo maxima gratiarum actio eſt referenda.*

maxime

maxime in glorificatione iuſtorum, & extirpatione reproborum, *quia accepiſti virtutem tuam magnam*, ſcilicet Eccleſiam congregandi, à morte reſurgendi, diſcipulos virtute ex alto induendi, malos puniendi, bonos præmiandi.

ET REGNASTI] principem mundi foras eiiciendo, electos dirigendo, & ad regnum glorioſum perducendo, regnat ergo Chriſtus, vt vigor præliantiũ, vt terror aduerſantium, vt laus triumphantium, vt lux contemplantium. De primo in Pſal. *Regnauit, decorem indutus eſt.* De ſecundo Pſal. *Dominus regnauit iraſcuntur populi.* De tertio Pſal. *Dominus regnauit, exultet terra & lætentur.* De quarto Iſa. 24. *Erubeſcat luna, & confundatur ſol, cum Dominus exercituum regnauerit.*

*Pſal.92.*
*Pſal.98.*
*Pſal.96.*
*Iſa.24.*

B

VERS.18. ET NATÆ SVNT GENTES.] id eſt mali gentiliter viuentes, videntes regnum contrarium ſurgere, & ſuum deprimi, ſicut Herodes qui audito quod Chriſtus natus eſſet, *iratus, & turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum eo.* Matthæi. 3. Cœlorum enim rege nato, rex terræ turbatus eſt, quia terrena altitudo confunditur cum celſitudo cæleſtis aperitur.

*Matth.3.*
*Impii iuſtos ferre non poſſunt.*

ET ADVENIT IRA TVA.] id eſt iuſta vindicta, quæ in hominibus eſt cum ira, vel ab ira, in Deo autem nunqnam, quia sẽper cum tranquillitate iudicat: *Et aduenit*, id eſt cito, *tempus veniet mortuorum* iudicandorum, quorum Iudex redemptor humani generis, nec timore concutitur, nec errore ſeducitur, nec feruore ſubuertitur, nec amore cogitur, cum Iudex apparuerit ſpecioſus iuſtis & terribilis iniuſtis erit, quem enim manſuetum electi aſpicient, hunc eundem pauendum atque terribilem aſpicient reprobi, *& reddere mercedem ſeruis ſuis Prophetis*, ſub quibus comprehenduntur Apoſtoli, qui prænunciauerunt reprobis ſupplicia, & ſanctis præmia, & aliis electis.

*Iudex quatuor in iudicio ſeruabit, & qua.*

C

ET TIMENTIBVS NOMEN TVVM.] timore reuerentiæ, qui permanet in ſæculum ſæculi *puſillis*, quantum ad implentes decalogi præcepta, *& magnis*, quantum ad addentes ſupererogationis opera, *exterminandi eos qui corrumpunt terram*, per peccata & vitia, quorum damnatio inchoatur in conflictu tentationis, perpetratur in conſenſu tranſgreſſionis, obduratur in contemptu tranſuerſionis, conſummatur in exceſſu punitionis. De primo ſupra nono. De ſecundo Sapient. 31. *Multos exterminauit vinum.* De tertio, in Pſal. *Quoniam qui malignantur exterminabuntur.* De quarto, Sapient. 1. *Non eſt eis medicamentum exterminij.* Patet ergo quod in iſto capite ponitur conflictus Antichriſti, & duorum teſtium qui deſcribuntur, vt animoſi in pugna, vt victorioſi in palma, vt glorioſi corona, deſcribitur, & vlterius ſtatus Eccleſiæ, vt poſt infeſtationẽ, introducitur rex ſummus adducens retributionem per vniuſcuiuſque æquam liberationem, & in hoc terminatur viſio.

D

*Sap.31.*
*Pſal.9.*
*Sap.1.*

VERS.19. APERTVM EST TEMPLVM DEI IN COELO. &c.] Terminatis tribus viſionibus hîc Ioannes quartam proſequitur, in qua conflictio draconis, & Eccleſiæ continetur, Vnde iſta viſio durat vſque ad 15. caput. Prima ergo viſio eſt correctoria, per quam deſignatur dolor de peccatis, ſecunda conſolatoria, per quam habetur gaudium de beneficiis, tertia comminatoria de clangore tubarum, per quam timor de flagellis, quarta executoria, de expeditione pugnarum, per quam affectio ſpei de præmiis: Præſens ergo caput diuiditur in decem partes, in prima reuelatur Ioanni admirabile Sacramentum, in ſecunda Eccleſiæ venerabile ornamentum, ibi, *ſignum magnum apparuit*, &c. Tertia hoſtis antiquus, *Quod eſt aliud ſignum in cœlo. Ecce draco magnus habens capita ſeptem, & cornua decem.* Quarta ipſius calliditas, ibi: *Et draco ſtetit ante mulierem.* Quinta conflictus Angelorum, ibi, *Cum dracone factum eſt prælium magnum*, &c. Sexta victoria bonorum triumphantium, ibi, *Non præualue-*

E

A *runt, nec locus*, &c. Septima iubilus Deum collaudantium. *Et audiui vocem magnam dicentem nunc facta eſt*, &c. Octaua draconis iterata manifeſtatio, ibi, *Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſt in terram perſecutus eſt mulierem.* Nona Eccleſiæ duplicata fortitudo, ibi, *Et datæ ſunt mulieri duæ alæ*, &c. Decima hoſtis finalis exterminatio, ibi, *Iratus in mulierem.*

Tangitur ergo reſeratio myſteriorum, quia TEMPLVM DEI APERTVM EST.] exhibitio reſeratorum, quia *viſa eſt arca Teſtamenti*, approbatio exhibitorum ibi, *in templo*, ait ergo, *apertum eſt templum Dei in cœlo*, id eſt manifeſtum eſt myſterium Chriſti latens prius in ſcripturæ ſacrario, nomine enim cœli intelligitur ſcriptura, cuius luminare maius nouum teſtamentum, luminare minus vetus, ſtellæ expoſitiones variæ ſcripturæ, in hoc ergo cœlo clauſum fuit templum, dum myſterium latuit ſub figuris, ſed apertum eſt, quando veritate detecta & oriente, receſſit vmbra, ſicut euaneſcunt tenebræ, aurora accedente. Extendens ſicut pelles, id eſt ſcripturas dilatans per expoſitionem multiplicem.

*Cœlum ſcriptura.*

*Chriſtus arca eſt.*

ET VISA EST ARCA TESTAMENTI.] id eſt Chriſtus & ſacramenta ipſius in templo hoc eſt in Eccleſia, vel aliter Chriſtus dicitur arca, quia tria habuit veraciter, quæ continebantur in arca figuraliter, tabulæ Teſtamenti, virga Aaron, vrna aurea plena manna cæleſti, & in arca humanitatis aſſumptæ continentur tabulæ vniuerſæ ſapientiæ, & ſcientiæ, virga æquitatis & iuſtitiæ, manna ſanitatis & ſpiritualis lætitiæ, illud ergo templum, de quo dicitur, *Soluite tẽplũ hoc, & in tribus diebus reædificabo illud*, tunc apertum eſt in cœlo, hoc eſt in Eccleſia, per Euangelicam denunciationem, per Magorum adorationem, per miraculorum operationem, per crucifixionem & lateris apertionem, per glorioſam Reſurrectionem, per ſuam Aſcenſionem, per Apoſtolorum prædicationem, & Diſcipulorum inſtructionem, in datione Spiritus ſancti, quæ fuit cauſa ſuper Chriſti manifeſtationem. De 1. Luc. 2. *Natus eſt Chriſtus qui eſt Dominus*, &c. De ſecundo, & tertio. *Ecce ſtella quam viderant Magi ab oriente*, &c. De quarto, Ioan. 2. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea.* De quinto, Ioan. 19. *Vnus militum lancea aperuit latus eius*, &c. De ſexto, Luc. 24. *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturam.* De ſeptimo, Actuum 1. *Videntibus illis eleuatus eſt.* De octauo, Matth. vlt. *Illi profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante*, &c. Iſtis 8. modis apertum eſt templum illud. Claues illius templi fuerunt, allocutio Angelorum, viſitatio paſtorum, arca ante viſa in templo apparuit viſibilis & palpabilis, apertum eſt ergo templum Dei in cœlo, in ſtella, humana configuratio, in regibus humilis ſubiectio.

VERS.20.

*Chriſtus per multa aperitur & declaratur.*

*Luc.2.*
*Ioan.2.*
*Ioan.19.*
*Luc.24.*
*Act.1.*
*Matth.vlt.*
*Claues templi.*

Vel poteſt accipi pro B. Virgine in quo quidem verbo tangitur claritas conuerſationis, nouitas operationis, veritas prædicationis, ſublimitas Reſurrectionis, & Aſcenſionis, virginitas puellaris & ſingularis, quia apertum eſt in cœlo, vtilitas ſalutaris, quia facit primum ortum pulcherrimum, ſecundum ortum celeberrimum, tertium fructum vberrimum.

*Maria arca.*

Quantum ad primum eſt notandum quod illud templum fuit ædificatum ſpacioſe. De primo Ezech. 41. *Latius erat Templum in ſuperioribus, & ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora per medium.* De ſecundo, 3. Reg. 3. *Præceperat Rex, vt tollerent lapides pretioſos in fundamentum Templi.* De 32. Paral. 3. *Strauit Salomon fundamentum Templi pretioſiſſimo marmore decore multo.* Cauſa autem illius templi fuit emendans nubes humiditatis iuxta illud Iſa. 41. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem*, & ros fœcundans.

*Ezech.41.*
*3.Reg.3.*
*Paral.3.*
*Iſa.41.*

Vel hoc templum aperuit, conſenſus fidei, aſcenſus Verbi, tota & integra ſemper ſalua virginitate: & ideo tangitur fructus generalis partus filij. Vnde cœli

li apetti ſunt, vt admirantes, vt diſtillantes, vt nunciantes De primo Ierem. 3. *Cœli obſtupeſcent.* De ſecundo, *Cœli deſtillauerunt à facie Dei Synai.* De tertio, Pſ. *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Hier. 3. Pſal. 18.

Hoc poteſt accommodari Aſcenſioni Chriſti Domini. Chriſtus eſt arca.

Pro Aſcenſione Domini poſſumus accipere, *Viſa eſt arca Teſtamenti eius in Templo*, in quo verbo triumphator mortis, & reparator humani generis deſcribitur, quantum ad euidentiam perſonalem, quia viſa eſt, quantum ad effluentiam virtualem, quia in templo, quantum ad exiſtentiam ſingularem, quia arca: vnde deſcribitur ars ſecretorum in arca, vt ars legentium, lux electorum, quia viſa eſt laus animorum, quia in templo. Rectè vt lux videntium, vt laus fruentium, vt ars rationi, vt lux intellectui, vt laus affectioni. Quantum ad primum, eſt notandum, quod in arca fuerunt tria, tabulæ Teſtamenti, virga Aaron, & manna quod erat in vrna aurea. Per primum ſignatur verbum omnis ſcientiæ, per ſecundum ſceptrum omnipotentiæ, per tertium bonum magnificentiæ. Vnde ad Hebr. 9. *Poſt velamentum ante ſecundum tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, &c.* Sequitur arca circuntecta ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ Teſtamenti.

Hebr. 9.

Vel per iſta tria, nobis inſinuatur legiſlator veritatis, per virgam, reparator libertatis per tabulas, præmiator fœlicitatis per manna, quantum ad ſecundum eſt notandum quod viſus eſt, in exemplum conuerſationis, in argumentum reſurrectionis, in ferculum fruitionis. De 1. Iſ. 10. *Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Et Baruch. 1. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* De ſecundo, Ioan. 20. *Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.* De tertio, Iob. 19. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, &c.*

Iſa. 10. Baruch. 1. Ioan. 20. Iob. 19.

De tertio eſt notandum, quod in templo iſto coronantur victores, ordinantur ſeruitores, iucundantur laudatores. De primo, dicit ſcriptura, ſupra, *Qui vicerit, faciam iſtum columnam in Templo Dei mei.* De ſecundo, ſupra 7. cap. *Seruiet ei die ac nocte in templo eius.* De tertio, in Pſalm. 28. *In templo eius dicent gloriam.*

Pſal. 28.

Ex quo ergo viſus eſt in templo, facta ſunt fulgura in quo notatur, euidentia miraculorum, efficacia auditorum, comminatio, ſeu tonitrua Prædicatorum, vnde Chriſto viſibiliter apparente facta ſunt fulgura, illuminantia per ſplendorem, inflammantia per ardorem, incutientia per terrorem Vnde Exod. 17. *Aduenerat dies tertius, &c. claruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, clangorque buccinæ, vehementius perſtrepebat.* en noctes prædicantium, iubilantium, poſtulantium, lachrymantium. Pſal. *Dabit voci ſuæ virtutem.* En tonitrua, *& terræmotus* propter communem exhortationem & informationem, & grando magna perſequentium.

Exod. 17.

# SYNOPSIS CAPITIS DVODECIMI.

*SVB Schemate mulieris & Draconis concertantium deſcribitur multiplex Eccleſiæ & Diaboli pugna, in fine mundi, Eccleſiæque victoria. Nam primo mulier parit maſculum, draco eum rapere, & deuorare molitur, ſed ille rapitur ad Deum, inſequitur Draco, vt eos in iudicio Dei calumnietur & accuſet, ſed à Michaele deiicitur, trahitque ſecum tertiam partem ſtellarum. Quocirca cœlites glorificant Deum: inde Draco deiectus & frendens perſequitur mulierem, illa acceptis alis fugit in deſertum, Draco inſequens ore vomit, & emittit in eam flumen, ſed terra hians illud abſorbet, quare Draco fremens reliquias ſeminis eius perſequitur.*

## CAPVT DVODECIMVM.

1. ET ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.

2. Et in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

3. Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo: & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata ſeptem.

4. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram: & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.

5. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius.

6. Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

7. Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius.

8. Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.

9. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt.

10. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas

Chriſti

Chriſti eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorũ, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.

11. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.

12. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis: Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.

13. Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.

14. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis.

15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquarum tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.

16. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo.

17. Et iratus eſt draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquiis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.

18. Et ſtetit ſupra arenam maris.

## *EXPOSITIO DVODECIMI Capitis.*

VERS. 1.

*Eccleſia deſcribitur.*

*Quid ſignum.*

SEquitur Eccleſiæ pleniformis deſcriptio, & multiformis impugnatio, Vnde dicit, SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN COELO] vbi hiſtorice deſcribitur Eccleſia quantum ad veſtigium æternitatis, *quia ſignum, &c.* quantum ad incendium charitatis, quia *amicta ſole*, quantum ad dominium terrenitatis, quia *luna ſub pedibus eius*, quantum ad imperium auctoritatis, quia *in capite eius corona*, quantum ad conceptum fœcunditatis, quia *clamabat, &c.* Dicit ergo, *ſignum magnum apparuit in cœlo*, id eſt in Eccleſia militante, quia veritas erit in triumphante. Signum enim eſt, quando per hoc quod videtur, aliud indicatur, vt Origen. ſuper Epiſtolam ad Romanos, dicit. Signum enim eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliquid faciens in cognitionem venire. Idem Auguſt. de doctrina Chriſtiana, cap 1. Hoc autem fuit ſignum *mulier amicta ſole*, id eſt Eccleſia induta charitate & dilectione. Mulier ergo dicitur, quia regeneratione fœcundata, ſed amicta ſole, quia charitate inflammat ſol ergo eſt oculus mundi. *Et luna ſub pedibus eius.* Luna ſignificat terrenitatem, quia inſtabilis. Luna ergo dicitur eſſe ſub pedibus, quando vanitas ſuperbiæ, vilitas luxuriæ, cupiditas auaritiæ, ſenſibus ſuppeditantur. Per primum luna obſcuratur. *Nã capite eius corona ſtellarum duodecim*, id eſt in medio Eccleſiæ duodecim Apoſtoli quibus quaſi duodecim ſtellis illuminata eſt, & quaſi duodecim Margaritis ornata Eccleſia dignoſcitur. Ipſi enim quaſi præcipui milites in capite exercitus Dominici ſunt poſiti, ſic ſtellæ in firmamento cœli & nocte aduerſitatis luxerunt, & totum mundum illuminando in cuſtodiis ſuis duodecim Apoſtoli dederunt lumen, id eſt in ſuis Prouinciis, Thomas in India maiori, & Iudas in Perſide, Philippus in Samaria, Matthæus in Alexandria, Ioannes in Aſia, Andreas in Thracia, duo Iacobi in Iudæa, Petrus in Cappadocia, Paulus in Græcia. Et tandem Petrus & Paulus in Italia: in his ergo regionibus prædicauerunt, & multa mirabilia fecerunt. Propter quod ſicut ſtellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis.

*Eccleſia duodecim ſtellis Apoſtolis illuſtrata.*

*Apoſtoli præcipui Duces Eccleſiæ.*

*Prouincia aſſignata Apoſtolis.*

*Quanam ſtella duodecim.*

ET IN CAPITE EIVS CORONA STELLARVM DVODECIM] id eſt in mente luminoſitas fidei 12. articulorum, quibus tanquam principiis veriſſimis, & certis innititur Eccleſia, quoniam per 12. lapides deſignantur, quos Ioſue accepit de medio Iordanis alueo, ibidem in capite corona ſtellarum 12. in mente eius ſpes & præſtolatio 12. fructuum ſpiritualium, quos enumerat Paulus ad Gal. 5. *Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium*, &c. Duodecim vero gaudia cæleſtia ſupradicta, quæ per ſtellas intelliguntur, de quibus eſt in vera Eccleſia ſpes & præſtolatio, ſunt iſta. Quorum primum & præcipuum de plena cognitione, 2. de perfecta dilectione, 3. de ſumma apprehenſione, 4. de corporis claritate, 5. de corporis agilitate, 6. de corporis ſubtilitate, 7. de corporis impaſſibilitate, 8. de pacis tranquillitate, 9. de grata & venerabili ſocietate, 10. de loci varietate, 11. de ſtatus immutabilitate, 12. de plena ſecuritate. De primo, *Nunc cognoſco ex parte*, &c. De ſecundo. Tunc enim diliget vnuſquiſque Deum, & proximum ſuum ſecundum gradum debitum, iuxta illud, Iſaiæ 31. *Dixit Dominus cuius eſt ignis in Sion, & caminus in Hieruſalem*, De tertio. Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam*: hæc tria pertinent ad tres dotes animæ. De quarto Matth. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol.* De quinto Sapient. 4. *Fulgebunt iuſti tanquam ſcintillæ in arundineto.* De ſexto notatur in hoc, quia iuſti dicuntur fulgere ſicut ſol, cuius radius penetrat vitrum & cryſtallum ſine eorum læſione. Vnde Dominus intrauit ad diſcipulos ſuos, ianuis clauſis. Ioan. 12. De ſeptimo, 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in infirmitate, & ſurget in virtute.* hæc quatuor pertinent ad ſtilum corporis. De octauo. 122. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* De nono, infra 14. c. *Ecce Agnus ſtabit ſupra montem Sion, & millia cum eo. 44.* &c. De decimo infra 21. c. *Ciuitas iſta non eget ſole neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit iſtam, & lucerna eius erit Agnus.* Erit locus ſpecioſiſſimus. Iud. 17. *Intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam*, & delicioſiſſimus. Ezech. 20. *In deliciis paradiſi ſui*, erit ſuauiſſimus, infra 12. c. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors non erit vltra, &c.* Erit locus mũdiſſimus. Tob. 13. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ nouem ſunt. De vndecimo, Iac. 2. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Pſal. 121. *Hieruſalem quæ ædificatur, vt ciuitas.* De duodecimo. Pſal. 127. *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda*, &c. Vt hæc duodecim gaudia ſumantur ſecundum diuerſas operationes Dei, à Deo viſio diuinitatis & humanitatis, à loco ſpatioſitas, ſpecioſitas à conſortio hominum & Angelorum, & à ſeipſo fælicitas animæ & corporis, à mundo formoſitas & creaturarum ſtabilitas, ab inferno, inferni euaſio, & damnatorum incluſio.

*Gal. 5.*

*Duodecim gaudia cæleſtia.*

*Iſa. 31.*

*Cant. 3.*

*Matth. 13.*

*Sap. 4.*

*Ioan. 12.*

*1. Cor. 15.*

*Iſa. 22.*

*Iudic. 19.*

*Ezech. 20.*

*Locus paradiſi quam gratus.*

*Iac. 2.*

*Pſal. 121.*

*Pſal. 147.*

VERS. 2.

*Religio eſt ſignum.*

ET CLAMABAT PARTVRIENS, ET CRVCIABATVR NE PARIAT.] ſcilicet deſiderans generare multos

tos

tos filios ſpirituales quod pertinet ad Prædicatores, ad Paſtores, & Doctores.

*Quomodo Religio dicitur mulier.* Vel aliter, SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN COELO.] exponitur de Religione, eſt ergo ſignum magnum deuincere mundum, & ſeipſum, *mulier amicta ſole*, id eſt Religione decorata & conuerſatione adornata, *luna ſub pedibus eius*, per contemptum omnium mundanorum, mulier dicitur ergo religio in fœcunditate meritorum, amicta ſpecioſitate donorum, ſole claritate exemplorum eius, *luna ſub pedibus eius*, vt ſuſtentetur neceſſitas, vt occultetur carnalitas, vt contemnatur proſperitas, Eccleſ. 16. cap. *fructus glorioſi*, habitus virtuoſi qui ſunt prudentia, quæ continet memoriam quantum ad præterita, intelligentia, quantum ad præſentia, prouidentia: quoad futura, abſtinentia reſpectu gulæ, continentia reſpectu luxuriæ, modeſtia reſpectu loquelæ Magnanimitas in aggreſſione, æquanimitas in toleratione, longanimitas in expectatione. *Eccl. 16.*

*Virgini accommodatur hoc ſignum magnum quod apparuit in cœlo.* Aliter SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN COELO.] de B. Virgine, quando virgo peperit, *amicta ſole*, in obumbratione Spiritus ſancti, *Luna ſub pedibus eius*, quia contempſit mundum perfectè, *in capite eius corona duodecim ſtellarum*, id eſt cuncta priuilegia virginum vel duodecim ſpecialia gaudia, deſcribitur ergo Virgo Maria in verbo propoſito, vt diffuſa iucunditate, quia *ſignum magnum apparuit in cœlo*, vt perfecta integritate, quia *mulier amicta ſole*, vt mira ſubtilitate, quia *luna ſub pedibus eius*, vt excelſa ſublimitate, quia in capite eius, &c.

*Quomodo in Maria fuit ſignum* Circa primum eſt notandum quod in Maria fuit ſignum condeſcenſionis Verbi, fœcundationis vteri, generationis filij, affectionis fidei, reconciliationis verbi. De primo Iſa. 28. De ſigno Iudæ. De ſecundo Iudic. 6. De ſigno Gedeonis in vellere. De tertio Iſa. 7. *Pete tibi ſignum, &c.* Et ſequitur, *Propter hoc dabit ipſe Dominus vobis ſignum ecce Virgo, &c.* De quarto Geneſ. 8. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, &c.* De quinto, Num. 20. De virga Aaron quæ poſita erat in arca in teſtimonium fidei. De ſexto Eſth. 4. De virga Aſſueri, quæ erat ſignum clementiæ. *Iſa. 28. Iud. 6. Iſa. 7. Gen. 8. Num. 20. Eſth. 4.*

Quantum ad ſecundum nota, quod Beata Virgo fuit mulier non ſexu defectibilitatis, fragilitatis, flexibilitatis, ſed fuit mulier præordinata in dominio, ſanctificata, id eſt ſancta facta, in ortu, immaculata in conceptu, glorificata in tranſitu, vnde dicitur quod mulieri datæ ſunt duæ alæ.

AMICTA SOLE.] ſcilicet in quo eſt incendium charitatis ardentis in mente, fulgentis amore, feruētis in opere, *Luna ſub pedibus eius*, quia ipſa ſupereminet toti Eccleſiæ: ſed *in capite eius corona duodecim ſtellarum*, ſcilicet quantum ad primatus adeptionem, defectus abſentationem, ſtolæ induitionem, ſanctificatio vteri, ſalutatio Angeli, obumbratio Spiritusſancti.

*Duodecim ſtellæ quæ ſunt in Virgine.* Nota quod quatuor ſtellæ primæ, ſunt quatuor priuilegia, quæ Virgo obtinuit ex parte Dei, propter quæ meruit ab Angelo ſalutari. Cum dixit ſibi, *Aue Maria gratia plena*: aliæ quatuor ſtellæ ſunt in Virgine glorioſa, ſcilicet ſollicitudo examinantis, fortitudo perſeuerantis, certitudo intelligentis, promptitudo afferentis: ideo propter iſta quatuor priuilegia dictum eſt Virgini, *Benedicta tu in mulieribus*, ſed vltimus quaternarius ſtellarum eſt, Virgo ſine exemplatione, fœcunda ſine corruptione, grauida ſine grauatione, puerpera ſine dolore: iſta quatuor habebat ex parte corporis, & ob hoc dictum eſt ei. *Benedictus fructus ventris tui.* Et ſequitur deſcriptio hoſtis antiqui ſub nomine draconis Eccleſiam impugnantis.

VERS. 3. ET VISVM EST ALIVD SIGNVM IN COELO.] non vacans à myſterio: *& ecce draco*, per calliditatem; *magnus* propter elationem, *& rufus* propter crudelitatem, *habens capita ſeptem* quantum ad vitiorum principalitatem, vel per ſeptem capita deſignantur vniuerſi Hæreſiarchæ tempore Antichriſti: *& cornua decem*, id eſt Reges decem qui inſurgent contra Eccleſiam in temporibus nouiſſimis, vel per decem cornua tranſgreſſio Decalogi, *& in capitibus ſeptem diademata*, quoad ſeptiformem tentationem per quam vincens coronabitur, ſeptem enim ſunt genera tentationum. Prima eſt importuna, quæ procaciter inſiſtit, ſecunda dubia; quæ animum ambiguitate inuoluit, tertia ſubdita, quæ iudicium rationis præuenit, quarta occulta, quæ deliberationis conſiderationem præterfugit, quinta violenta, quæ mentis vires tranſcendit, ſexta fraudulenta, quæ animum ſeducit, ſeptima prolixa, quæ variis vitiis imperitur. Vel per ſeptem cornua ſignificantur vniuerſi reprobi ab initio mundi, quorum primum cornu fuit reprobi ante diluuium. Secundum, reprobi poſt diluuium inuentores idolorum. Tertium reprobi poſtquam lex data eſt. Quartum, pſeudoprophetæ à quibus populus eſt deceptus. Quintum, impij Iudæi qui Chriſtum crucifixerunt. Sextum Eccleſiæ perſecutores. Septimum Antichriſtus, & ſui ſectatores. *Dæmonis deſcriptio. Quænam ſunt ſeptem cornua dæmonis. Septem genera tentationum. Septem cornua diaboli ſunt omnes reprobi.*

VERS. 4. ET CAVDA EIVS,] id eſt ſequens exercitus, vel finalis tentatio, vel ſimulata deceptio quæ regit malitiam, ſicut cauda turpitudinem trahebat, de fide ad infidelitatem, de ſpe ad deſperationem, de dilectione ad ſimulationem.

*Lucifer cecidit.* TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARVM,] quantum ad omnium damnandorum animaduerſionem, vel animi, vitiationem. *Et miſit eos in terram*, per terrenorum affectionē, hoc ad litteram intelligitur de Lucifero qui magnam multitudinem Angelorum ex libertate arbitrij ſibi tanquam principi conſentientium traxit de cœlo ad illum aërem caliginoſum. Sic ergo eiectus de cœlo per ſuperbiam perſequitur Eccleſiam ſpirituales filios genituram. *Et draco*, ſic armatus, *ſtetit* non feſſus nec fatigatus *ante mulierem*, & contra eccleſiam, *quæ erat paritura*, alios in fide Chriſti per generationis innocentiam, quos iam conceperat per affectum, ſed non pepererat per effectum, tales enim nititur diabolus impedire. *Lucifer alios ſecum præcipites duxit ad inferna.*

*Quanto opus eſt melius tanto illud deſtruere diabolus.* VT CVM PEPERISSET FILIVM DEVORARET,] i. extingueret, ſanctū propoſitum vel deprauaret, id eſt extingueret ſanctum opus meritorium, quāto enim opus melius, tanto magis extinguere nititur peruertendo.

Nota draco eſt maius animal inter reptilia, elephas maius inter greſſibilia, draco vero cum ſit multum callidus, ſitit ſanguinem elephantis qui eſt multum frigidus, vnde draco inuoluit ſe inter ipſius tibias, vt faciat eum cadere, quo extincto poſſit ſanguinem ſugere: draco ergo elatos flatu deiicit, immundos tactu inficit, cupidos cauda inuoluit, iracundos morſu interficit. E contra Dominus draconem in baptiſmo exterminauit, in patibulo iudicauit, in inferno alligauit, in deſerto conculcauit, de primo in Pſalm. 73. *Tu confregiſti capita draconis in aquis*, de ſecundo, Pſalm. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, de tertio Pſalm. 103. *Ecce draco iſte quem formaſti ad*, &c. de quarto infra 20 capite. *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo*. Et ſequitur, *apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui diabolus eſt ſathanas & ligauit eum per annos mille*. Item draco, pœnitentia exercitatur ſeu confunditur, abſtinentia conculcatur, patientia ludificatur, continentia alligatur. *Pſal. 73. Pſal. 90. Pſal. 103. Draco quomodo vincitur.*

VERS. 5. *Peperit eccleſia.* ET PEPERIT MVLIER,] id eſt eccleſia *filium maſculum*, id eſt Chriſtum virtuoſum, generoſum, glorioſum. Tunc autem peperit eccleſia, quando enixa eſt

puerpera. Peperit ergo mulier filium maſculum, *qui paritnrus erat omnes gentes*, in quo inuicta virtuoſitas, in quo dominatiua poteſtas. Nec ſolum gentes, ſed mundum vniuerſum per diſpoſitionem prouidentiæ, infernum per diſtinctionem iuſtitiæ, eccleſiam militantem infuſione gratiæ, triumphantem per diffuſionem vniuerſalis affluentiæ.

ET RAPTVS EST FILIVS EIVS AD DEVM, id eſt aſcendit in cælum captiuam ducens captiuitatem, id eſt *ad thronum eius*, id eſt ad patris æqualitatem, non per effectum nouum, quia ab æterno fuit patri æqualis & conſubſtantialis, ſed per manifeſtationem ad Phil. 2. *Donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, hoc poteſt accommodari ad Aſcenſionem Domini vbi tangitur Aſſumptio humanitatis. Cum dicit. *Raptus eſt filius eius*, conceſſio æqualitatis, quia ad Deum: aſcenſio auctoritatis, quia ad thronum eius. Primum probat motus virtualis, ſecundum gradus coëſſentialis, tertium probatur, quia filius iudicialis. Raptus eſt igitur ab humanitate ad diuinitatem, in carne à paſſibilitate ad immortalitatem. Nota quod legimus raptum ab infirmitate ad ſubtilitatem in aſcenſione, corporaliter ſubiectum, mentaliter ſuſpenſum, totaliter tranſlatum. De primo Act. 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* De ſecundo 1. Cor. 15. *Raptus eſt vſque ad tertium cælum.* De tertio 1. ad Theſſal. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus*, &c. Et ſequitur mulieris prouidentia.

*Phil. 2.*
*Act. 8.*
*1. Cor. 13.*
*1. Theſſ. 4.*

VERS. 6. ET MVLIER FVGIT IN SOLITVDINEM.] id eſt ad mentis ſecretarium, quia abiiciens terrenorum deſideriorum tumultus, & mundi curas, & blandimenta noxia, locum quietis elegit.

VBI HABET LOCVM PARATVM A DEO,] per condeſcenſionem diuinam, habet & libertatem vt ibi paſcat eam per guſtationem cælicam, *diebus mille ducentis ſexaginta*, per continuam cuſtodiam.

Vel aliter, MVLIER FVGIT IN SOLITVDINEM,] id eſt in cælum per contemplationem, quod dicitur ſolitudo, & terra deſerta propter certam tumultus carentiam, & quia derelictum fuit à lucifero & ſociis eius. *Vbi habet locum paratum à Deo*, vt tandem rapiatur per apertam viſionem. Ioan. 24. *Vado vobis parare locum*, vt ibi paſcat eam Angelorum eſca inæſtimabili diebus mille ducentis ſexaginta, id eſt duratione interminabili.

*Cælum quomodo ſolitudo.*
*Ioan. 24.*

D

Hoc poteſt accommodari viris religioſis, vbi quatuor annotantur. Primum eſt obedientiæ humilitatis fœcunditas, quia mulier, hic mulier dicitur à ſubiectione & manſueta pietate, fœcunda liberalitate, operandi ſedulitate. Sed deſcribitur hic Philoſophia, typo mulieris, quia mollit ferocitatem animorum, vel quia lacte nutrit infantes, vel quia aſſiduè aſſiſtit ægris, de muliere gratioſa quæ inuenit gloriam. Prouerb. 12. ſecundum eſt mundanorum perfecta contemptibilitas eleuans mentem ad cæleſtia, vel eſt eleuata ſublimitas, quia fugit in ſolitudinem. Iob. 3. *Qui ædificauit ſibi ſolitudines.* Ædificari eſt de mente terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & vnanimi intentione ad amorem quietis mentis intimæ euolare. Tertio notatur animæ ſic fugientis quieta tranquillitas, *quia habet locum paratum, à Deo*, fuga enim eſt propaſſio vnius ad alterum. Quarto vocatur ſpiritus alimoniæ ſuauitas, vt paſcat iſtam diebus mille ducentis ſexaginta, ſcilicet paſtu Euangelicæ prædicationis, æternæ conſolationis & ſpe futuræ glorificationis. Poteſt accommodari beatæ Magdalenæ, vbi primo tangit Chriſti optatiuum titulum, quia fugit in ſolitudinem. Præparatum præſidium, quia habet locum paratum à Deo, procuratum conuiuium vt ibi paſcat eam.

*A mundo quomodo recedendum.*
*Iob. 3.*

E

Nota quod triplex eſt ſolitudo, ſcilicet mentis, religionis, & mundi: ſolitudo mentis eſt apta ad iudicandum. Secunda ſolitudo religionis alta ad contemplandum. Tertia mundi eſt fuga læta ad delectandum,

*Triplex eſt ſolitudo.*
*Mundi ſolitudo mala.*

A ſolitudo religionis, eſt fuga mundi, aula Dei, vita cæli. Tertia eſt ſolitudo mundi quæ mala eſt, quoniam deuiat error, obuiat horror, æſtuat ardor. De his dicit Apoſtolus 2. ad Cor. 11. *Periculum in ſolitudine* &c. *2. Cor. 11.*

VERS. 7. ET FACTVM EST PRÆLIVM MAGNVM IN CÆLO,] ſupra poſita pugna draconis & Eccleſiæ, hic ſubiungitur conflictus cæleſtis curiæ, quæ conatibus malorum reſiſtit & Eccleſiam munitionibus, inſpirationibus bonis inſtruit, vnde deſcribitur iſta pugna vt periculoſa propter violentiam expugnatorum, quia cum dracone, vt laborioſa propter reſidentiam impugnatorum, quia cum eis præliabuntur, ac vigoroſa propter aſſiſtentiam pugnatorum, Michaël & Angeli eius, &c. Primum protetua crudelitas aduerſarij, ſecundum diuturnitas exercitij, tertium auctoritas ad-

*Curia cæleſtis adiuuat militantem.*

B iutorij.

Dicit ergo FACTVM EST PRÆLIVM MAGNVM IN CÆLO,] id eſt in Eccleſia, quia dæmones volunt auferre hominibus ex inuidia quod per ſuã ſuperbiam perdiderunt. Sed quamuis magnum ſit prælium, præualet tamen forte auxilium, quia *Michael* quoad maiores, *& Angeli eius*, quoad minores, *præliabantur cum maiores*, id eſt cum lucifero: orando, Eccleſiã ſuſtentando, auxiliũ ſuis præconiis conſeruando, vnde quando dæmones ſunt parati ad pugnandum, & ſancti Angeli ad reſiſtendum, eligamus ergo arma ſectari, quia fortiſsimos & inuictos adiutores habemus. Solus autem Michael exprimitur quia eſt Præpoſitus Eccleſiæ. Vnde ei præcipuè incumbit cuſtodia eius. Alij auté An-

*Inuidia dæmonum.*
*Cur ſolus Michael exprimitur.*

C geli qui ſingulis hominibus ſunt deputati, ideo ſunt ſicut Epiſcopi ſub Papa, & ideo dicitur *Angeli eius.* Michaël fuit Præpoſitus ſynagogæ. Vnde Angelus Danieli dixit. Dan. 10. cap. *Nemo adiutor meus fuit in omnibus his niſi Michael princeps noſter.* Sed ex quo ſinagoga crucifixit Chriſtum tranſlatus eſt nobis ad præpoſituram, & cuſtodiam. Michael ergo aſſiſtit nobis, ad impetrandum ne repellamur, ad operandum ne impediamur, ad informandum ne ſeducamur, ad triumphandum ne ſubiugemur, de primo. *Surget Michäel princeps magnus, pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque*, &c. Nota quod debemus præliari vigilanter, ne præueniamur, ſapienter ne decipiamur, confidenter ne terreamur, perſeueranter ne deiiciamur. De primo Gen. 49. *Præliabitur ſapienter.* De ſecundo, 1. Reg. 9. *Præliare Domine in prælio*, &c. De tertio, Pſal. 2. *Si exurgat aduerſum me prælium.* De quarto, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.*

*Dan. 10.*
*Michael quomodo nobis aſſiſtit.*
*Dan. 12.*
*Gen. 49.*
*1. Reg. 9.*
*Pſal. 2.*
*Pſal. 17.*

Nota quod hic agitur de natura angelica quod ſecundum quod ponit Dyon. de angelica Hierarchia, Deus condidit Angelos bonos, inſerens eis libertatem arbitrij ad eligendum bonum, & reſpuendum malum, medium tamen inter ſe ſummum & incommutabile bonum, ita quod ſi auerterentur ad amandum quod erat ſupra ſe, aſcenderent ad ſtatum gratiæ. Si vero ad bonum commutabile, quod infra ſe erat, eo ipſo ruerent in malum culpæ & pœnæ. Prius E ergo lucifer præſumens de bono priuato, priuatam excellentiam voluit & petiit quærens aliis ſuperferri, & ideo cecidit cum cæteris conſentientibus ſibi, & ſic Angeli à Deo auerſi ſunt obſtinati per impœnitentiam. Sed ad Deum conuerſi, certè ſunt confirmati per gratiam & gloriam, Et inſuper illuminari ſecundum cognitionem matutinam & veſpertinam, ordinati etiam ad operationem contemplatiuam & adminiſtratiuam. Et hoc ſecundum triplicem Hierarchiam ſcilicet ſupremam, mediam & infimam, ad quorum ſupremam ſpectant Cherubin, Seraphin, & Throni. Ad mediam Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, ad infimam vero principatus, Angeli & Archangeli.

*Superbia Luciferi & eius ambitio.*
*Hierarchia Angelica quot & quales.*

Sequitur ET DRACO PVGNABAT ET ANGELI EIVS,] Eccleſiam diuerſis tentationibus infeſtando.

ET

VERS. 8. ET NON PRÆVALVERVNT, auxilium bonorum Angelorum ſuperando. *Nec locus inuentus eſt amplius eorum in cœlo*, id eſt in Eccleſia, maxime quantum ad bonos, qui ſi aliquando peccant Deo permittente, finaliter reſurgunt ipſo adiuuante.

*Iuſti licet cadant reſurgunt.*

Sed ad euidentiam litteræ, quare ait, ET NON PRÆVALVERVNT? cum ſcriptum eſt. Iob. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ valeat ei comparari.* Item quare locus non eſt inuentus in cœlo, cum multos quotidie impugnent, & ſuperent, in quibus requieſcunt? Reſponſio ad vtrumque quod licet poſt baptiſmum & abrenunciationem, diabolus multos decipiat, tamen in eos qui ſunt prædeſtinati finaliter nihil poteſt nec præualet, quia ablato peccato per pœnitentiam non inuenit in eis requiem, & ſic vtrumque intelligitur.

*Iob. 41. Obiectiones & earum ſolutiones.*

VERS. 9. ET PROIECTVS EST DRACO ISTE, ] qui ſic appellatur propter violentiam, *magnus* propter viroſitatem potentiæ, *Serpens* propter aſtutiam, *antiquus* propter antiquam experientiam, diabolus per ſæuitiam, *& ſathanas*, id eſt aduerſarius propter inuidiam, *qui ſeducit vniuerſum orbem*, inducit à veritate in falſitatem, à falſitate in cupiditatem.

Sed hic obiicitur, quia videtur ſibi contradicere, immediate enim dicit quod proiectus eſt draco. Hic autem quod ſeducit vniuerſum orbem. Reſpondeo vniuerſum orbem vocat hic reprobos, propter eorum multitudinem, ſic ergo à bonis proiicitur ad ſeducendum malos.

*Reprobi propter multitudinem dicuntur orbis.*

Vnde ſequitur quod PROIECTVS EST IN TERRAM, ] id eſt in terrena amantes, *& Angeli eius*, qui conſentientes, *cum illo*, miſſi ſunt vnanimiter ſæuientes: literaliter tota iſta littera poteſt exponi de bello, quod fuit in cælo empyreo, quando Lucifer & ſui propter ſuperbiam ceciderunt, & alij propter electionem in Dei gratia perſtiterunt. Vnde diuerſitas affectuum propriè poteſt dici ipſorum prælium: exponitur ergo ſic.

*Diuerſitas affectuum poteſt dici prælium.*

ET FACTVM EST PRÆLIVM MAGNVM, ] in cælo empyreo diſcutientibus facultatis motibus *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone*, Deo adhærentes & lucifero diſſentientes. *Et draco pugnabat & Angeli eius*, id eſt Lucifer & eius adhærentes ſuperbiendo & ſuper omnes dominium appetendo, *& non præualuerunt*, ſcilicet aſſequi quod appetebant. *Nec locus eorum inuentus eſt amplius in cælo*: ſcilicet empyreo. *Et proiectus eſt draco iſte magnus ſerpens antiquus qui vocatur eſt diabolus & ſathanas*, propter omnium malorum aggregationem, *qui ſeducit vniuerſum orbem*, per variam machinationem, *proiectus eſt in terram*, id eſt in carcerem, *& Angeli eius cum ipſo miſſi ſunt*, in æternam damnationem. Oſtenſa igitur deiectione hoſtium perſequentium, oſtenditur exultatio amicorum congratulantium. Vnde poſt conflictum prælij, poſt exitum belli, ſequitur locus trophei: vnde ſubdit.

*Poſt victoriam lætitia.*

VERS. 10. ET AVDIVI VOCEM MAGNAM IN COELO DICENTEM, id eſt iucunditatem ciuium ſuperiorum. *Nunc facta eſt ſalus*, quantum ad euaſionem vitiorum, *Et virtus*, quantum ad executionem meritorum. *Et regnum*, id eſt dominium vitia calcandi. *Et poteſtas*, dæmones *ſubiiciendi*, ſcil. per virtutem Dei noſtri & Chriſti eius.

VERS. 11. PROIECTVS EST ] id eſt procul iactus ſine ſpe reuertendi, *accuſator fratrum noſtrorum*, quia habet officium nocendi, Angeli autem dicunt nos fratres ſuos per gratiam, non naturam, qui ad præmium vel ad eandem hæreditatem ſumus vocati, *qui accuſabit eos*, id eſt accuſabiles laborabunt reddere, *ante conſpectum Dei*, quem nullum latet ſecretum ad Hebr. 5. *Omnia nuda ſunt ante oculos Dei, die ac nocte*, id eſt continue in proſperis & aduerſis.

*Angeli dicunt nos fratres.*

*Hebr. 5.*

Nota quod ſicut ait Gregor. in Moral. tribus modis loquitur diabolus ad Deum. Vel cum vias ſuas inſinuat, vel cum electorum innocentiam factis criminibus accuſat, vel cum tentandam eandem innocentiam poſtulat. Et ſequuntur tria remedia, per quæ ſancti ſuperant dæmones. Primum eſt contemplatio, paſſionis Chriſti.

VERS. 11. ET IPSI VICERVNT EVM PROPTER SANGVINEM AGNI. ] Secundum eſt inuocatio nominis eius, *& propter verbum teſtimonij eius*, Chriſtum diuulgando & verum Deum & hominem teſtando. Tertium maceratio corporis proprij, *& non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*, ſcilicet excluſiue. id eſt non tantum dilexerunt quod ſua dilectio excluderet mortem corporalem. Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam.* Vnde potius elegerunt mori quam Chriſtum negare, & ad mortem animas ſuas poſuerunt, ne nequiter amando perderent regnū, ait Haymo & Bern. ſuper Cant. ſerm 9. Optimus æſtimator rerum eſt tibi qui nihil ſuorum ſibi præſeruandum æſtimet, quia nec Paulus animam pretioſiorem ſe exiſtimabat vel faciebat. Et ſequitur diſcipulus ergo Chriſti ponat animam ſuam pro Chriſto, ſiue exponendo vt Martyr, ſiue affligendo vt pœnitens, dulcedo enim mellis, ſuauitas lactis, vini ſapor cunctæque delitiæ non ſic oblectant fauces, guſtantium, vt amor Chriſti mentes diligentium ſe.

*Diabolus ſic vincitur.*

*Ioan. 12.*

*Bern.*

*Amor Chriſti omnibus præferendus.*

VERS. 12. PROPTEREA LÆTAMINI COELI, ] vniuerſi ciues cœli et tam ſancti quam ſpiritus Angelici, *& qui habitatis in eis*, id eſt vniuerſi præelecti ad inhabitandum ſuper obtenta victoria, & repromiſſa corona contra *væ terræ*, id eſt terrena amantibus, & in eis incumbentibus, *& in mari*, de vitio in vitium fluctuantibus, *hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum eſt numerus*, *quia deſcendit diabolus*, ad nos tentandos, & decipiendos, *habens iram magnam*, ad nos devorandos, *ſciens quod modicum tempus habet*, ad nos perſequendos. Vnde ſecundum Dionyſium de diuinis nominibus. cap. 4. In dæmonibus eſt furor irrationalis, demens concupiſcentia, phantaſia proterua, ſunt liuidi, callidi, pallidi, ſcil. iracundia & fallacia. Sciens diabolus quod modicum tempus habet, vt electos ab ingreſſu patriæ cæleſtis retardet, ardentius ad bellum graſſatur, & eos qui recte viuere volunt expugnare conatur, vel ſic cogitans diabolus quod ſi haberet filias poſſet multos habere generos, quos ſecum duceret ad infernum.

*Pſal. 103.*

*Dæmonis malitia.*

Et nota quod, prout ſolet dici, diabolus nouem filias ex concupiſcentia vxore ſua generauit, & octo maritauit, ſcilicet aliquando Symoniam prælatis & clericis, hypocriſim falſis Monachis, rapinam militibus, vſuram diuitibus, dolum mercatoribus, impatientiam & protervitam mulieribus, fictum ſeruitium operariis, ſacrilegium agricolis, ſuperbiam ſuperfluè elatis, luxuriam & gulam noluit maritare, ſed exponit eam omnibus. Poſita occulta hoſtis perſecutione, hic ſubditur aperta & manifeſta executio. Videns enim hoſtis quod parum proficeret per machinationem & verſutiam ad violentiam conuertitur. Vnde ait.

*Luxuria & gula omnibus exponitur.*

VERS. 13. ET POSTQVAM VIDIT DRACO QVOD PROIECTVS ESSET IN TERRAM, ] ad litteram de cælo empyreo ad illum aerem propinquum, vel de cordibus electorum in corda reproborum, *perſecutus eſt mulierem*, id eſt Eccleſiam, *quæ peperit maſculum*, matrem defendentem per virilem protectionem & firmam cuſtodiam. Iſte maſculus eſt Ieſus Chriſtus, per quem caput draconis atteritur & malitia exterminatur. Et quia magnus conflictus, ideo maius auxilium &c.

*Per Chriſtum draconis caput atteritur.*

VERS. 14. MVLIERI DATÆ SVNT DVÆ ALÆ AQVILÆ MAGNÆ, ] aquila iuſtitia eſt, duæ alæ ipſius ſunt declinare à malo & facere bonum. Vel aquila prouocās ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans, quæ alæ ſunt conſideratio & Dei & ſui, & de ſe homo

conſide

conſiderare debet, naſcendi vilitatem, vitæ cala-
*Quatuam ſint alæ iuſtitia Iob. 13.* mitatem, viuendi breuitatem, permanendi varieta-
tem, moriendi neceſſitatem, de primo Iob. 13. *Homo natus de muliere*, &c. pro ſecundo, *breui viuens tempore*, pro tertio, *repletur multis miſeriis*, pro quarto, *qui quaſi flos egreditur*, pro quinto, *& conteritur & fugit velut vmbra*. Hæc eſt prima ala, de qua dicebat Ber-
*Duæ alæ cognitio Dei & ſui ipſius.* nard. recole tua primordia, attende nouiſſima, quia hæc pudorem adducunt, iſta dolorem ingerunt, illa mentem incutiunt. Alia ala eſt conſideratio Dei, de quo eſt conſiderare, quod ipſe eſt liberaliſſimus largitor, patientiſſimus creditor, prudentiſſimus inueſtigator, iuſtiſſimus iudicator, rigidiſſimus exe-
*Iacob. 1.* cutor. De primo, Iac. *Dat omnibus affluenter & non improperat*. De ſecundo. Eccleſ. 5. *Ne dixeris peccaui,* B
*Eccl. 5.* *& quid accidit mihi triſte; altiſſimus enim patiens & redditor eſt*. De tertio, ad Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta*
*Hebr. 4.* *ſunt oculis eius*. De quarto, Pſalm. *Deus iudex iuſtus*.
*Pſal. 7.*
*Exod. 15.* De quinto, Exod. 15. *Dominus omnipotens nomen eius*.
*Varia alarum ſignificatio.* Item aliter duæ alæ duo teſtamenta ſunt, ſcilicet vetus & nouum, duæ dilectiones, Dei & proximi, vel duæ alæ ſunt duæ vitæ, ſcilicet actiua & contemplatiua, quæ ſignantur per Rachelem & Liam, per Mariam & Martham, per Petrum & Ioannem, vel duæ alæ ſunt contemptus terrenorum & appetitus supernorum. Vel aquila ſapientia, duæ alæ modeſtia, quæ conſiſtit in temperando proſpera, & patientia quæ conſiſtit in tolerando aduerſa, vel duæ alæ ſunt timor ſuppliciorum & amor ſtipendiorum, vel duæ C alæ intellectus in cognoſcendis, affectus in appetendis. Iſtæ igitur duæ alæ datæ ſunt Eccleſiæ vt volaret in deſertum, vbi nec tumultus inuenitur, vnde nota quod deſertum eſt locus ſterilitatis, vbi nec frequentia hominum, nec copia rerum, ſed auſteritas,
*Chriſti prædicatio.* & ariditas. *Vbi datur per tempus & tempora, & dimidium temporis*, doctrina ſcilicet prædicationis Chriſti in tanto tempore facta. Ipſe enim Chriſtus tribus annis & dimidio prædicauit, cuius prædicatione paſta eſt Eccleſia quamdiu laborauit in exilio præſentis calamitatis, *à facie ſerpentis*, ſic multifariè ſæuientis.

*Virginis prærogatiua.* Mulieri igitur datæ ſunt duæ alæ, vt volaret in locum ſuum: in hoc commendatur beata virgo, vt perſonaliter præeminens, virtualiter præcellens, ſingula- D riter præſidens, primatus præeminentiæ refertur ad ſexum. Cum dicit *mulieri* alatus præcellentiæ refertur ad ſignum, cum dicitur, *duæ alæ*, volatus præſidentiæ refertur ad ſolium, cum poſtponitur, *vt volaret in locum ſuum*. Quantum ad primum eſt notandum
*Mater Dei mulier dicitur.* quod mater Dei dicitur mulier, quia inter mulieres cum puritate ſexus, præter mulieres diſparitate
*Luc. 1.* ſtatus, ſuper mulieres imparitate gradus. De primo,
*Iud. 9.* Luc. 2. *Benedicta tu inter mulieres*. De ſecundo, Iudith. 9. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omni-*
*Heſter. 2.* *bus mulieribus ſuper terram*. De tertio, Heſter. 2. *adamauit eam rex pluſquam omnes mulieres, & poſuit diadema in*
*Alæ Virginis quæ.* *capite eius*. Quantum ad ſecundum eſt notandum quod alæ beatæ Mariæ ſunt virtuoſiſſimæ, quia erectiſſimæ reſpectu Dei, ſpecioſiſſimę, quia ornamentum vel ornatiuæ reſpectu ſui, gratioſiſſimæ, quia protectiuæ reſpectu proximi.

Sed de iſtis tribus eſt ſciendum quod quantum ad primum, duæ alæ ſunt, auctoritas imperatricis, gene- E roſitas genitricis, quantum ad ſecundum duæ alæ ſunt, puellaris virginitas, ſingularis fœcunditas, quantum ad tertium duæ alæ ſunt, propitiatio offenſarum,
*Ezech. 15.* procuratio gratiarum, de prima ala Ezech. 15. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu:*
*Iſa. 8.* *plena plumis & varietate, venit ad libanum, tollit medullam cedri*, de ſecunda. Iſa. 8. *Erit extenſio alarum eius im-*
*Pſal. 62.* *plens latitudinem terræ tuæ*, de tertia. in Pſal. *In velamento alarum tuarum exultabo*.

VERS. 14. Sequitur tertium VT VOLARET IN LOCVM SVVM, ] vbi eſt notandum quod volatus

*Bernard. de Seris in Apocal.*

includit tria, ſcilicet infirmitatis ſitum, quod ſignificat humilitatem, agilitatis motum quod ſignificat virginitatem, ſublimitatis gradum, quod ſignificat *Pſal. 17.* maturitatem, de his in Pſalm. *Inclinauit cælos*, quoad primum, *& caligo ſub pedibus eius*, quoad ſecundum, *Et aſcendit ſuper Cherubin, & volauit*, quoad tertium.

ET MISIT SERPENS EX ORE SVO POST MVLIEREM AQVAM TANQVAM FLVMEN, ] id eſt tentationem tribulationum, ſcilicet proſperitatum & aduerſitatum, *vt eam faceret trahi à flumine*, per impulſum diuerſarum anxietatum. VERS. 15. *Dæmonis vindicta.*

ET ADIVVIT TERRA MVLIEREM, ] ſcilicet Chriſtus Eccleſiam, quæ dicitur terra, per naturæ mortalis aſſumptionem, *& aperuit terra os ſuum*, ſcilicet in paſſione, *& abſorbuit flumen*, abſorbuit inquam, quia aduerſitas & tribulatio quam pertulit in paſſione tanta fuit, quod ſua magnitudine abſorberet omnem aliam quam poſſumus pati, flumen quod miſit draco de ore in ipſius hoſtis deiectione. VERS. 16.

Vel terra poteſt dici beata Virgo quæ terra taliter fructum noſtræ ſalutis portauit, hæc ergo terra adiuuit mulierem, id eſt Eccleſiam, pro ipſa exorando, exemplum patientiæ conferendo, filium Dei pariendo ductorem fortiſſimum qui abſorbuit flumen quod draco miſit de ore ſuo: quia ſua ſancta prædicatione imperum nunc effugauit, & tribulationem Eccleſiæ mitigauit, neceſſario ergo beata Virgo, in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te & pro te, & de te manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit, per te Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inueniunt, in æternum ergo merito beatam te dicent. O Domina mundi, regina cæli, ianua paradiſi. *Terra poteſt dici B. Maria* *Auxilium noſtrum ex Virgine.*

ET IRATVS EST DRACO IN MVLIEREM, ] id eſt, contra Eccleſiam videns quod non poteſt explere ſuam malitiam, *& abiit facere prælium cum reliquis* ſectantibus veritatem & iuſtitiam, *qui cuſtodiunt mandata Dei*, corde, ore, & opere adimplendo. *Et habent teſtimonium Ieſu*, ſuauiſſimè confitendo, de quo Bernard. omnino propter manſuetudinem quæ de te prædicatur, currimus poſt te, O bone Ieſu audientes quod non ſpernas pauperem peccatorem, non horruiſti confitentem latronem, non lachrimantem peccatricem, non ſupplicantem Cananeam, non deprehenſam in adulterio, ſedentem in thelonio, publicanum non negantem, non Paulum diſcipulum perſecutorem diſcipulorum, & ideo currimus in odorem vnguentorum tuorum, non inueniens igitur draco requiem in reliquis. VERS. 17 *Chriſti Domini miſericordia.*

STETIT SVPER ARENAM MARIS, ] ſuper ſenſibus infructuoſitatis impulſio ad culturam & inhabilitatio, qualia ſunt ſpiritualiter cogitationes carnales, in quibus diabolus dicitur tanquam in arena maris ſpirituali conſiſtere, & quia immediate dictum eſt qui cuſtodiunt mandata Dei. VERS. 18.

Eſt notandum tamen quod decem ſunt præcepta decalogi. Vnde decalogus dicitur à deca quod eſt decem, & logos quod eſt ſermo, quaſi continens decem ſermones, quorum numerus & ſufficientia hic habetur. Omnia enim mandata aut ordinant ad Deũ, aut ad proximum, ad Deum autem ordinant præcepta primę tabulæ: ordinamur autem ad Deum aut corde. Et ſic eſt primum mandatum. *Non adorabis deos alienos*. Aut ore, & ſic ſecundum. *Non aſſumes nomen Dei in vanum* iurando, videlicet incaſſum. Aut opere ſecundum tertium. *Memento vt diem ſabbati ſanctifices*, quod eſt vacare bonis operibus & ceſſare ab his quæ impediunt cultum Dei. Ad proximum autem ordinamur ſecundum rationem beneficentiæ, ita quod beneficẽtia præcipitur in prima affirmatione ſecundæ tabulę, ſcilicet *honora patrẽ & matrem*, vnde nomine patris intelligitur proximus, nocere vero prohibetur in aliis ſex mãdatis. Cõtingit autẽ nocere *Decalogi præcepta decem exponuntur.*

proximo,aut in perſona propria & facto. Et ſic pro- A
hibetur in ſecundo præcepto huius ſecundæ tabulæ. *Non occides* verbo,aut opere in quinto eiuſdem, *non falſum teſtimonium dices*, ſi in perſona cõiuncta,aut per malum deſiderium & ſic datur ſextum eiuſdem *non concupiſces vxorem proximi tui*, ſi ſit nociuum tantum in poſſeſſione,hoc poteſt eſſe vel extra per opus & ſic quartum,*non furtum facies*, vbi prohibetur omnis alienæ rei contrectatio iniuſta, vel intra per deſiderium malum, & ſic prohibetur per vltimum præceptum huius tabulæ, *non concupiſces rem proximi tui*, in mandatis autem iſtis ſeptem peccata capitalia prohibẽtur,quia ſuperbus non adorat, vult & cupit ab aliis adorari. Accedia in tertio, & gula ſibi annexa luxuria in prohibitione mœchiæ. Auaritia in B
prohibitione furti,inuidia & ira in prohibitione homicidij.

# SYNOPSIS
## CAPITIS DECIMITERTII.

*Beſtia de mari aſcendens ſeptem capitum,& decem cornuum, decemque diadematum, cuius plaga curatur, Deum blaſphemat & ſanctos debellat, hæc beſtia erat Antichriſtus, numerus nominis illius dicitur fore 666. altera beſtia duorum cornuum, de terra aſcendens illi maxime fauet cogens fieri & adorari eius imaginem, haberique characterem nominis eius, hæc ſecunda beſtia erat pſeudopropheta aliquis.*

### *CAPVT DECIMVMTERTIVM.*

1. ET vidi de mari beſtiam D
aſcendentem, habentem
capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.
2. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat
pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, &
os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco
virtutem ſuam,& poteſtatem magnam.
3. Et vidi vnum de capitibus ſuis
quaſi occiſum in mortem, & plaga mor- E
tis eius curata eſt. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam.
4. Et adorauerunt draconem, qui
dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt
beſtiam,dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? &
quis poterit pugnare cum ea.
5. Et datum eſt ei os loquens magna,&
blaſphemias:& data eſt ei poteſtas facere
menſes quadraginta duos.
6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias
ad Deum,blaſphemare nomen eius, &
tabernaculum eius,& eos qui in cælo habitant.
7. Et datum eſt illi bellum facere
cum ſanctis,& vincere eos.Et data eſt illi
poteſtas in omnem tribum, & populum,
& linguam,& gentem.
8. Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.
9. Si quis habet aurem,audiat.
10. Qui in captiuitatem duxerit, in
captiuitatem vadet:qui in gladio occiderit,oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia,& fides Sanctorum.
11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem
de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni,& loquebatur ſicut draco.
C 12. Eſt poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: & fecit
terram & habitantes in ea, adorare beſtiã
primam, cuius curata eſt plãga mortis.
13. Et fecit ſigna magna, vt etiam
ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.
14. Et ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna,quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ;dicens habitantibus in terra,
vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet
plagam gladij,& vixit.
15. Et datum eſt illi vt daret ſpiritum
imagini beſtiæ,& vt loquatur imago beſtiæ: & faciat vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ occidantur.
16. Et faciet omnes puſillos, & magnos,& diuites,& pauperes,& liberos,&
ſeruos habere characterem in dextera manu ſua,aut in frontibus ſuis.
17. Et ne quis poſſit emere, aut vendere,niſi qui habet characterem,aut nomen
beſtiæ,aut numerum nominis eius.
18. Hîc ſapientia eſt. Qui habet intellectum,computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt:& numerus eius
ſexcenti ſexaginta ſex.

EXPOSI

## EXPOSITIO DECIMITERTII Capitis.

Vers. 1. ET VIDI DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM HABENTEM CAPITA SEPTEM ET CORNVA DECEM &c. ] Deſcripta pugna draconis contra eccleſiam, hic deſcribitur conflictus exercitus ſui contra eandem, qui duplex oſtēditur: vnus ſub ſimilitudine beſtiæ aſcendētis de mari. Secūdus ſub ſimilitudine beſtiæ aſcendentis de terra: ibi *Et vidi beſtiam aſcendentem de terra.* Prima beſtia videtur conflari ex malitia laicorum & ſuperbia principum ſecularium. Secunda ex malitia clericorum & cupiditate prælatorum, licet autem per iſtam beſtiam poſſit congrue intelligi Antichriſtus quantum ad caput & corpus, quia iam habitum eſt in capite præcedenti de Antichriſto in perſona. Sic ergo exponamus.

*Duplex conflictus aduerſariorum contra Eccleſiam.*

B

Et vidi per intelligentiam ſpiritualem, *beſtiam aſcendentem de mari*, id eſt, malorum multitudinem beſtialem, *habentem capita ſeptem*, principes in perſecutione eccleſiæ principales, in veteri enim teſtamento primum caput fuit Cain, qui occidit Abel fratrem ſuum, Nembroth enim cœpit eſſe potens in terra, & venator, fuit principium regni eius Babylon. Tertium caput fuit in Iſmael, id eſt ſarracenus, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, vt habetur. Geneſ. 17. Quartum caput fuit Pharao rex Ægypti, qui populum, Iſraeliticum variè afflixit. Quintum Nabuchodonoſor qui populum Iſrael captiuum duxit 4. Reg. 15. Sextum caput fuit Herodes, qui Chriſtum quærens pueros innocentes interemit. Matt. 1. Septimum caput, eſt Antichriſtus, ſub quo erit perſecutio & expreſſio generalis & terribilis valde.

*Septem principes in perſecutione Eccleſiæ.*

C

*Gen. 17.*

*3. Reg. 15.*

Sed in nouo teſtamento alia ſeptem capita grauia inueniuntur, quorum primum Herodes fuit, & cum ipſo accipiendi ſunt omnes reges Iudæorum, qui tam regni quam ſceleris fuerunt ſucceſſores in perſecutione Chriſti. Secundum caput fuit Nero interfector principum Apoſtolorum Petri & Pauli, cum quo enumerandi ſunt omnes ſucceſſores vſque ad vltimum, videlicet Iulianum apoſtatam, qui excepto eo fere omnes perſecuti ſunt Eccleſiam Chriſti. Tertium caput fuit Conſtantius Arrius qui cum Arrianis afflixit Eccleſiam. Quartum fuit Coſras rex Perſarum. Quintum rex Babylonis, nouæ ſ. Henricus rex Germanorum qui volens apparere ſimilis altiſſimo & ſedere in monte teſtamenti multas propter hoc perſecutiones Eccleſiæ Dei ingeſſit. Sextum caput, eſt quidem rex innominatus, de quo dicitur Danielis ſeptimo. *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit præ omnibus, tres reges humiliabit.* Iſte quicunque ſit, mala faciet Eccleſiæ temporibus noſtris, ſed quis ſit ille, non eſt noſtrum iudicare. Septimus erit Antichriſtus. De quo Danielis octauo. *Et poſt regnum eorum conſurget rex impudens à facie eius, & roborabitur, & proſperabitur fortitudo eius, &c. Vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur & faciet; & interficiet robuſtos; & populos ſanctorum ſecundum vocem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.*

*Perſecutores Eccleſiæ in nouo teſtamento.*

D

*Dan. 7.*

E

HABENTEM ergo CAPITA SEPTEM ET CORNVA DECEM.] id eſt vniuerſa regna terræ ſibi ſubdita, & *ſuper cornua decem diademata*, id eſt vniuerſi Principatus & Poteſtates. Vnde ſecundū Haymo, ſeptem & decem non numero, ſed ſignificatione vniuerſitatis nomine ſignificantur, iſta expoſitio ſequens applicata non videtur competens, quia non dicit abſolute ſuper cornua decem. Vnde ad quatuor gentes tantum non applicatur aperte, vel ſuper cornua, id eſt ſuper gentes, quæ miro modo Eccleſiam expugnare conatæ ſunt, quarum prima pars, gens Iudæorum, ſecunda gens Paganorum, tertia Arrianorum, quarta Sarracenorum, quæ quatuor ſignificantur, Danielis ſeptimo, per quatuor beſtias, quarum leæna gens, ſcilicet Paganorum, tertia pardo ſimilis, & per iſtam gens Arrianorum, quarta terribilis, atque fortis, per quam gens Sarracenorum à Mahometo decepta.

*Quatuor gentes quæ Eccleſiam expugnare conatæ ſunt.*

*Dan. 7.*

In his quatuor gentibus decem diademata inuenies, quoniam prima beſtia duos facit, ſcilicet Phariſæos & Saduceos, ſecunda beſtia, tres, ſcilicet tyrannos Paganorum, Sacerdotes Templorum, cultores idolorum, tertia facit tres, ſcilicet Græcos, Vvandalos, Longobardos, & quarta quaſi vltima beſtia facit Sarracenos, & Turcas.

ET SVPER CAPITA EIVS NOMINA BLASPHEMIÆ.] quia gentium Principes potiſſime blaſphemabant Chriſtum abnegantes ipſum eſſe verum Deum. Et ſequitur deſcriptio beſtiæ & congregationis iſtius nefariæ.

Vers. 2. ET BESTIA, QVAM VIDI, SIMILIS ERAT PARDO. ] propter varietatem duplicitatis in conuerſatione. *Et pedes eius, ſicut pedes vrſi*, propter voluptatum affectionem, *Et os eius, ſicut os leonis*, propter immenſitatem voluptatum in affectione, *Et os eius, ſicut os leonis*, propter immenſitatem crudelitatum in perſecutione, & iſta beſtia dicitur ſimilis pardo propter duplicitatem aliquorum clauſtralium, quia ſecundum Iſidorum, pardus eſt beſtia cautiſſima, & varietate diſcolor, dicitur ſimilis vrſo propter cupiditatem ſæcularium, vrſus enim eſt beſtia rapaciſſima, & ea quæ rapit, primo conculcat. & ſic omnia deuorat, dicuntur enim iſti vrſi, quia vrſus ore fœtum ſuum format, vt ait Iſidorus, dicitur ſimilis leoni, propter crudelitatem principum, leone enim rugiente cætera animalia contremiſcunt.

*Deſcriptio beſtiæ primæ nempe pardi.*

*Mali religioſi qua beſtia notantur?*

ET DEDIT ILLI DRACO VIRTVTEM SVAM ] Oſtenſa malitia monſtruoſa, oſtenditur poteſtas ſua ad nocendum, ad decipiendum, ad mirabilia faciendū & poteſtatem magnā multos ſeducendi, & opprimēdi.

Sed hic quæritur nunquid diabolus poteſtatem habet mirabilia faciendi? Reſpondeo ſecundum Auguſtinum, & dico quod poteſt diabolus facere mirabilia, non miracula.

Nota differentiam inter mirabile & miraculum. Mirabile enim eſt aliquid præter ſolitum curſum naturæ facere, & quia dæmon habet ſenſus intelligentiam, ideo habet longam experientiam, natura facit ſucceſſiue, ſed propter ſubtilem cognitionem, ipſe comprehendit ſubito, & quaſi inſtantaneè, & ideo facit mirabile, qui præter ſolitum curſum naturæ, & ſic fecerunt Magi ſerpentes de virgis: miraculum autem facere, eſt ſolum potentiæ & virtutis diuinæ, quia iſte ſolus habuit virtutem iſtam dandi & creandi.

*Differentia inter miraculum & mirabile.*

Vers. 3. ET VIDI VNVM DE CAPITIBVS SVIS QVASI OCCISVM IN MORTE.] Poſt deſcriptionem beſtiæ, in qua dictū hęc eſt quod eſt ſeptem ſunt capita, deſcripſit Ioannes caput ipſius, ſcilicet Antichriſtum, ponens ipſius ſimulationem, per quam cunctos ducit in admirationē, vt enim appareat Chriſtus in lege promiſſus, ſimulabit ſe mortuum, vel moriturum, ipſius arte magica, & miniſterio dæmonum ſe ſurrecturum. Dicit ergo. *Et vidi vnum de capitibus ſuis*, id eſt Antichriſtum, qui inter capita obtinet principatum, *& plaga mortis eius curata eſt*, per ſimulatam reſurrectionem, *& admirata eſt*

*Finget ſe eſſe mortuum Antichriſtus arte magica.*

*vniuerſa terra*, ad doloſam deceptionem , *poſt beſtiam*, ſcilicet euntes,& eidem adhærentes.

VERS. 4. ET ADORAVERVNT.] beſtiã adorantes, quia adoratio debetur ſoli Deo, *dicentes quis ſimilis beſtiæ?* in mirabilibus perpetrandis , *& quis poteſt pugnare cum ea?* ſuis viribus reſiſtendo.

*Quatuor conditiones, quibus redditur Chriſtus admirabilis.* Rom. 11. *Quænam in iſtis debeantur.* Matth. 11.

Nota quod hic quatuor ponuntur conditiones, quæ debent reddi Chriſto,& ſunt iſtæ,ſcilicet admiratio quæ debetur Sapientiæ incomprehenſibili , ad Roman. vndecimo. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ*, &c.admirabilis enim eſt eius ſapientia in microcoſmi creatione,vbi de nihilo tot mirabilia conplaſmauit , admirabilior in microſcomi conſeruatione, in quo tot miranda adunauit:admirabiliſſima in ſua Incarnatione,in qua Verbum æternum deſtinauit & humanauit, imitatio debet reddi humilitati ,& obediẽtiæ imperturbabili, Matthæi vndecimo. *Diſcite à me , quia mitis ſum , & humilis corde.* Ideo homo factus eſt ad imaginem Dei , vt poſſit imitari in quibus eſt imitandus, laudatio debet reddi eius bonitati inextinguibili,iuxta illud , Pſalmi, *Confitemini Domino quoniam bonus , quoniam in æternum miſericordia eius*, adoratio debetur maieſtati imperſcrutabili, Exodi quarto. *Audierunt quod viſitaret Dominus populum Iſrael , & adorauerunt proni in terram.*

Pſal.104. Exod.4.

VERS.5. ET DATA EST ILLI.] diuina permiſſione , *os loquens*, magna,ſe ſcilicet magnificando,& blaſphemias, ſe eſſe Chriſtum aſſerendo,Matthæi decimoſexto,aduerſus Deum deorum loquimur magnifica blaſphemia,quæ propriè eſt cum opus attribuitur creaturæ, quod eſt proprium Dei,*data eſt illi poteſtas facere malum*,ſanctos perſequendo,*menſes quadraginta duos* ſuam rabiem exercendo.

Matt.16.

*Cur Deus tantã permiſit Antichriſto poteſtatem.*

Sed videtur quod Deus non debuit ſibi tantam poteſtatem dimittere , qui vult omnes homines ſaluos fieri?Reſponſio , ſicut ait Auguſtinus tertio de Trinitate,capite tertio. Transgreſſores Angeli nihil poſſunt , niſi data ſibi deſuper poteſtate,datur autem poteſtas , vel ad fallendos fallentes , vt ſicut de Magis Ægyptiorum , vel ad commonendos fideles, ne pro magno deſiderent talia, ſcilicet facere miracula , vel ad exercendam , probandam , & manifeſtandam iuſtorum patientiam , & ita iuſto iudicio cum quo ad aliqua nobis occulte Deus permittit eos habere tantam poteſtatem , & ex omnibus elicit bonum.

*Blaſphemia Antichriſti.*

VERS.6. ET APERVIT:] id eſt aperiet beſtia,*os ſuum* in blaſphemias *ad Deum* verum abnegando , *blaſphemare nomen eius*,nomen Chriſti infamando , vel denigrando, *& tabernaculum eius*,ritum Eccleſiaſticum irridendo,& contemnendo eos,qui in cœlo habitant, merita ipſorum paruipendendo.

VERS.7. ET DATVM EST ILLI.] id eſt permiſſum , *bellum facere cum Sanctis* . cum eis altercando , *& vincere illos* corporaliter puniendo , quod reputabunt multum , quia iſte pro quo corpus exponitur , reddet melius , *ſeminatur enim mortale corpus & corruptibile,ſurget incorruptibile & glorioſum* . *& data eſt illi poteſtas in Tribu* , quantum ad Iudæos & Gentiles , *& populum & linguam & gentem* , quoad barbaricas nationes.

Quomodo eſt verum hoc,cum multi ſibi perſiſtent in confeſſione fidei ? Reſpondeo ad maiorem partem quod intelligimus, ſecundum doctrinam Auguſtini, ſicut colligitur ex iſto libro & prophetia Danielis, huic multum conſona.

*Quæ efficiet Antichriſtus.*

Antichriſtus multa faciet ſigna ficta mirabilia, ſimulabit enim ſe mori & reſurgere , ſicut habetur in præſenti lectione , rectè dominabitur theſaurorum,& dabit & diſtribuet & regna,& imperia , vt legitur in Daniele. Et faciet loqui diſcipulos ſuos variis linguis , vt omnes ducantur in errorem , item faciet ignem de cœlo deſcendere , per artem diabolicam, pro ſe faciet fieri imagines per vniuerſum orbem.

ET ADORAVERVNT EVM OMNES QVI INHABITABANT TERRAM.] per terrenorum affectionem, *quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ Agni*, quantum ad æternam prædeſtinationem ,& finalem iuſtificationem , *Qui occiſus eſt ab origine mundi.* VERS.8.

Et ſequitur excitatio ad intelligendam finalem beſtiæ captiuationem,extirpationem, & punitionem, vel quia in paſſionem Chriſti fuit nouus mundus, id eſt innouatus,præuiſus occidi,& ante mundi conſtitutionem , vel præfiguratus occidi in morte Abel.

SI QVIS HABET AVRES AVDIENDI AVDIAT.] per ſpiritualem actionem & conſiderationem , quia vindicta ſequitur Antichriſtum, & eius aggregationem, *qui in captiuitatem*, ſcilicet perpetuæ ſeruitutis *duxerit* violenter, pertrahendo , occidere vel iniquæ perſuaſionis , aut cuiuſcunque prauæ deceptionis, *oportet eum à gladio occidi* æternæ damnationis in anima & corpore. VERS.9. *Antichr. ſi finis infœlix.*

*Qui ſanctos affligunt temporaliter, punientur æternaliter.*

Hæc dicit pro Antichriſto , & ſequacibus ſuis,qui quamuis ſanctos affligunt temporaliter , tamen ipſi à Domino punientur æternaliter , in hujuſmodi etiam perſecutionibus conſtantia ſanctorum probabitur, & in probato remunerabitur:vnde dicit.

*Aduerſitatibus Sancti probantur.*

HÆC EST PATIENTIA.] qua animantur ad tolerãdum, *& fides ſanctorum* , quam mouet ad præliandum, quaſi diceret,in tempore probabitur quis ſanctus , & quis fidelis,& patiens:multi enim pro tempore pacis videntur patientes & fideles,qui tempore perſecutionis impatientes,& infideles reperiuntur.

Vel,HÆC EST PATIENTIA , FIDES SANCTORVM.] ad conſiderandas pœnas malorum, remunerationem bonorum, ad Hebræos duodecimo. Hebr.11. Per patientiam curramus ad proponendum nobis certamen,aſpicientes in auctorem fidei:vnde Auguſtin, Bona omnia terrena contempſit Chriſtus,vt contemnendo monſtraret, & omnia mala ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcipit , vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis timeretur aduerſitas.

VERS.11. *Beſtia deſignat Antichriſtũ.*

ET VIDI ALIAM BESTIAM ASCENDENTEM DE TERRA, ET HABEBAT CORNVA DVO SIMILIA AGNI.] Hæc eſt ſecunda pars principalis huius capitis,in qua agitur de perſecutione Eccleſiæ à falſis Apoſtolis Antichriſti finaliter fienda : vnde per primam beſtiam ſignificatur Antichriſtus,& ſui principes, per ſecundam idem & Apoſtoli ſui , & famam ipſius vbique diuulgantes. Dicitur ergo.*Et vidi aliam beſtiam*, id eſt pſeudo-Apoſtolos Eccleſiam beſtialiter lacerantes. Vnde in beſtia eſt ſæua crudelitas,violenta rapacitas , inſtabilis edacitas , qualis erit Antichriſtus & ſui. Vnde merito per beſtiam deſignatur , *aſcendentem de terra* , id eſt de collectione terrena amantium,& in terrenis ſuperbientium. *Et habebat duo cornua ſimilia Agni* , quæ ſunt ſimulatio , peruerſio doctrinæ , vel mala doctrina,& conſimilia , *Et loquebatur ſicut draco* , quaſi dicat, ita loquentur Apoſtoli Antichriſti à diabolo,ſicut Antichriſtus, quemadmodum enim Spiritus ſanctus loquebatur in Apoſtolis , ita Diabolus in Apoſtolis Antichriſti.

VERS.12.

ET POTESTATE PRIORIS BESTIÆ, ET OMNIVM.] id eſt modos omnes decipiendi & nocendi , quibus diabolus per priorem beſtiam decepit & nocuit,faciebat in conſpectu , id eſt in beneplacito diaboli & Antichriſti , ſicut enim Apoſtoli Chriſti omnia faciebant , vt placerent Chriſto , ſic iſti vt placeant Antichriſto à quo ſperabunt honores &

*Sectatores Antichriſti omnia ad libitum eius operabuntur.*

Dan.11. & diuitias, & has obtinere. Danielis vndecimo, *Multiplicabit gloriam, & dabit eis honorem.*

ET FECIT TERRAM.] id eſt terrena amantes, *& habitantes in ea*, terrenis adhærentes, *adorare beſtiam primam*, id eſt Antichriſtum, cuius curata eſt plaga mortis, quia ſimulabit ſe à mortuis reſurrexiſſe, & tamen morte æterna in corpore, & anima morietur. Vnde ſecundum Bernardum. Certum eſt quod morieris, ſed incertum eſt quando aut vbi, & quoniam mors vbique te expectat, tu quoque ſi ſapiens fueris vbique eam expectabis. Si carnem ſequeris punieris in carne, ſi carne delectaberis, in carne cruciaberis, ſi curioſas veſtes requiris, pro ornamento veſtium ſubtus te ſternentur tinea & operimentum tuum erunt vermes. Iuſtitia enim Dei aliud iudicare non poteſt, quam quod merentur opera noſtra, qui enim plus diligit mundum, quam Deum, ſæculum quam clauſtrum, gulam quam abſtinentiam, luxuriam quam caſtitatem, ſequitur diabolum, & ibit cum eo in ſupplicium æternum.

*Mors certa, hora illius incertiſſima. In quo quis peccat punitur.*

Vers.13. ET FECIT MAGNA.] id eſt faciet ad homines perterrendum & ſeducendum, *vt & ignem faciat de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum*, & faciet vt dictum eſt, ad homines perterrendum, ad litteram hoc faciet poteſtate dæmonum, qui hoc feciſſe leguntur Iob. primo. Vel ſicut Apoſtolis Chriſti datus fuit Spiritus ſanctus in ſpecie ignis, quod totum poterit fieri arte magica, & quia hæc ſigna non fient in occulto, ſed in aperto, ideo quamplurimi decipientur.

*Mirabilia Antichriſti ad homines decipiendos.* Iob.1.

Vers.14. SEDVCIT.] id eſt ſeducet *habitantes in terra*, terrenis inhiando per ſigna, quæ data ſunt illi facere permiſſione diuina, *in conſpectu beſtiæ*, omnia pro ipſius beneplacito peragendo, *dicens habitantibus in terra* eis imperando, *vt faciant imaginem beſtiæ*, ad literam, aliquam ſtatuam, eam adorando, ſicut fecit Nabuchodonoſor ſtatuam auream. Danielis decimo, *Quæ habet plagam gladij*, per ſimulationem occiſionis, *& vixit* per ſimulationem reſurrectionis.

Dan.10.

Vers.15. ET DATVM EST ILLIS.] id eſt Apoſtolis Antichriſti à diabolo Deo permittente, *vt darent ſpiritum*, ſcilicet malignum, *imagini beſtiæ*, id eſt ſtatuæ factæ ad ſimilitudinem Antichriſti, quam imaginem ipſi facient loqui & moueri ad maiorem hominum ſubuerſionem, quod Deus permittet exigentibus peccatis hominum, *Et vt loquatur imago beſtiæ*, id eſt ſtatua per malignum ſpiritum, ſicut olim in idolis dabant reſponſa. Vnde Richardus: Imaginem Antichriſti facient materialem, ſicut nos imaginem corpoream Saluatoris, & illam per incantationem facient loqui, vt per hanc homines ſeducantur. Et facient per ſuam ſuaſionem, & principum, & ſecularium poteſtatem, *vt quicunque non adorauerit imaginem beſtiæ*, id eſt ſtatuam Antichriſti, *occidetur* morte corporali, ſicut Nabuchodonoſor præcepit Danielis ſecundo. Et forte illud fuit figura huius.

*Plura permittit Deus ex gentibus hominum peccatis.*

*Imago Antichriſti loquetur, & quomodo.*

Dan.2.

Vers.16. ET FACIET OMNES PVSILLOS ET MAGNOS.] quantum ad differentias facultatis. *Et liberos & ſeruos*, quantum ad differentias conditionis, *habere characterem*, id eſt ſignum aliquod Antichriſti repræſentatiuum, manifeſtatiuum, & eidem aſſimilatiuum, vel ad litteram per ſcriptionem ſui nominis, *in dextra manu*, aut in frontibus ſuis euidenter & materialiter, ſicut hodie Iudæi portant ſigna euidentia deſignatiua eos eſſe Iudæos, ſed qualiter facient omnes puſillos & magnos habere characterem cum conſtet aliquos in fide Antichriſti non perſiſtere perſeueranter? Reſpondeo & dico, quod hi *omnes* diſtribuit pro generibus ſingulorum, non pro ſin-

*Character Antichriſti.*

A gulis generum, quia de magnis, & puſillis multos faciet portare characterem, &. adhuc maiora faciet.

ET NEQVIS POSSIT VENDERE ET EMERE.] ad litteram hoc facient Apoſtoli Antichriſti per Principes mundi, qui eis per omnia acquieſcent, *niſi habeat characterem*, id eſt ſignum per quod per terrorem dignoſcatur pertinere ad Antichriſtum, *aut nomen beſtiæ*, vt ſicut à Chriſto dicuntur Chriſtiani, vel aliquo nomine Diſcipulorum eius, ſicut ab Arrio Arriani, & Sabellio Sabelliani, ad litteram enim dabitur edictum, vt nullus poſſit vendere, vel emere in nundinis, vel alibi, qui non fuerit nomine alicuius ſectæ dicens illis qui erunt tempore Anti- Vers.17.
B chriſti niſi habeant characterem nominis beſtiæ, *aut nomen, aut nominis eius numerum*, id eſt ſignificationem numeri, qui in litteris quibus nomen eius ſcribitur continetur, vt ait Richardus.

*Mira Antichriſti, & tyrannica nominatio.*

Sed quæritur quare faciet, vt nullus poſſit vendere, vel emere niſi portauerit characterem magis quam de aliis actibus? Reſponſio ſecundum Richardum, hoc fiet, vt homines vedentes conſtringantur, & conſtricti Antichriſto copulentur, ſine venditione enim, & emptione non poteſt res publica conſeruari. Item vendentes & ementes per diuerſas partes mundi euagantur, ideo vt deferant nomen Antichriſti per mundum cogentur portare characterem eius.

*Cur vendentes notantur [illegible] Antichriſti.*

Et ſequitur attentionis excitatio, & profunditatis
C intelligentiæ inſinuatio.

HIC SAPIENTIA EST.] neceſſaria ad intelligendum, tam alta myſteria, *qui igitur habet intellectum*. id eſt ſenſum, & gratiam intelligendi, & numerandi, *computet numerum beſtiæ*, id eſt litteras nominis eius, quibus computatis poterit cognoſcere ipſam beſtiam eſſe purum hominem licet dicat ſe eſſe Deum, *Numerus enim hominis eſt*, qui videlicet poteſt numerari, & per quam ipſe Antichriſtus conuincitur eſſe purus homo, quamuis Antichriſtus per hunc numerum ſe velit Deum dicere, & vt nos iſtius numeri cognitio certos faciat, ipſum numerum euidenter declarat dicens, *Et numerus eius eſt, ſexcenti ſexaginta ſex*, id eſt litteræ nominis eius talem nume- Vers.18.
D rum ſignificant.

*Antichriſtus purus homo, & quomodo.*

Intendit ergo dicere beatus Ioannes quod attendamus diligenter, & teneamus nobis magis noſcendo ipſum eſſe purum hominem, & non Deum, quia iſte liber fuit editus inter Græcos, & ideo gloſſa remittit nos, ad morem Græcorum apud quos ſingulæ litteræ numeros proprios continent, & ſignificant, appellatur Antichriſtus ergo apud Græcos Antemos, id eſt contrarius Chriſto quod continet numerum præcedentem, ſcilicet ſexcenteſimum ſexageſimumſextum, verbi gratia. A, ſignificat vnum, n, centeſimum primum, t, treceteſimum, e, centeſimum primum, m, quingenteſimum, o, quadrageſimum, s, duceteſimum, quæ ſimul collecta faciunt prædictum numerum ſexcenteſimum ſexage-
E ſimum ſextum. Item ſecundum Græcos vocatur alio nomine, ſcilicet arnoxme quod dicitur negatio, quia ipſe negabit Chriſtum, & fidem eius. Item apud Hebræos vocatur Titan, id eſt ſol, quia dicet ſe eſſe ſolem iuſtitiæ, eundem numerum penitus innuens. Item ſecundum Latinum, vel Latinos dicitur nomen eius quo ſe vocari faciet Dic-lux, quia ipſe dicet ſe eſſe lucem mundi. Et per hæc nomina idem numerus habetur apud Latinos, nam D, ſignificat quingenteſimum, I, vnum, C, centeſimum, L, quinquageſimum, V, quintum, X, decimum, nota quod in iſto numero inuenitur, denarius propter perfectionem fidei, denarius propter perfectionem Decalogi, centenarius propter obſeruantiam charitatis, & conſiliorum quæ ipſe omnia dicet ſe cuſtodire.

*Varia Antichriſti nomina.*

Præterea nota quod numerus ſenarius attribuitur

*Numerus ſenarius tribuitur creaturæ.*

perfectioni creaturæ, quæ in ſex diebus fuit creata. A Ternarius numerus attribuitur diuinitati, vbi eſt trinitas perſonarum, & in Chriſto trinitas naturarum, ſcilicet diuina natura, corpus, & anima.

*Numerus Antichriſti.*

His viſis & prænotatis, eſt notandum quod Beatus Ioannes dicit: *Hæc eſt ſapientia, qui habet intellectum computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius, ſexcenti ſexaginta ſex*, quaſi dicat Beatus Ioannes ex quo numerus Antichriſti vadit per ſenarium numerum, qui creaturæ attribuitur, non creatori, ſcias ipſum eſſe meram creaturam, & purum hominem, non autem Deum.

*Quis veram ſapientiam inuenit.*

Quia hic fit mentio de ſapientia. Ideo ſciendum, & notandum quod tu inueniſti ſapientiam ſi præſentis vitæ defleas peccata, ſi huius ſæculi deſideria paruipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas, ſapientia autem hominis, ex ſex conditionibus innoteſcit, ſcilicet ex prouidentia regendi familiam, erogandi ſubſtantiam, contrahendi amicitiam, euitandi moleſtiam, præcauendi malitiam, cuſtodiendi vniformitatis decentiam, per hunc modum ſapientia iuſti primo innoteſcit in regendo familiam omnium ſenſuum. Secundo Paralipomen. ſecundo. *Da mihi ſapientiam*, &c. Tertio in contrahenda amicitia cœleſtium ſpirituum, Prouerbiorum decimooctauo, *Homines peſtilentes diſſipant ciuitatem, ſapientes adiiciunt bona.* Quarto in euitanda moleſtia affligentium, Prouerbiorum ſecundo, *Qui patiens eſt, multa gloriabitur ſapientia.* Quinto in præcauenda malitia C hoſtium incurſu, & tumultu Eccleſiaſtis ſecundo. *Ciuitas parua & pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus, & vallauit eam.* Et ſequitur, *Inuentus eſt vir pauper, & ſapiens in ea, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam.* Sexto in cuſtodia irreprehenſibilium actuum, Prouerbiorum ſexto, *Sapientia clara eſt, & nunquam marceſcit.*

*Sapientia ex ſex conditionibus innoteſcit.* — *Paral. 2.* — *Prou. 18.* — *Prou. 2.* — *Eccl. 2.* — *Prou. 6.*

*Sex vtilitates ſapientiæ.*

Nota quod ſex ſunt vtilitates ſapientiæ; ſapientia enim euehit hominem in ſplendorem cognitionis, in feruorem dilectionis, in ſaporem prægustationis, in ardorem deuotionis, in vigorem operationis, in dulcorem beatificationis. Hæc ſufficiant quantum ad iſtam partem, & quantum ad decimumtertium caput, in quo deſcribitur conflictus exercitus Antichriſti, D vel draconis contra Eccleſiam ſanctam.

# SYNOPSIS CAPITIS DECIMIQVARTI.

*NE perſecutionis mouendæ ab Antichriſto eiuſque ſectatoribus, magnitudine ac terrore, fideles deſponderent, oſtenditur hoc capite illuſtriſſima gloria propoſita, iis qui temporum E illorum acerbitatem inuicta fidei conſtantia animique celſitudine ſuperauerint: & quoniam cæteris duo hominum genera præſtabunt, vnum eorum qui in tanta hominum malitia, morumque licentia, virginitatem ſeruauerint: alterum eorum qui formidanda illius temporis tormenta animoſe pertulerint, mortemque pro Chriſto oppetierint, horum præcipuè Ioannes gloriam fœlicitatemque commemorat, ſimulque perſecutores Babylonis, ruina & ſuppliciorum eos manentium comminatione perterrefacit.*

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes B nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.

2. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.

3. Et cantabant quaſi canticum nouum, ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.

4. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.

5. Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.

7. Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, mare, & fontes aquarum.

8. Et alius Angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: ſi quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua.

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, &

crucia

cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni.

11. Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam, & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.

12. Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.

13. Et audiui vocem de cœlo, dicentem mihi: ſcribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

16. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.

17. Et alius Angelus exiuit de Templo, quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcem acutam.

18. Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem: & clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ eius.

19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

20. Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

---

## *EXPOSITIO VNDECIMI Capitis.*

VERS. 1. ET VIDI, ET ECCE AGNVS STABAT SVPRA MONTEM SION] Deſcripta pugna Eccleſiæ militantis, hic deſcribitur auxilium Eccleſiæ triumphantis: Vnde ſub ſimilitudine Agni, primo deſcribitur adiutor principaliter. Secundo eius ſocietas virginalis, ibi, *Et cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Tertio prædicitur æquitas iudicij finalis, ibi, *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli.* Quarto malorum interitus interminabilis, ibi, *Et alius Angelus ſecutus eſt dicens, cecidit Babylon.* Quinto adorantium beſtiam punitio infallibilis; ibi, *Et tertius Angelus ſecutus eſt dicens, voce magna: Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius,* &c. Sexto Sanctorum gloria inexpreſſibilis, ibi, *Et audiui vocem de cœlo dicentem, ſcribe: beati mortui qui in Domino moriuntur.*

*Eccleſia militans à Deo protectore defenditur.*

Dicit ergo, ET ECCE AGNVS.] ſcilicet Chriſtus Ieſus per mititatem, & innocentiam, Ioannis primo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, mundum perditum temperando, hoſtem domeſticum ſubiiciendo, morte mortem ſuperando.

*Ioan. 1.*

STANTEM.] per opportunitatem protectionis, *ſupra montem*, ſcilicet ſupra Eccleſiam quæ monti Sion comparatur per celſitudinem contemplationis, ſpeculationis & internæ eleuationis, ſtare igitur dicitur Agnus, & vt Dominus, quia conſiliator oppreſſorum, ſed ſedere dicitur, vt iudex, quia ductor viatorum, dicitur ambulare vt ſocius, quia dux peregrinorum, & ſequitur eius ſocietas generoſa.

*Eccleſia mons.*

*Chriſtus dicitur ſedere, ſtare, ambulare.*

ET CVM EO CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA,] vbi deſcribitur virginale ſtipendium quantum ad fructum in centenario, quantum ad gradum in millenario, *habentes nomen eius*, per conformitatem chriſtianitatis, *& nomen patris eius*, per participationem diuinitatis. Per nomen Chriſti intelligitur præmium accidentale, & per nomen patris præmium eſſentiale, *ſcriptum in frontibus*, quantum ad indelebile memoriale, & contra illos qui volunt facere ſibi nomen.

ET AVDIVI VOCEM DE COELO TANQVAM VOCEM AQVARVM MVLTARVM,] propter abundantiam puritatis, & munditiæ, *& tanquam vocem tonitrui magni*, propter clangorem prædicationis euangelicæ, *vocem quam audiui ſicut Cytharœdorum cytharizantium in Cytharis ſuis*, per exemplum auſteritatis & pœnitentiæ ſecundum Hieron. in tractatu de inſtrumentis cythariſantibus, figura Cytharæ primitus dicitur fuiſſe facta ad ſimilitudinem pectoris humani, & dum pulſatur, pectori apponitur, vt eius vox comprehendatur, & ideo merito carnis mortificationem ſignificat, quæ dicitur ſeptiformi ſpiritu modulata.

VERS. 2.

*Cythara mortificationem carnis deſignat.*

ET CANTABANT QVASI CANTICVM NOVVM,] per nouitatem glorificationis, & nunquam veteraſcet ante ſedem præcelſæ maieſtatis, *& ante quatuor animalia & ſeniores*, quibus debetur veneratio ratione multiplicis probitatis.

VERS. 3.

Sed hic quæruntur duæ quæſtiones. Prima cum dicatur ſuperius quod cantabant quaſi canticum nouum, qualiter cantabant, cum ſit vera integritas mentis & cordis in ſacris virginibus, de quibus loquitur hic? Reſponſio ſecundum Richardum, quod ante glorificationem corporũ perfectio gaudij nõ habetur. Sed poſt reſumptionem corporis erit perfecte nouum canticum, quia tunc perfectè erit nouitas, quando perierit tota vetuſtas, de ipſo cantico loquitur Gregor. in paſtorali. Singulariter coram agno cantare eſt præ cunctis fidelibus de carnis incorruptione gaudere. Et ſequitur hoc canticum alij audire poſſunt. Sed dicere nequeunt, quia per charitatem in earum celſitudine ſunt beati, quamuis ad eorum præmia aſſurgant? Secunda quæſtio eſt, quale debet eſſe canticum religioſorum in hac valle miſeriæ. Et pro reſponſione, nota quod ſecundum Hugonem de clauſtro animæ in Eccleſia ad opus Dei neceſſarium eſt, vt humilitatis honeſtas diligentius obſeruetur, ne vbi ante conſpectum Dei conuenimus, ibidem deteriores ſimus. Nam ſunt quidam qui mente & ocu-

*Poſt reſurrectionem erit nouum canticum.*

*Hugo.*

lis & habitu diſſoluti plana parietum proſpicientes, perluſtrant,iſtud cantant & aliud cogitant, in choro ſunt in corpore,ſed mentaliter ſunt in foro. Sunt alij qui aliud cantant quod libri habeant, fortaſſis vt placeant ſæculo magis quam Deo. Nemo cantet altius eo quod Dominus audire conſueuit de monte ſancto ſuo. Eſto ergo in valle humilitatis vt de monte ſancto audiri merearis,ſi ſic cantas vt ab aliis laudem quæras,vocem tuam vendis & facis illam non tuam, ſed tantum vendis illi pro quo cantas.

Et nota quod ſicut ad ſonum hæc principaliter requiruntur,ſcilicet pulſus,organum, per organum flatus,per flatum formatio vocis cum qua cantatur, ſic ad cantum ſpiritualem requiritur cantus mentalis,& eſt cognitio flatus fluuialis lachrimabilis, & contritio finaliter tanquam,ad quam meritoria operatio finem debent omnia ordinari. Et ſic cantus noſter in Deum debet mentaliter ordinari. Sicut cantus Chriſti,in quo ſunt ſex voces inter ſe conſonæ & concordes. Prima eſt obedientiæ promptitudo atque ſubiectio.Secunda carnis mortificatio,fraterna compaſſio, materna conſolatio,indefeſſa oratio,accenſa deuotio. In his ſex vocibus auditur canticum charitatis,iubilus vnitatis,mel deuotionis,dulcedo cōtemplationis.

*Cantus Chriſti ſex vocibus conſtat.*

Et ſequitur conditio virginitatis quæ hic commendatur in ſex conditionibus. Et primo à ſpirituali iucunditate. Cum dicit. *Et nemo poterat dicere canticum*, id eſt de integritate mentis & corporis habere gaudium proprium, de quo gaudio Auguſt. de bono virginali. Vos offertis ad nuptias agni canticum nouum,quia cantatis in cytharis veſtris, non tale quale cantat vniuerſa terra, ſed tale quale non niſi vos, & niſi illa centum propter patriæ cæleſtis adeptionem, quadraginta propter legis & euangeliorum impletionem, quatuor propter virtutum principalium exercitationem, millia propter totius iuſtitiæ conſummationem, *qui empti ſunt de terra*, id eſt ſeparati à carnis concupiſcentia per ſpiritualem regenerationem.

*Canticum Virginum.*

Secundo commendatur virginitas à perfecta integritate.

*Virginitas commendatur.*

VERS. 4. HI SVNT QVI CVM MVLIERIBVS NON SVNT COINQVINATI,] mente nec corpore. Non enim prodeſt habere virginitatem in corpore, ſi contigerit corruptam animam poſſidere. Illa enim virginitas ſponſa Chriſti eſt,cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculat,caſtitas enim corporis ſine caſtitate mentis eſt quaſi ſpica ſine grano, burſa ſine argento,nux ſine nucleo,dolium ſine vino. *Virgines enim ſunt*,ſcilicet mente & corpore, de qua virginitate Ambroſius, ſupergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ,per quam homines Angelis aſſimilantur, maiorem victoriam quam Angelorum habent:Angeli enim ſine carne viuunt,corruptibilem vero carnem virgines vincunt.Et Auguſt.de doctrina chriſtiana. Nunc vobis virgines venerabiles ſermo eſt, quarum ſublimior gloria eſt,& maior cura debet eſſe de ea ſcilicet cuſtodia, quia cito poteſt amitti & nunquam reparari.

*Caſtitas corporis & mentis.*
*Virginitatis encomia.*
*Auguſt.*

Tertio commendatur à virtuoſa conformitate,quia *Hi ſequuntur agnum quocunque ierit*, &c. imitantur Chriſtum vtroque pede, ſcilicet mentis & corporis integritate. *Et quocunque ierit*, ſiue via præceptorum ſiue via conſiliorum Vnde Bernard. ſequitur ad redemptionem ſicut omnes ſequuntur ad præcepta, ſicut plures ſequuntur ad conſilia, ſicut pauci ſequuntur ad virginitatem, quia pauci obſeruant virginitatem tanquam ſtatum altiſſimum. In carne enim præter carnem viuere, Angelica vita non humana, poſſunt enim ſequi ad Martyrium,ſed Martyres non poſſunt ad Virginitatem.

*Commendatur virginitas à conformitate.*
*Difficilis virginitas.*

Hic quæritur cum prædicatoribus & Martyribus debeatur aureola, & virginibus, quare magis dicitur de ipſis quod ſequuntur agnum quocumque ierit, quam de aliis?Quæro etiam quare iſtis gradibus debetur aureola ſpecialiter?Reſpondeo, virginitas eſt ſignum innocentiæ generaliter, iterum præuicationem & martyrium aliquando peccata præceſſerunt vt patet in Paulo qui de perſecutore factus eſt prædicator,& latro in carne factus eſt Martyr. Sed virginitas cuncta præcedit,& ideo ſpecialiter nominatur. Ad ſecundum reſpondeo,tres ſunt vires animæ principales,rationalis,concupiſcibilis,& iraſcibilis,potiſſimus autem actus rationalis eſt prædicatio veritatis, & huiuſmodi conuenit prædicatoribus veritatis, & potiſſimus actus concupiſcibilis eſt obſeruantia virginitatis,& hoc virginibus:potiſſimus actus iraſcibilis conceptus mortis,& hoc martyribus.Primus actus vincit falſitatem mundi. Secundus voluntatem carnis Tertius honorem mortis. Et ideo propter iſtam triplicem victoriam ſpecialem datur iſtis tribus actibus aureola ſpecialiter.

*Cur aureola tribuitur Virgini martyri & doctori.*

Quarto commendatur à ſingulari familiaritate, HI EMPTI SVNT EX HOMINIBVS PRIMITIÆ DEO ET AGNO,]id eſt ſeparati quadam prærogatiua, ſicut eligitur ex fructu regis melior fructus, & ex equis melior equus, *Deo ſcilicet patri & agno*,ſcilicet filio.

*Commendatur virginitas à ſingulari familiaritate.*

Sed quare non dicitur Spiritui ſancto cum ſit trinus honor vnus?Reſpondeo,Spiritus ſanctus,ſcilicet eſt nexus & amor Patris & Filij,in illis nominatis intelligitur, virginitas autem figurata eſt in lege per primitias, quare non licebat redimere ſed offerre, in primitiis autem inuenitur pretioſitas,ſpecioſitas,gratioſitas, quæ ſimiliter in virginitate contingit reperiri.

*In primitiis reperiuntur tria:commendatur virginitas ab infallibili veritate.*

Quinto commendatur ab infallibili veritate. ET IN ORE IPSORVM NON EST INVENTVM MENDACIVM,]videlicet alicuius impuritatis, quia quod in baptiſmo promiſerunt fideliter ſeruauerunt, ſunt VERS. 5. autem vt dicit Auguſt. in lib. de mendacio ſeptem genera mendaciorum, primum inquit eſt in quod nulla cauſa debet quis abduci, ſecundum quod tale eſt,vt nulli proſit ſed obſit alicui, tertium quod tale eſt quod ita obſit vni quod obſit alteri, quartum quod ſit ſola cauſa mentiendi fallendique libidine, quintum quod ſit placendi cupiditate, ſextum quod nulli obeſt ſed prodeſt alicui vt ſi quis volens hominem ad mortem prodere mentiatur, ſeptimum quod nulli obeſt & adhuc prodeſt vt ab immunditia corporis curatur, & pro his tanto quis petat, minus tamen mentitur quanto magis à primo recedit,ecce ergo mendacium ſummopere fuge,quia *os quod mentitur occidit animam*.Sap.2.

*Septuplex mendacium.*
*Sap.2.*

Sexto commendatur à præcipua felicitate, *ſine macula ſunt ante thronum Dei*, id eſt ante Deum iudicem licet omnes ſancti ſint ſine macula ante thronum Dei quia ſine corruptione & à peccatis purgati. Tamen in comparatione aliorum dicuntur virgines eſſe ſine macula ob integritatem mentis & corporis, ſine macula ergo ſunt carnalitatis & luxuriæ. Eccleſ. 47. dicitur de Salomone.Sinceritatem habuiſti in corpore tuo, & dediſti maculam in gloria tua. Sine macula ſunt voracitatis & gulæ.In canonica Iudæ dicitur, *hi ſunt in epulis ſuis male conuiuantes*. Sine macula procacitatis linguæ. Iac.3. *Lingua maculat totum corpus*. Sine macula ſunt cupiditatis & auaritiæ. Eccleſ. 35. *Beatus diues qui ſine macula*, &c. Et ſequitur. *Quis eſt hic & laudabimus eum*, quaſi dicat. Si quis talis eſt magnus eſt.

*Commendatur virginitas à præcipua felicitate.*
*Eccl.47.*
*Iud.1.*
*Iacob.3.*
*Eccli.35.*

Nota tamen quod ſeptem inueniuntur in ſcriptura qui poſt aurum & argentum non abierunt ſed potius manus ſuas ab omni munere excuſſerunt. Et hi dicuntur ſine macula.Primus eſt Abraham, Geneſ.14. Qui regi dicenti, *da mihi animas, cætera tolle tibi.* Reſpondit. *Leuo manus meas ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ quod à filo ſubtegminis vſque ad*

*Gen.14.*

*ad corrigiam caligæ nõ accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas, Ego ditaui Abraham.* &c. Per Abraham qui hoſtes occidit & prædam reduxit, intelliguntur aliqui ex Eccleſia, quia per mendacia ficta vel fienda non debent recipere munera magna vel parua. Secundus

*Num. 16.*

eſt Moyſes qui ait ad Deum Num. 16. *Quia nihil acceperim ab eis*, id eſt. quandoque volo munus: per Moyſem qui Leuitas inſtituit & ordinauit, ſignificantur Epiſcopi, qui pro collatione ordinum aut beneficiorum nullum munus debent recipere. Tertius eſt

*1. Reg. 12.*

Samuel, 1. Reg. 12. *Conuerſatus ſum coram vobis ab adoleſcentia mea ad diem iſtum. Ecce præſto ſum loquimini coram Deo & Chriſto eius. Vtrũ bouem cuiuſquã aut vitulum, aut aſinũ acceperim, ſi quempiã calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquẽ*, per hunc intelliguntur orãtes omnes pro aliis, ſicut de ipſo legitur, abſit à me hoc grande peccatum vt ceſſem orare pro vobis. Per hoc ergo ſignificatur quod ſacerdos pro miſſis celebrandis nullum munus

*4. Reg. 3.*

debet recipere. Quartus Heliſeus 4. Reg. 3. Qui à curato nihil voluit recipere, ſed dicit ad eum. *Vade & lauare ſepties in Iordane, & caro tua recipiet ſanitatem*, hæc ſeptima lauatio, ſacramentorum ſeptem ſignificat diſpenſationem, per quam fit mundatio animarum, pro qua nullus debet recipere munera. Quintus Da-

*Dan. 5.*

niel, Cui cum dixiſſet Baltazar, *ſi vales ſcripturas legere & interpretationem dicere, purpura veſtieris, & coronam aureã ſuper caput tuũ habebis, & ſecundus in regno meo mihi eris. Reſpondit munera tua tibi ſint & dona domus tuæ alteri da, ſcripturam autẽ legã & interpretationem oſtendã tibi ô rex*, per quod ſignatur quod Doctores ſacræ Scripturæ nullum munus debent recipere. Sextus fuit Pe-

*Act. 8.*

trus, cui cum diceret Simon Magus. *Da mihi hanc poteſtatem, vt cui impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum, Reſpondit, pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei æſtimaſti pecunia poſſideri*, per quod notatur quod operatio miraculorum in ipſa manu, gratia diſpenſationum non debet pro pecunia fieri. Septimus

*3. Reg. 21.*

fuit Naboth. 3. Reg. 21. Cui cum dixiſſet Achab, *Da mihi vineam tuam, vt faciam in hac hortum olerum, quia vicina eſt prope domum meam, daboque tibi vineam meliorem pro ea, aut ſi commodius putas, tibi argẽti pretium, quantum dignum eſt, dabo. Reſpondit Naboth propitius ſit mihi Deus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* Per quod oſtenditur quod decimæ & primitiæ & huiuſmodi non ſunt pro temporalibus communicanda, ibi damnatur æſtimatio & traditio beneficiorum, quæ fit intuitu lucri temporalis. Felices ergo ſunt, qui ſine his maculis ſunt ante thronum Dei.

*Virginum duodecim priuilegia.*

Nota quod virginũ exercitus de quibus hic fit mẽtio habẽt duodecim priuilegia, ſex ex parte Dei, & ſex ex parte ſui: ex parte Dei ſunt iſta, A Deo n. pulchrius adornantur, caſtius deſponſantur, carius obſeruantur, dulcius conſolãtur, ſtrictius amplexantur, felicius coronantur, perfectius confortantur, decentius conuerſantur, acceptius famulantur, ſecretius contemplantur, prudentius præſtolantur, ſincerius iucundantur. De primo nunquam obliuiſci poteſt virgo ornamẽti ſui & ſponſa faciei pectoralis. De ſecundo, Co-

*Cor. 5.*
*Num. 5.*
*Iſa. 42.*

rin. 5 *deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam*, &c. De tertio Num. 5. *puellas autem & omnes virgines ſeruate nobis* &c. De quarto Iſa. 42. *habitabit iuuenis cum virgine, habitabunt in te filij tui, & gaudebit ſuper te*

*Hier 31.*

*Deus tuus.* De quinto Hier. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui.* Et ſequitur, *Virgo Iſrael adhuc ornaberis tympanis tuis & gredieris in choro*

*Pſal 44.*

*ludentium.* De ſexto, in Pſal. *Adducentur regi virgines poſt eam* &c.

Ex alia parte ſui, ſunt priuilegia ſex, quæ immediate poſt prædicta numerantur. Et primum eſt. Quod perfectius confortantur, *Virgines enim ſunt, & ſequuntur*

*Zach. 1.*

*agnum quocunque ierit.* De ſecundo Zachar. 1. *Quid enim bonũ eius eſt, & quid pulchrũ eius niſi frumentũ electorũ &*

*3. Reg. 1.*

*vinum germinans virgines.* De tertio 3. Reg. 1. *Quæramus Domino noſtro adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo.* De quarto, 1. Cor. 7.

*1. Cor 7.*
*Matth. 26.*

*Mulier innupta & virgo cogitat quæ Dei ſunt.* De quinto Matth. 26. *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ & ornauerunt lampades ſuas.* De ſexto Hierem. 31. *Tunc lætabi-*

*Hier. 31.*

*tur virgo in choro iuuenes & ſenes ſimul*, eſt Virginitas,

*Virginitatis encomia,*

curarum ſilentium, pax charitatis, redemptio vitiorum, principatus virtutum, cognatio Angelorum, & adeptio æternorum. Nota quod quatuor integrant

*Quatuor integrant virginitatem.*

virginitatem, ſcilicet illibatæ carnis integritas, moderati ſermonis grauitas, diſciplinati geſtus maturitas, ordinati operis ſtabilitas. Compoſitum reddit puellarem corporis ſtatum, necnon & mentis habitum diſciplina, ceruicem ſubmittit, deponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram ſedat, formidat inceſſum. Talibus decet pudicitiæ veſtem diſtingui margaritis: illam autem virginem accepriſſimam ſpõſo Chriſto opinor in qua iſta concurrunt, ſcil. volun-

*Quanam virgo gratiſſima Chriſto.*

tas beneuolentiæ, ſimplicitas verecundiæ, charitas beneficentiæ, humilitas obedientiæ, hilaritas patientiæ, ſpecioſitas conſcientiæ, longanimitas perſeuerantiæ, ſit ergo mulier, virgo voluntaria non coacta. Vnde Hieron. ad Euſtochium. Cur inquit de virgini-

*Quanam caſta vere dicenda.*

bus præceptum non habet Apoſtolus? quia maioris eſt meriti, quod non cogitur & offertur, abſit vt illam caſtam dixerim, quam pudor aut timor tantummodo cohibet. peccaret ſiquidem ſi auderet, timet ne concipiat, vel forte non inuenit qui apperat eam. Et Ambroſius, nec caſta eſt quæ metu cogitur, nec honeſta

*Iſa. 23.*

quæ mercede conducitur. Iſa. 23. *Non adiicies vltra vt glorieris calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis*, quæ cum virginitatem cuſtodiuit ex timore vel ex complexione vel correctione, ſi voluntas corrupta fuerit charitate non informata, priuatur merito penitus & virtute, ſit ergo virgo ſimplex & verecũda, nõ inceſſu, nec geſtu, non vultu, non affatu, non habitu arguenda, & cuius ſignum præcepit Apoſtolus vt teneret caput ſuum, non autem vt virgo quæ collo extenſo ambulat, nutibus oculorum & ſignis loquitur, manibus plaudit, cantilenas ſæculi promit, crinem tingit, faciem linit, cornua ceruorum erigit, quod non licet inſerit, in ſe allicit & decipit iuuentutem. Vel illa quæ ſic verecundiam perdidit, quæ venenum aut gladium videntibus porrigit, & proximorum domos igne comburit ex claritatis beneficio. Vnde Matt. 25. Reprobantur virgines fatuæ quæ non habebant oleum in lampadibus. Sicut ergo oleum præbet pabulum igni, ſic charitas adminiſtrat neceſſaria. Fulgebant ergo lampades fatuarum virginum claritate, ſed non ardebant ignea charitate, propter quod merito ar-

*Melius eſt virginem non eſſe quã de virginitate ſuperbire.*

guitur ſic. Et humilitate virgo ſubiecta. Melius eſt enim virginem non eſſe quam de virginitate habita ſuperbire. Vnde Bernardus. Audeo dicere ſine humilitate, nec virginitas placuiſſet Mariæ, ſic dicit. Iſa.

*Iſa 47.*
*Virgo impatiens.*

47. *Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylonis*, præfertur ſubiectio humilitatis.

*Hier. 3.*

Multi oblatrant virginibus, & iniurias inferunt tam in perſonis quam in rebus, patienter tamen ſuſtineant propter meritum caſtitatis, dicentes Hierem. 3. *Dux virginitatis meæ tu es.* Non ergo reſpondeant conuitiis, non exponant ſe publico in plateis. Virgo enim Deum quærit, caſta ſollicitudine amplexatur pudica, ſecretum conuentum ſit, & conſcientia virginis ſponſa caſta ſit mente & corpore. 3. Reg. 16.

*3. Reg. 16.*

Dicat ergo virgo Iſrael, nolo fieri proſtibulũ diaboli, quæ ſpõſa Chriſti effecta ſum, & Spiritus ſancti habi-

*Virgo vera habitaculum Spiritus ſancti.*

taculum. Non reclinatorium dæmonum, cum lilium ſim candens non cicuta fœtens fieri volo. Nunc turtur aut columba ſum. Tunc eſſem coruus allectus ci-

*Quid conſiderare debet virgo vt perſeueret.*

bo cadauerum, vel in ſtercore nidificans, vt Vpupa, hæc virgo in corde conſiderans iugiter tunc firmiter perſeuerat, quia finis non pugna coronat, vt ſcias au-

tem

tem qualiter cuſtodienda ſit virginitas,procura, vt in corde tuo ſit meditatio quæ dirigat intellectum,& deuotio quæ regat affectum. Sit in ore confeſſio quæ eiiciat malum,ſit lectio in exercitio, quæ inuitet ad bonum,ſit gratiarum actio quæ glorificet ſponſum, ſit in opere carnis mortificatio,quæ interius fomitis ardorem exterminet,ſit ſecreta conuerſatio quæ peccatorum actiones excitet. Vnde Bernardus, ô virgo ſancta ſola eſto,vt illi placeas, qui te ſolum ex omnibus elegiſti,fuge publicum, fuge domeſticos ipſos. An ignoras te verecundum habere ſponſum, qui nequaquam cæteris præſentibus ſuam velit præſentiam exhibere?

*Virgo publicum fugiat.*

VERS. 6.

ET VIDI ALTERVM ANGELVM VOLANTEM PER MEDIVM CÆLI.] Deſcripto duce Eccleſiæ,cum familia ſua numeroſa,hic deſcribitur exhortatio prędicatorum viſceroſa ad tam potentē adductorē accedendi,& ſupradictā beſtiā fugiendi. Angelus ergo tenens typum pugnatoris dupliciter nos admonet. Primo prædicando propter timorem iudicij ne beſtiam adoremus. Secundo alliciendo,ſpe præmij,vt in bono perſeueremus. Prædicator ergo vitam Angelicam oſtentans, hic multipliciter commendatur,ab auctoritate,quia *Angelus*,ab agilitate,quia *volans*, ab humilitate, quia *per medium*, à veritate,quia *habentem*,&c. à finis æquitate,*vt euangelizaret*,à prædicationis communitate,quia *ſuper omnem gentem*.

*Prædicator commendatur à pluribus.*

Dicit ergo. ET VIDI ALTERVM ANGELVM,] id eſt prædicatorum collegium,in quo auctoritas legationis,*volantem* per celeritatem prædicationis, *per medium cæli*,id eſt eccleſiam virtutibus altam & lucidam per ſplendorem diuinæ cognitionis. Medium habet naturam continentiæ,affluentiæ,atque diſtantiæ. Per medium ergo volare, eſt de medio ſcripturæ accipere, per medium affluere, ſine acceptione diffundere iuxta illud Iſa. 6. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant.*

*Eccleſia cælum*

*Iſa.6.*

Nota quod ſeptiforme medium inuenitur ad quod poteſt reduci omnis ſcientia & prædicatio ſcilicet eſſentiæ,concordiæ,naturæ,diſtantiæ,doctrinæ, modeſtiæ,iuſtitiæ, primum eſt de conſideratione Metaphyſici,ſecundum eſt Phyſici, tertium eſt Mathematici,quartum eſt Logici,quintum Ethici,ſextum Politici,ſeptimum Theologici, primum medium eſt æternali origine primarium, ſecundum virtuali effuſione prævalidum tertium,eſt centrali poſitione profundum, quartum rationali manifeſtatione præclarum,quintum morali electione præcipuum, ſextum iudiciali recompenſatione æquatum, ſeptimum vniuerſali conciliatione paratum, primum medium attribuitur Chriſto in æterna generatione, ſecundum in incarnatione,tertium in Paſſione,quartum in Reſurrectione,quintum in Aſcenſione, ſextum in futura examinatione,ſeptimum in ſempiterna beatificatione. Debent ergo prædicatores habere alas ſiue pennas quatuor quibus volent. Ezechiel. 1. *Quatuor facies vni & quatuor pennæ vni.* Quatuor enim facies prædicatorum ſunt innocentiæ manſuetudo quæ per hominem, audaciæ magnitudo quæ per leonem,ſcientiæ plenitudo quæ per aquilam, patientiæ firmitudo quæ per bouem. Quatuor affectiones duæ à dextris & duæ à ſiniſtris,ſ.ſpes futuri boni & amoris: duæ à ſiniſtris, ſcilicet timor futuri mali,& dolor de præſenti malo. Sunt & quatuor pennæ, appetitus æternorum, intuitus veritatis, amplexus bonitatis,affectus aliorum ſalutis, nec ſufficit quod prædicator ſit animal ſic pennatum, niſi ſit vnus etiam de Seraphim alarus. Iſa. 6. *Seraphin ſtabant ſuper illud ſex alæ vni & ſex alæ alteri*, dicitur quarto habere ſex alas,ſcilicet lectionem & meditationem reſpectu ſui, verbum & exemplum, laudem orationis, & vocem confeſſionis reſpectu Dei.

*Medium quodlibet ſcientiæ.*

*Qualis conſtare debet prædicator qui eſt Angelus.*

*Ezech.1.*

*Prædicator Seraphim.*

Sequitur HABENTEM, ] id eſt annunciantem

*Cur euangelium æternum dicitur.*

A *euangelium æternum*, vel quia non ſuccedit aliud, vel quia permittit æterna ad diſcrimen legis quæ promittebat terrena.

Sed ad quid habebat Euangelium, *ecce vt euangelizaret*, id eſt annunciaret virtuosè, & cum auctoritate,ad Rom. 1. *non erubeſco Euangelium*, gratiosè & cum libertate reſpectu eorum quibus gratis Euangelium prædicamus. nobis virtuosè,& cum vtilitate. 2.Cor.10. *per Euangelium rogo vos, gerere ſtudioſe*, in prima veritate ad Gal.2. aſcendi autem ſecundum reuelationem & prædicaui eis Euangelium quod prædico in gentibus. Sic prædicator debet euangelizare, *ſedentibus ſuper terram*, id eſt terrena ſubiicientibus,*& ſuper omnem gentem*, id eſt gentiliter viuenti-

*Rom.1.*

*2.Cor.10.*
*Gal.2.*

B bus,*& tribum*,id eſt Iudæis omnibus, *& linguam & populum*, pro diuerſis nationibus dicens.

VOCE MAGNA,] id eſt cum vocibus & magnis deſideriis. Nota quod in prædicatione debet eſſe ſublimitas perfectionis. Iſa. 40. *Super montem excelſum aſcende, tu qui euangelizas Sion.* Auctoritas legationis, ad Gal. 7. *Traditum eſt Euangelium.* Subtilitas cognitionis. ad Epheſ.3. *Mihi autem omnium ſanctorum data eſt gratia gentibus euāgelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, illuminare omnes*, ſtrenuitas operationis. Secunda ad Timot.4. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euāgeliſtæ.* Timet enim caſto & filiali timore, qui timor permanet in æternum & in paradiſo. Timor ſeruilis mittitur foras per perfectam charitatem. *Et date illi honorem*, bene operandi, *quia venit hora iudicij eius*, vnicuique ſecundum opera ſua retribuendo, ſcilicet

VERS. 7.
*Quid in prædicatione requiritur.*
*Iſa 40.ad Gal.7.*
*Epheſ.3.*

*ad Tim.4.*

C perſecutoribus æternum ſupplicium, & fidei profeſſoribus ſempiternum præmium,ait,autem. *Venit hora iudicij eius*, ob breuitatem temporis, de iſto die loquitur Cyprianus dicens,in die iudicij, Chriſtus rationem requiret à nobis pro negligentia noſtra. Et dicet propter vos Incarnatus ſum in terris, palam conuerſatus ſum,propter vos flagellatus, conſputus, & palmis in facie cæſus,crucifixus,aceto potatus,paradiſum aperui vobis,regnum vobis obtuli,ſpiritum vobis miſi,quid poſtea facere debui & non feci,dicite mihi peccatores ſecundum naturam paſſibiles ac mortales? quid paſſi eſtis propter me dominatorem veſtrum, pro vobis impaſſibilis paſſus ſum. Tunc dices,verum eſt quod conſcientia noſtra meruit damnationem & pœnitentia non ſufficit ad ſatisfactio-

*Colloquium Chriſti iudicis.*

D nem. Sed certum eſt quod miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem.

Et ideo ADORATE EVM,] humiliando,ſubiiciendo, & tanquam verum Deum colendo,*qui fecit cœlum*, quantum ad corpora ſuperiora, *& omnia quæ in eis ſunt*, quantum ad contenta,*& fontes aquarum*, quantum ad flumina.

Sed quæritur quare facit differentiam inter fontes aquarum,& mare cum ad locum,vnde exeunt flumina reuertantur? Reſpondeo licet omnes aquæ per meatus ſubterraneos tranſeant & fluant ad mare, tamen quia ſic effluendo purificantur, & dulces efficiuntur,ideo cadunt ſub alia differentia ab aquis marinis,& ex oppoſito dicuntur,quia dictum eſt in medio timete Deum & date illi honorem, quia venit hora

E iudicij eius, prætet iſta quæ dicta ſunt aliàs de die iudicij alia ſunt hic interſerenda ex variis locis ſacræ ſcripturæ collecta.

Et primo de deſcriptione illius diei ſecundum Iſa. 13. *Ecce dies Domini venit crudelis, & indignatione illius plenus ad ponendum terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam ſtellæ cæli,& ſplendor earum non expandet lumen ſuum, & obtenebrabitur ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo,& viſitabo ſuper orbem malum, & contra impios in iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium & arrogantiam fortium humiliando,propter hoc omnes manus diſſoluentur,& ira cor hominis tabeſcet & conteretur,torſiones*

*Iſa.13.*
*Deſcriptio terribilis diei iudicii.*

*&*

*& dolores tenebunt quaſi pariens dolebunt, vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum.* Et
Soph. 1. Soph. 1. *dies illa dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, quia conſummationem cum feſtinatione faciet & cunctis habitantibus terram & ſuperueniet repentina dies illa tanquam laqueus maris qui ſedent ſuper faciem omnis ter-*
Matth. 24. *ræ.* Matth. 24. *quoniam ſicut fulgor exit ab oriente & apparet vſque in occidentem; ita erit aduentus filii hominis: dies enim Domini ſicut fur ita in nocte veniet. Cum dixerit pax & ſecuritas. Tunc repentinus ſuperueniet interitus.*

B De præcedenti autem tribulatione nos præcedet aliqua tribulatio, qualis nunquam fuit ab initio mundi vſque modo, nec fiet & niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. *Surget enim gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum & terræ motus magni erunt per loca & peſtilentiæ & fames, terroriſque de cælo & tempeſtates, erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis & mari, preſſura hominum præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, & ceſſantibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperueniet vniuerſo orbi. Inſurgent ergo pſeudo-Chriſti & pſeudo prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, vt in errorem ducantur & ſi fieri poteſt electi, tunc reuelabitur homo peccati filius perditionis qui aduerſarius eſt, & extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus, quem interficiet ſpiritu oris ſui Dominus Ieſus Chriſtus.* Mittetur autem Helias Propheta poſtquam dies veniet Domini magnus, & horribilis & conuertet corda patrum ad filios & corda filiorum ad preces eorum, cum quo veniet & Enoch, & prophetabunt dies. 1240. amicti ſaccis & cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos & occidet, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus eſt, & poſt tres dies & dimidium, ſpiritus vitæ intrabit in eos, veniet autem Dominus ad iudicium non ſolum cum Angelis, ſed cum ſenatoribus populi ſui, id eſt Apoſtolis: nobilis enim in portis vir ſedit cum ſenatoribus terræ: ſedebunt autem ipſi ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael, aſpiciebam, inquit, Daniel, donec Throni poſiti ſunt & Antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius quaſi nix candida, & capilli capitis eius quaſi lana munda. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius quaſi ignis accenſus. Et fluuius igneus & rapidus qui egrediebatur à facie eius millia millium miniſtrabant ei & decies centena millia aſſiſtebant ei, Et quantus tunc erit timor & tre-
Dies iudicii timorem incutit. mor, quantus fletus & gemitus, nam ſi columnæ cœli contremiſcunt & pauescunt aduentum eius & Angeli pacis amarè flebunt, peccatores quid facient? ſi iuſtus vix ſaluabitur impius & peccator vbi pare-
Qualis futurus iudex. bunt: propterea clamabat Propheta. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine* quis non timeat iudicem potentiſſimum, quem nemo poterit effugere? ſapientiſſimum, quem nemo poterit latere? Iuſtiſſimum,
Iudex æquiſſimus. quem nemo poterit corripere? Iſte eſt iudex fortis, longanimis, qui nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio declinat à ſemita rectitudinis, ſed via regia ſemper incedens, nullum malum præterit impunitum,
Examen rigoroſum. nullum bonum irremuneratum. Quis vero non timet illud examen, in quo idem accuſator, aduocatus, & iudex, accuſabit eum cum dicet, *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare: Sitiui & non dediſtis mihi bibere,* aduocabit, cum ſubdet, *quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis,* iudicabit cum infert. *Ite maledicti in ignem æternum.* Non erunt teſtes in iudicio neceſſarij, quia manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri & tenebrarum, nihil enim occultum quod non reueletur. Tunc libri, i. conſcientiæ erunt aperti, & iudi-

A cabuntur mortui ex his quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera eorum,

O quantus erit pudor in peccatoribus & quanta confuſio, cum eorum nefandiſſima crimina cuncta erunt liquide manifeſta. *Beati* igitur *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ab illa ſen- Omnium reddenda eſt ratio.
tentia nũquam poterit appellari, quia pater omne iudicium dedit filio, *qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* O ſtrictum iudicium, in quo non ſolum de factis, ſed de omni verbo otioſo quodcunque locuti fuerint homines oportebit reddere rationem, vſque ad quadrantem nouiſſimum exigere debitum ex vſura. Sic ergo patet deſcriptio illius diei & præcedentium iudicium & iudicis formidabilitas, & ſententiæ irreuocabilitas.

Sequitur ET ANGELVS TERTIVS SECVTVS EST ILLOS DICENS VOCE MAGNA,] Hic introducitur tertius Angelus pronuncians damnationẽ æternam eis, qui adorauerunt beſtiam. Vnde dicit. *Et tertius Angelus,* propter fidem beatiſſimæ Trinitatis, *ſecutus eſt illos,* per concordiam virtutis dicens. *Voce magna* ſemoto omni terrore, timore, & tremore puſillanimitatis. VERS. 8.

SI QVIS ADORAVERIT BESTIAM,] id eſt Antichriſtum, qui nomine beſtiæ hic accipitur, *& imaginem eius,* id eſt ſtatuam eius, in honorem eius fabricatam, *& acceperit characterem eius in fronte ſua,* per ſui erroris profeſſionem, *aut in manu ſua,* per grauis ope- VERS. 9.
C ris exhibitionem.

HIC BIBET DE VINO IRÆ DEI.] Sicut Babylon, id eſt de æterna damnatione, *quia mixtum eſt mero,* id eſt præſenti flagellatione, quæ fit ad correctionem mentalem ratione ipſius vindictæ, quam iratus facit, licet cum moderatione. VERS. 10. Correctio Dei.

In hoc calice eſt vinum ſuperius, fæx inferius mixtum in medio, vinum igitur dicitur ſimplex, quando eſt in correctionem, mixtum quando eſt ad damnationem. Hic tamen dicitur mixtum, in inferno turbidum. Iſtud vinum datur puris in Eccleſia triumphante, mixtum in Eccleſia militante, quia non eſt ſine tribulatione, fæces in inferno. Vel aliter vinum purum eſt expoſitio Theologica, mixtum expoſitio Phyſica, fæces expoſitio Hæretica. Calix ergo ſacræ Vinum mixtum damna. tio æterna. Varia expoſitiones vini mixti.
D Scripturæ, eſt ex vino, id eſt ex intelligentia, ſcilicet Hiſtorica, Allegorica Tropologica, Anagogica. Primum lætificat & inebriat ſecundùm geſtorum narrationem, ſecundum quoad effectuum faciendorum inſtructionem, tertium intellectum, quoad intelligendorum oſtenſionem, quartum totũ hominem ad fugiendorum & appetendorum prælibationem, vel melius exponẽdo. Calix Domini eſt iuſtitia eius, qua vnicuique menſuratur præmium ſecundum meritũ. Merum eſt gaudium cæleſtis patriæ ſine admixtione doloris & triſtitiæ, per fæcem dolor damnationis æternæ ſine omni requie, permixtum eſt in hac vita, vbi mixta ſunt merum cæli & fæx inferni, vbi reperiuntur mixta ſimul tribulatio & conſolatio. In hac vita mixta conſolatio & tribulatio.

Senſus eſt ergo, quod quicunque acceperit characterem beſtiæ, imitando & ei ſe conformando.

HIC BIBET DE VINO IRÆ DEI,] ſcilicet æternæ VERS. 11.
E damnationis inferni, in calice iræ ipſius, id eſt in vita præſenti, quę ex amaris & dulcibus potionibus commiſcetur, in inferno non erit merum niſi interminabilis pœna, *& cruciabuntur igne & ſulphure,* igne inquit ardente & ſulphure fœtente. Iuxta illud. Pſal. Pſal. 10.
*Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum, in conſpectu Angelorum ſanctorum,* id eſt tunc videntibus ad maiorem confuſionem ipſorum, id eſt *ante conſpectum agni,* cuius iugum ſuauiſſimum contempſerunt.

ET FVMVS TORMENTORVM ASCENDIT,] id eſt VERS. 12.
durabit, *in ſecula ſeculorum,* quantum ad continuam perpetuitatem, *nec habet requiem die ac nocte,* quia erit miſeris

miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine A defectu, *qui adorauerunt beſtiam*, ei obediendo, *& imaginem eius*, tanquam Deum colendo, *& ſi quis acceperit characterem nominis eius*, confitendo & diuulgando, talis, inquam punietur pœna conſimili.

Pœna damnatorum. Sap. 5. De ineffabili anguſtia damnatorum in II. Sap. *Videntes turbabuntur timore horribili, gementes præ anguſtia ſpiritus & dicentes. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt*, ſupplicium erit intuenti gloriam beatorum. Et forte vt videtur Pſal. Sancti quoque viſuri ſunt reprobos in tormentis, quia *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum*. Ignis au- B tem inferni ſemper ardebit, nunquam lucebit, ſemper vret, & nunquam conſumetur, ſemper afficiet & nunquam deficiet. Eſt enim apud inferos ſumma tenebrarum obſcuritas, immenſa pœnarum acerbitas, infinita miſeriarum æternitas, tanquam in pœnis reprobi tolerabunt anguſtiam, vt nihil cogitare valeant præter pœnam ſed illuc dirigent imperum cogitationis, vbi vim ſenſerint doloris.

*Sancti viſuri reprobos in tormentis. Deſcriptio inferni Pſal. 57.*

Sane diſcipulus fertur apparuiſſe magiſtro ſuo poſt mortem, quem magiſter cum intellexiſſet eſſe damnatum, quæſiuit ab eo. Verùm aliquæ quæſtiones apud inferos agitarentur, qui dicitur reſpõdiſſe apud inferos non eſſe aliquid aliud quam pœna. Ibi quærent homines mortem & non inuenient eam, qui deſiderabunt mori & fugiet mors ab eis. O mors quam dulcis eſſes, quibus tam amara fuiſti, te ſolam C deſiderantes optabunt qui te ſolum vehemẽter oderunt. Ibi erit fletus & gemitus & eiulatus & vlulatus, luctus & cruciatus, ſtridor & clamor, timor & tremor, dolor & labor, ardor & fœtor, obſcuritas & anxietas, acerbitas & aſperitas, calamitas & egeſtas, anguſtia & triſtitia, obliuio & confuſio, torſiones & punitiones, amaritudines, & fames, ſitis, & frigus, ſulphur, & ignis ardens in ſæcula ſæculorum.

*De pœnis damnatorũ.*

Nullus ergo ſibi blandiatur, & dicat quod Deus non in finem iraſcetur, nec in æternum comminabitur, homo namque peccauit ad tẽpus, non ergo Deus puniet in æternũ. Nec enim odiuit, quæ fecit. O ſpes vana & falſa præſumptio! Non credas fruſtra, errore deceptus, quod aliquibus ſis pretioſis redimendus, quoniam in inferno nulla eſt redemptio, bo- D nis ſic igitur Deus iraſcitur tẽporaliter, quia flagellas omnem filium quem receperit, pro quibus illud allegatum accipitur non in fine iraſcetur &c. Reprobis autem Deus iraſcitur æternaliter, quia iuſtum eſt vt qui in ſuo præuaricatur æterno Deus vlciſcatur in ſuo, nam licet peccandi facultas illum dimittat, ipſe tamen non dimittit voluntatem peccandi. Scriptum eſt enim, Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper, ergo damnatis, quia ſemper habent peccandi affectum ſemper erit in inferno ſupplicium, quibus fuerat in mundo peccatum. Impius ergo qui ſemper in ſe habebit reatum & culpam, ſemper ſentiet in ſe eſſe cruciatum & pœnam, quam ipſe per pœnitentiam non deleuit, Deus per indulgentiam non remittit. Sequitur profectus bonorum E ex tolerantia malorum.

*Cur reprobi in æternum damnantur?*

VERS. 12. HÆC EST PATIENTIA SANCTORVM, ] ſcilicet in hac vita, qui dum conſiderant quæ ſunt ſanctorũ gaudia, & reprobor um ſupplicia, patienter omnia perferunt propter Chriſtum, *qui cuſtodiunt mandata Dei*, opere adimplendo, *& fidem Ieſu*, verum Deum & hominem confitendo.

VERS. 13. ET AVDIVI VOCEM DE CÆLO DICENTEM MIHI. SCRIBE, BEATI MORTVI QVI IN DOMINO MORIVNTVR, &c. ] Oſtenſa damnatione Antichriſti ſequentium, oſtenditur retributio Chriſto adhærentium, quorum merces eſt quies interminabilis & vita perennis, propter quod accedendum eſt fiducialiter ad tantum & tam magnum adiutorem, vnde dicit. *Et audiui vocem de cælo dicentem mihi*, per interiorem inſpirationem. *Scribe* per diligentem retentionem, & ſupernam communicationem. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

*Præmium iuſtorum quale.*

Sed quomodo poſſunt mori qui mortui ſunt? Reſponſio, mors accipitur multipliciter in ſcriptura. Eſt enim primo mors culpæ quæ eſt mors animæ, de qua Sap. 1. dicitur, *Deus mortem non fecit*, id eſt neceſſitatem moriendi. Secundo eſt mors gehennæ, ſcilicet ipſa pœna inferni, de qua ſupra 3. cap. *Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda*. Hic dicitur ſecunda reſpectu præcedentis, ſicut effectus reſpectu cauſæ, quæ prior eſt morte ſecunda, & iſti moriuntur non cum Domino, ſed ſine Domino, & ideo miſeri, non beati, de qua in Pſalm. *Mors peccatorum peſſima*, mala inquam propter pœnarum diuerſitatem, peior propter acerbitatem, peſſima propter perpetuitatem, vel mala propter pœnæ intollerantiam, peior propter viſionis diuinæ carentiam, ſed peſſima propter Dei offenſam. Tertia mors eſt bona, quia homo moritur peccato, & peccatum aufert, quod fit per virtutem pœnitentiæ quæ peccatum interficit, in anima per contritionem & confeſſionem, & membra peccantis mortificat per ſatisfactionem, de qua ad Romanos ſexto. *Mortui ſumus peccato quomodo iterum*, &c. Quarta ſuperadditur, qua homo moritur mundo ſpiritualiter, & mundus homini, quam operatur ingreſſus clauſtri per votum & profeſſionem obedientiæ, ad Romanos ſexto. *Si etiam mortui ſumus cum Chriſto, credimus quod etiam viuemus cum eo*. Quinta mors eſt naturæ ſcilicet per animæ ſeparationem à corpore, de qua Geneſis ſecundo. *In qua hora comederitis morte moriemini.*

*Mors multipliciter dicitur. Sap. 1. Apoc. 3. Pſal. Mors peccatorum peſſima. Tertia mors. Rom 6. Gen. 2.*

Dubium igitur quod iſti qui mortui ſunt, tertia & quarta morte, moriuntur & quinta morte, ſed in Deo, & ideo ipſi ſoli beati, dicit igitur, *Beati*, ſcilicet per primam ſtolam acceptam, ſed beatificandi per ſecundam accipiendam, *qui in Domino*, id eſt in confeſſione Domini *moriuntur*, corporaliter per ſeparationem animæ à corpore. Sancti ergo moriuntur in Chriſto, & iſtis debetur ſtola immortalitatis, cum Chriſto, quibus debetur aureola dignitatis.

Item *beati mortui*, peccato, *qui in Domino*, id eſt propter Dominum & pro Domino mortem corporalem ſuſtinendo ſicut Martyres incliti. Vel ſpiritualiter intrando clauſtrum ſicut auſteri religioſi. Tales autem dicuntur beati, quia mors talium nihil aliud eſt quam corporis ruptio, peregrinationis terminus, laquei contritio, finis exilij, laboris meta, periculi euaſio, ruinoſæ domus exitus, deſcenſio equi præcipitis, reditus ad patriam, paternæ hæreditatis inueſtigatio, victoria pugnæ, ianua vitæ, propter quod Pſalm. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.*

*Mors iuſtorum. Pſal. 15.*

Econtrario autem mors peccatorum peſſima, quia eſt carceris introitus, peregrinationis initium, laqueorum expanſio, exilij principium, laboris inchoatio, periculi certitudo, domus infernalis habitatio, exitus à patria, paternæ hæreditatis priuatio, victoriæ deſperatio, ianua mortis æternæ, quia ſine Domino moriuntur, ideo ſunt infelices & miſeri, nam beati qui in Domino moriuntur, quia ſunt ab hoſtibus ſecuri, dæmon enim cum vitiis, homo cum beſtiis, Mundus cum elementis, caro cum ſenſibus inſidiantur, vt rapiant pauperem & trucident rectos corde. Beati etiam qui ſunt à periculis liberi, quorum quam infinitus eſt numerus, ſubito enim cum non ſperatur infortunium, accidit, calamitas irruit, morbus inuadit, mors intercipit, quia nullus euadit, & omnis amicus fraudulenter incedit. Et beati, qui à multiplici pœna

*Mors improborum peſſima.*

pœna ſunt expediti. Sæpe enim condemnatur innocens,& nocens abſoluitur, pius punitur & impius honoratur, Ieſus crucifigitur & Barrabas liberatur.

*Cur beati ſancti cum moriuntur.*

Hodie vir quietus,inutilis,religioſus hypocrita & fatuus reputatur, non ſolum autem beati dicuntur ſancti cum moriuntur propter prædictorum malorú euaſionem,imo cum hoc propter bonorum omnium adeptionem, quia de carcere ad regnum, de pugna ad victoriam, de labore ad requiem, de ſeruiture ad libertatem,de periculis ad ſecuritatem, de exilio ad patriam & æternam hæreditatem euocantur. *Amodo iam dicit ſpiritus*, id eſt beatiſſima Trinitas, quæ eſt vnus ſpiritus, *vt requieſcant a laboribus ſuis*, tranſacta B præſentis calamitatis inquietudine:*opera enim illorum ſequuntur illos*,id eſt merces operum vel pro operibus. Et infra capite vltimo *merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundum opera ſua.*

In verbo eius propoſito. BEATI QVI IN DOMINO MORIVNTVR,] Beatus Ioannes deſcribit viam vniuerſæ carnis, deſcribit autem illam quantum ad illud quod eſt neceſſitatis, quod eſt mori. Cum dicitur, *moriuntur*, quantum ad illud quod eſt benemori. Ibi, *qui in Domino*, quantum ad illud quod eſt felicitatis, quod eſt beate frui ibi. *Beati.*

VERS.14. ET VIDI ET ECCE NVBEM CANDIDAM, ET SVPER NVBEM SEDENTEM SIMILEM FILIO HOMINIS.] Deſcripta magnitudine retributionis, ſcilicet Chriſtus ad iudicium veniens cum familia ſua iudicium requirente,& ſententiam exequente,& eſt continentia huius partis in qua continetur deſcriptio iudicis infallibilis,& proceſſus iudicij irreuocabilis.

*Cur Chriſtus dicitur ſimilis filio hominis.*

Dicit igitur, VIDI, per ſpiritualem intelligentiam, *& ecce nubem candidam*, id eſt carnem Chriſti mundiſſimam, quæ candida dicitur propter ſummam puritatem. Et *ſupra nubem ſedentem*, id eſt animam Chriſti carni præſidentem, ad libitum ſuum, *ſimilem filio hominis*, imo vero filius hominis. Sed hæc dicit Ioan. quia cum eſſet immortalis & impaſſibilis propter inæſtimabilem dulcedinem charitatis accepit pallium noſtræ mortalitatis. Vel dicit *ſimilem filio hominis*, quia habet carnem ſimilem peccatrici. D *Habentem in capite ſuo coronam auream*, id eſt triumphantem victoriam. Vel coronam figuræ ſphæricæ, quæ non habet principium nec finem, *& in manu ſua falcem acutam*,& poteſtatem iudiciariam:falx enim habet naturam inciſiuam, diuiſiuam, collectiuam, vel ſegregatiuam, per quam ſententia Dei irreuocabilis deſignatur.

Verbum igitur propoſitum poteſt accomodari fœliciſſimæ pro humano genere Annunciationi Virginis glorioſæ,ab Angelo Gabriele factæ, vbi duo breuiter annotantur,ſcilicet Genitricis puritas inuiolabilis, quia vidi, & ecce nubem candidam irrefragabilis. Tamen ſecundum aſſumptæ naturæ veritatem, & ſuper nubem ſedebat, &c. quadruplici autem ex E cauſa, Virgo Maria nomine nubis datur intelligi in ſcripturis puritate ſpectabilis in ortu,quia ſanctificata quum nata. Vnde conuenienter comparatur nubi, quia ſicut nubes ex aquis ſalſis & amaris per quandam euaporationem oritur, aquæ continens dulcedinem, ſic Virgo oritur ex vtero matris munda, plena gratia & dulcore. Et omnino mirabilis in partu propter illibatam integritatem, fuit enim Virgo ante partum, & Virgo poſt partum. Et ideo nubi proprie comparatur, quia quemadmodum nubes in ſe ſplendorem ſolis recipit, & emittit ſine ſui corruptione, ſic Virgo Mater filium ſuum qui eſt ſplendor illuſtratiuus gloriæ concepit, ſine libidine & peperit ſine ſui contaminatione, de quo

*Matth.7.* poteſt intelligi illud Matthæi ſeptimo *Ecce nubecu-*



A *la obumbrauit eos.* Tertio, quia amabilis ſuccurſu propter ſui benignitatem, ſic nec nubes modico vento agitata velociter tunc, & imbrem fundit, ſic enim Virgo Maria modicum pulſata precibus pro peccatoribus intercedit. Vnde ſignatur per illam nubeculam de qua dicitur, 3. Reg.5. *Nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Quarto quia laudabilis, & perfecta per virtutum ſublimitatem, vnde quemadmodum nubes naturaliter expetit altum, quamuis ex ponderoſis contrahat originem, ſic Virgo Maria ſemper aſcendit de virtute in virtutem, tanquam autora conſurgens, terrenam ſubſtantiam deſerens, de qua Iſaiæ nono, *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum*, &c. Et ſequitur vehemens ſanctorum ſuſpirium ad iudicium poſtulantium & præſtolantium.

*Maria facile ſubueniens.*
*3.Reg.5.*
*Iſa.9.*

Vnde dicit, ET ALTER ANGELVS]quantum ad ſanctorum collegium, *exiuit de templo*, quantum ad internum deſiderium, *clamans voce magna*, per feruorem & inſtantiam, *ad ſedentem ſuper nubem*, & ad Chriſtum Eccleſiam regentem, *mitte falcem ſuam*, id eſt exerce & exequere poteſtatem iudiciariam, *& mete* colligendo ſanctos in horreum, quia *venit hora vt metatur*, exſoluendi iuſtis repromiſſum brauium, *quoniam aruit meſſis terræ* id eſt con- C ſummata eſt nequitia terrena concupiſcentium. Vnde Beda, abundante iniquitate,& æſtu malorum incumbente, hora eſt colligere electos, & mittere in horreum. VERS.15.

Sed quæritur qualiter hoc exponatur de ſanctis deſiderantibus iudicium. Cum dicat Propheta, *Non intres in iudicium cum ſeruo ſuo Domine, quia non iuſtificabitur in* &c. Reſponſio. Hic loquitur de ſanctis deſiderantibus iudicium,vt videlicet mali à malitia refrænentur,& boni liberentur & glorificentur. Et ſequitur,poſtulatæ ſententiæ executio.

*Cur Sancti iudicium deſiderant.*

ET MISIT QVI SEDEBAT SVPER NVBEM.] id eſt Chriſtus Eccleſiæ præſidens, vel in nubibus cœli ad iudicium veniens, *falcem ſuam in terram*, terrenos colligendo, *& meſſuit terram*, æterno ſupplicio adiudicando. VERS.16.

ET ALIVS ANGELVS EXIVIT DE TEMPLO QVOD EST DE COELO, HABENS ET IPSE FALCEM ACVTAM, &c.] Deſcripto iudice cum aſſiſtentibus, & iudicium poſtulantibus,hic deſcribitur proceſſus iudicij cum approbantibus & præcedentibus. Et iſti ſunt Apoſtoli, & viri Apoſtolici,iuxta illud,Matthæi decimonono. *In generatione cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis,& vos ſuper ſedes duodecim,iudicantes,duodecim tribus Iſrael.* VERS.17.

*Matth.19.*

Dicit ergo,ET ANGELVS ALIVS] id eſt cœtus & chorus Apoſtolicus plenus candidatione *exiuit de templo*,quod eſt in cœlo, quia in cæleſti habitatione, *habens & ipſe falcem acutam* poteſtatiua Iuriſdictione,Sapientiæ tertio,*Iudicabunt ſancti nationes, dominabuntur populis.*Et Iſaiæ tertio, *Dominus ad iudicium veniet cum populis ſuis.*

*Sap.3.*
*Iſa.3.*

Ad euidentiam litteræ quæritur, an ſolus Chriſtus iudicabit? videtur quod ſic, quia Romanorum quinto,*Pater omne iudicium dedit filio*,ergo ſolus Chriſtus iudicabit, contrarium habetur in littera. Reſponſio. Iudicare dicitur aliquis dupliciter, ſcilicet propriè & interpretatiuè, & propriè vero quatuor modis.Primo vt iudex ordinarius habens plenitudinem poteſtatis, & ſic tota Trinitas iudicabit. Secundo vt Iudex delegatus,iudicium ferens, & ſic filius iudicabit, iuxta illud Pſalmiſtæ. *Deus iudicium tuum regi da & iuſtitiam tuam filio regis.* Ioannis quinto. *Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.*Tertio velut aſſeſſor iudicij aſſiſtens, & ſic

*Iudicare proprie dicitur quatuor modis.*
*Ioan.5.*

Apoſtoli,& viri Apoſtolici iudicabunt. Quarto velut iudicium continens, & ſic lex iuſtitiæ, conſcientiæ, lex euangelij, & Moyſi iudicabunt.

*Iudicare interpretatiuè dicitur quatuor modis.* Similiter interpretatiue, tunc quis dicitur iudicare quatuor modis. Primo ſententiæ à Deo latæ approbatione, & ſic iudicabunt omnes ſancti. Secundo ſub auctoritate ad iudicem delegatum, quadam aſſimilatione, & ſic omnes pauperes oppreſſi à tyrannis, & diuitibus, illos tunc iuſtè iudicabunt, à quibus fuerunt iniuſtè iudicati. Tertio minoris mali comparatione & ſic minus mali iudicabunt peiores, & Niniuitæ Iudæos. Quarto legis aſſimilatione, & ſic contemplatiui, & viri Eccleſiaſtici & ſcholaſtici, qui cõtemplatione legem Dei in cordibus ſuis ſcripſerunt, quaſi in ſe legem diuinæ ſapientiæ continebunt.

VERS. 18, ET ALIVS ANGELVS EXIVIT DE ALTARI] Hic autem oſtendit Ioannes, quod executio iudicij à Chriſto prouenit: ex cuius imperio ſancti iudicium exequentur. Primo ergo poteſtas iudicis imperialis, ex imperio. Secundo ſanctorum ex commiſſo officio, ibi, *Et miſit Angelus falcem ſuam in terram.*

*Sancti in templo, Chriſtus in altari.* Dicit ergo, ET ANGELVS EXIVIT DE ALTARI CHRISTI.] ſcilicet Ieſus Patri conſubſtantialis, qui de altari exire dicitur, quia eſt locus ſecretior, altior, ſuperior, ad quem nullus alius ſanctorum poteſt pertingere, quia & ſi alii ſancti ſunt in templo, Chriſtus tamen in altari, quia in gloria maiori eſt inquantum homo, propter quod dicitur ad patris dexteram, reſidere, *qui habet poteſtatem*, ſicut verus Deus *ſuper ignem*, ſcilicet infernalem. *Et clamauit voce magna*, quantum ad imperandi poteſtatem *ad eum*, ſcilicet ad chorum Apoſtolicum, *qui habebat falcem acutam* ad exequendam ſententiam, *dimitte falcem tuam acutam*, id eſt exerce & exequere poteſtatem tuam iudiciariam, *& vindemia botros vineæ terræ*, id eſt ſepara à bonis terrenos vino malitiæ inebriatos, *quoniam maturæ ſunt vuæ eius*, id eſt completa malitia reproborum, & ideo non habet locum, quia non proſunt amplius bonis: permittit enim Deus diſpẽſatione hic regnare malos, quamdiu proſint bonis. *Cur Deus permittit malos. Matt. 13.* De hac vndemiatione dicitur, Matthæi decimotertio. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.*

VERS. 19. ET MISIT ANGELVS FALCEM SVAM IN TERRAM.] & exercuit poteſtatem iudiciariam in terrenos, quia plus terrena quam cœlum finaliter amauerunt. *Et vindemiauit vineam terræ*, id eſt ſeparauit à bonis omnes terrenos delectationibus inebriatos, & quod hic dicit factum eſt, facient ſancti in futuro non per executionem, quia proprium Angelorum eſt, ſicut dicitur Matthæi, ſed per approbationem & aſſeſſionem, *& miſit in lacum*, id eſt in infernum, *iræ Dei magnum*, vbi iram Dei magnam perpetuo ſuſtinebunt, infernus dicitur lacus propter ſpurcitiam & fœditatem ſed *iræ Dei* propter pœnalitatem, *magnus* propter capacitatem.

VERS. 20. ET CALCATVS EST LACVS.] propter oppreſſionem, *extra ciuitatem*, quia extra ſanctorum ſocietatis auxilium, & protectionem, *& exiuit ſanguis de lacu*, id eſt pœna inferni tantum exuberauit, vſque ad frænos equorum, vſque ad dæmones victores iniquorum, qui eadem pœna cum iniquis omnibus punientur.

Hic eſt argumentum quorundam quod dæmones præerunt hominibus puniendis in inferno, ad quod facit illud primæ Corinthiorum tertio, *Cum euacuauerit omnem principatum*, &c. *Et poteſtatem*, &c. *1. Cor. 2. Dæmones ſi præſint hominibus* Ibi Haymo quamdiu durat mundus Angeli Angelis, dæmones dæmonibus præſunt, ſed omnibus collectis in vnum iam omnis prælatio ceſſabit, tunc quidam dicent qui fuerunt monitores reproborum in culpa, erunt tortores in pœna, nec eſt contra Haymonem, quia ipſe non loquitur, niſi de prolatione dæmonum ad dæmones.

ET EXIVIT SANGVIS DE LACV VSQVE AD FRÆNOS EQVORVM.] VERS. 20. id eſt à minoribus vſque ad maiores omnes inuoluendo *per ſtadia mille ſexcenta*, omne durationis ſpacium, ſcilicet maius, minus, medium, comprehendendo, *Stadium quid.* ſtadium eſt Græca menſura dictum à ſtando, eo quod Hercules vno anhelitu currens ſeptem millia ſexcentum ſtadia paſſus ibi ſteterit, qua menſura Græci menſurant loca, in quibus ludos exercebant, ibique ludentes ſpaciando deambulabant, in iſto ergo numero ſumma reproborum comprehenditur, quantum ad maiores, mediocres, & minores. *Cur ſtadiũ accommodatur reprobis.* Et quia reprobi incedunt per ſpacioſam viam, quæ ducit ad mortem. Item ſtadiorum vocabulo, & tali numero deſignantur, vel loquitur hyperbolicè: ſicut enim cum magnum prælium, vel magnam ſtragem hominum eſſe factam volumus exprimere, ſolemus dicere, tantus eſt ſanguis effuſus quod equi natabant, ſic Ioannes volens diuinam vltionem, & malorum pœnam notificare dicit, quod ſanguis effluxit de lacu.

Et in ſcriptura lacus triplex repetitur, ſcilicet *Lacus triplex peccati.* peccati, vbi anima obruitur per tranſgreſſionem, Pſalm. *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Inficitur per putrefactionem, Threnorum tertio, *Threu. 3.* *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* Educetur per confeſſionem, vel confuſionem, & Pſalm. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Eſt ſecundo lacus purgatorij *Lacus purgatorij,* qui eſt expiatiuus ſcoriæ, Pſalm. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum*, impetratiuus veniæ. Threnorum tertio, *Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo.* Expectatiuus gloriæ, Zachar. nono. *Tu autem in ſanguine Teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.* Eſt tertio lacus inferni qui eſt inexpreſſibilis pœna, Iſaiæ decimo quarto, dicitur de Lucifero, *Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci* ineuaſibilis fuga, Iſaiæ decimoquarto. *Congregatione vnius falcis in lacum & claudantur.* Et ibi etiã irremiſſibilis venia, Iſa. 37. *Non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.*

# SYNOPSIS
## CAPITIS DECIMIQVINTI.

*QVi beſtiam vicerant, & eius imaginem ac numerum nominis eius reuereri noluerant, ſtantes ſuper mare vitreum cytharizantes & cantantes canticum Moyſi, & Agni Deum glorificant, aperitur templum de cœlo, & ex eo prodeunt ſeptem Angeli veſtiti lino mundo, & Zonis aureis, quibus ſingulis dantur ſingulæ Phialæ iræ Dei, quæ continebant ſeptem plagas orbis nouiſſimas, quas in orbem effuderunt quocirca templum impletum eſt fumo à maieſtate Dei.*

CAPVT

*CAPVT DECIMVMQVINTVM.*

1. ET vidi aliud ſignum in cœlo magnū, & mirabile Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas: Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

2. Et vidi tanquam mare vitreum miſtū igne, & eos, qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei.

3. Et cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni, dicentes, Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum.

4. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.

5. Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo.

6. Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſæcula ſæculorum.

8. Et impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei, & de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

*EXPOSITIO DECIMIQVINTI Capitis.*

VERS. 1. ET VIDI ALIVD SIGNVM IN COELO MAGNVM ET MIRABILE, &c.] Hic incipit viſio in qua agitur de damnatione Antichriſti, & ſuorum ſequacium, in ſexta agitur de damnatione meretricis magnæ poſt iudicium, in ſeptima de glorificatione corporis immortalium, ſi vero obiiciatur quod ſupra egit de damnatione Antichriſti, & ſuorum

*S. Bernard. de Senis in Apocal.*

A ſequacium, igitur ſuperfluit replicare. Reſpondeo quod ſuperius fuit facta mentio de eorum damnatione incidenter, ſcilicet ad bonorum confirmationem, hic autem loquitur de plagis in aliorum principali intentione. Prius ergo viſum eſt de ſeptem Angelis effundentibus phialas iræ Dei, per quarum effuſionem intelligitur denunciatio malorum quæ erunt tempore Antichriſti. Phiala ergo iræ Dei eſt prædicatio comminatoria damnationis æternæ, ſicut enim phiala eſt clauſa deorſum aperta ſurſum, ſic prædicatio de terrenis eleuat ad ſuperna; manifeſtatur igitur in hoc multiplici modo iræ, damnatio reproborum qui erunt tempore Antichriſti, & hoc, tripliciter. Primo per inſpirationem, & hoc B in præſenti capite; ſecundo per prædicationem, & hoc in 16. capite, tertio per manifeſtationem in 17. capite.

*Phiala iræ Dei quid denotant.*

Diuiditur autem iſtud caput in quatuor partes. In prima oſtendit Ioannes ſeptem Angelos habentes ſeptem plagas nouiſſimas quibus percutiuntur reprobi, ibi *tanquam mare*, in ſecunda oſtenditur remedium quo liberantur. *Et vidi tanquam mare vitreum*, &c. Et ſequitur, *Poſt hæc vidi*, &c. In tertia ſubiungitur Angelorum executio, ibi, *Et poſtea vidi: Ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtamenti.* In quarta omnium prædicatorum conſummatio, ibi, *Et impletum eſt templum Dei de fumo à maieſtate Dei.* Dicit ergo.

*Capitis diuiſio.*

ET VIDI ALIVD SIGNVM IN COELO.] id eſt Eccleſia virtutum varietate ſtellata, & à terrenis C eleuata, *magnum*, ſcilicet ſignificatione, *& mirabile* comprehenſione, vel dignum admiratione: admiratio enim eſt timor ex magna, & inſolita imaginatione proueniens. Deinde declarat quod fuit hoc ſignum dicens; *Angelos ſeptem* vniuerſos Prædicatores à mundi exordio vitam Angelicam actitantes, qui rectè apprehenduntur numero ſeptenario, propter mundi generalitatem, propter prædicatorum vniuerſitatem, qui impugnauerunt propter ſeptem virtutes, vel ſeptem dona quæ habuerunt, vnde merito ſignificantur per ſeptem columnas, quibus Eccleſia ſuſtentatur, Prouerbiorum nono. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Vnde *habent ſeptem plagas nouiſſimas*, id eſt vniuerſa mala quibus plagati videbuntur reprobi D qui erunt tempore Antichriſti. Vnde dicuntur nouiſſimæ plagæ, quia nouiſſimi temporis homines ferientur, vel *nouiſſimas*, id eſt grauiſſimas, quia grauiſſimè punientur, quoniam grauiſſimè peccauerunt. Vnde ſubdit, *quoniam in illis conſummata eſt ira*, id eſt vindicta Dei infallibilis. His enim plagis illatis non inferet Deus alias plagas mundo, ſed illis conſūmatis incipiet cruciatus & gemitus infernalis.

*Prædicatores Angeli.*

*Prou. 9.*

*Qui grauiter peccat grauiter punitur.*

VERS. 2. ET VIDI TANQVAM MARE VITREVM MIXTVM IGNE, &c.] Hæc ſecunda pars capitis, vbi poſt damnationem iniquorum agit Ioannes de cauſa liberante ab his plagis ad conſolationem beatorum, quæ eſt ſecundum ſtatum triplicem: in ſtatu enim incipientium cauſa liberans eſt vitæ nouitas, quod notatur per mare vitreum, in ſtatu proficien- E tium fidei firmitas, quod notatur, quia ſicut infra, Ioannis quinto, Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra, in ſtatu proficientium. Cauſa liberans eſt operum ſtrenuitas maximè circa carnis propriæ mortificationem, quod notatur per cytharam. Dicit ergo.

*Triplex ſtatus hominum.*

ET VIDI ITAQVE MARE VITREVM.] in quo verbo commendatur futuri temporis prærogatiua virtutum, ibi *vidi mare*, à prærogatiua operum, quia *vicerunt beſtiam*, à prærogatiua laudum, quia dicentes, *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine.* Dicit ergo.

ET VIDI.] per ſpiritus reuelationem *itaque mare*

Baptiſmus mare. *vitreum*, id eſt remedium per baptiſmalem regenerationem. Baptiſmus igitur dicitur hic mare, eo quod habet virtutem, vel vim ablutiuam, & ſignificat tranſgreſſionis deletionem, ſed vitreum eo quod habet natiuam peruiam, & deſignat characteris impreſſionem, ſed mixtum igni, qui inquam ignis habet vim purgatiuam, & ſignificat gratiæ infuſionem. Mare, ergo dicitur baptiſmus abluens à reatu,

Mundus mare. Pſal. 103. mare hic mundus affligens miſerè, Pſal. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus.* Mare infernus abſorbens vorata, Iſaiæ quinto.

Iſa. 5. *Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, &*, ſupple *qui tunc vicerunt beſtiam terræ*, id eſt Antichriſtum beſtialiter viuentem, vel diabolum beſtialiter lacerantem, nolentes aſſentire ipſius fictis miraculis, nec flecti promiſſis, nec terreri tormentis, *Et imaginem illius* vicerunt, cum ſtatuam in honorem ipſius fabricatam non adorauerunt: *Et numerum nominis eius*, ſimiliter contempſerunt, quia licet per

Iuſtorum victoria. nomen quod ſibi imponitur, Antichriſtus velit videri, & æſtimari Deus; ipſi tamen purum hominem cognoſcent, & eundem tanquam ſeductorem peruerſiſſimum vilipendent, ſicut ſupra habitum eſt decimo tertio capite, qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt *ſtantis ſupra mare vitreum*, id eſt perſeuerantis in gratia baptiſmali per rectam intentionem, nulla ventorum impulſione à ſua fide moti ſecundum Richardum. *Habentes cytharas Dei*, per carnis mortificationem, & Chriſti imitationem. Cythara igitur eſt caro mortificata, vbi debet extingui culpa, & conſeruari natura.

VERS. 3. CANTANTES CANTICVM MOYSI SERVI DEI, ET CANTICVM AGNI] per vtriuſque teſtamenti confeſſionem, & pro collatis beneficiis per gratiarum collationem, vel quia exultabunt hoc eſt canticum Agni, & meditabuntur ſcripturas hoc eſt canticum Moyſi, *Dicentes magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens*, in creatione, locus à magnitudine creaturæ refertur *voci omnipotens*, locus à pulchritudine creaturæ refertur huic nomini *Domine*.

Hæc igitur inducunt admirationem, & excitant ad deuotionem & contemplationem. Igitur iſta mirabilia pertinent ad conſiderationem potentiæ producentis, ſapientiæ diſponentis, clementiæ redimentis, eſſentiæ ſubſiſtentis. Mirabilia potentiæ reſpiciunt exitum creationis, vbi occurrit diſpoſitio & ornatus quantum ad originem, diffuſio virtutis mentalis, id eſt operationis, quantum ad magnitudinem, diſtinctio numeri menſuræ, & ponderis quantum

Pſal. 85. ad pulchritudinem, Pſalm. *Magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.* Mirabilia ſapientiæ numerum gubernationis quo ordinatus gradus per eſſe, viuere & diſcernere pulchrificatur numerus, numero, ſpecies genere, variatur ſitus ſub ratione continentiæ, præſidentiæ, & influentiæ, continuatur tempus ſub curſu veræ legis & gratiæ, Iob.

Iob. 5. quinto, *Ego deprecabor Dominum.* Et ſequitur, Qui facit magna inſcrutabilia, & mirabilia abſque nume-

Mirabilia in gloria. ro. Mirabilia clementiæ reſpiciunt modum reparationis. Vbi occurrit Deus humanatus, homo deificatus, vbi maieſtas annihilatur, formoſitas deformatur, fœlicitas tormentatur, æternitas terminatur.

Tob. 12. Vnde tobiæ 12. ait Angelus ad Tobiam, *Benedicite Deum & narrate mirabilia eius.* Mirabilia eſſentiæ reſpiciunt donum remunerationis, vbi oculo glorificato occurrit vnitas æterna, & æternitas vna, vbi ſtat vnitas cum pluralitate, conſubſtantialitas cum perſonalitate, coæqualitas cum ordine, co-

Pſal. 16. æternitas cum origine, Pſalmo decimo ſexto, *Narrate in gentibus gloriam eius, & in cunctis populis*

A *mirabilia eius.* Nullum igitur mirum ſi anima deuota ita conſiderans admiratur in tot operibus diuinis & laudat gratias agens, pro beneficiis liquefacta æternis deſideriis clamat, *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ Domine Rex ſæculorum.* Iuſtæ inquam quia Iudex inflexibilis, veræ quia veritas inobliquabilis, in Pſalmo 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Domine* cuius dominatio inæquiperabilis, maieſtas incomprehenſibilis, *& Rex ſæculorum*, cui eſt honor interminabilis & inamiſſibilis, Pſalmo *Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua*, &c. Viæ igitur Domini ſunt Iuſtæ & veræ viæ Domini. Pſal. 24. Pſal. 144.

B mandatorum ipſius directiones, prout exponit Gregor. ſuper illud. Viam mandatorum tuorum cucurri, Viæ Domini mandata illius. iſtæ viæ ſunt mundæ puritate, Pſal. *Deus meus impolluta via eius.* Sunt rectæ æquitate, Sapient. 10. *Iuſtum deducit Dominus per vias rectas.* Sunt decoræ ſpecioſitate, ſunt pacificæ tranquillitate, Prouerbiorum tertio. *Viæ eius viæ pulchræ, & ſemitæ eius pacificæ*, Prouerbiorum quarto. *Vias ſapientiæ monſtrabo tibi, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Pſal. 17. Sap. 10. Prou. 3. Prou. 4.

Ex quo es igitur Rex ſæculorum, quis non timebit te Domine? Caſto & ſubiecto ſeruitio totum generoſum, & inclitum honorando.

QVIS NON TIMEBIT TE.] O Rex gentium, *magnificabit nomen tuum*, magnificum toto corde ac vocis deſiderio perſonando, & excolendo, VERS. 4.

C Pſal. 33. *Magnificate Dominum mecum, & exultemus in idipſum.* Pſal. 33.

Nota quod eſt timor mundanus humanus, naturalis, ſeruilis: item eſt timor initialis, quantum ad gratiæ exordium, filialis quantum ad perfectum reuerentiæ & quantum ad implementum, Pſalmo *Seruite Domino in timore.* Oſtenſo igitur actu debitæ reuerentiæ, ſubdit cauſam exigentiæ. Sic ergo debet timere, quia ſolus pius es ſecundum gloriam gratis ſaluando, & genus humanum perditum reparando, ſed non videtur quod aſſignet plenam cauſam quare debet timere, quia ſeuerus, & durus Rex potius quam pius time etur. Reſponſio hic agitur de timore filiali, & reuerentiæ, quæ eſt penes Deum, timor Multiplex timor. Pſal. 2.

D vero ſeruilis magnus eſt Domini ſeueri in hoc autem apparet pietas tua, *quoniam omnes*, id eſt aliqui de omnibus gentibus, & eſt diſtributio pro generibus ſingulorum, non econuerſo, *venient* paſſibus fidei, & bonorum operum, *& adorabunt te*, verum Deum confitendo, *in conſpectu tuo* tibi placita eligendo.

Nota quod cultus adorationis veræ, de quo agitur hic reſpicit adorati gradum, adorantis ſtatum, adorandi modum, adorantis fructum, Gradus debet eſſe incommunicabilitate vnus, incontaminabilitate purus. Modus inobliquitate rectus, fructus interminabilitate plenus. Primus gradus adorati eſt incommunicabilis, quia cultus ſoli Deo debitus, vna eſt veritas per quam credimus omnia, vna virtus per quam ſperamus omnia, vna bonitas per quam diligimus omnia, & quam diligimus ſuper omnia, & Adorationis cultus & modus. Vna Deitas tantum adoranda.

E propter hoc vna tantum Deitas adoranda, Matthæi quarto, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Secundum ſtatus adorantis debet eſſe purus, & incontaminabilis. Mundandus eſt igitur adorantis animus, ne & adorati offendatur affectus, pſalm. *Venite adoremus, venite exultemus Domino*, &c. Matth. 4. Adorantis animus rectus. Pſal. 94.

Tertio adorandi modus debet eſſe inobliquabilis, Ioannis tertio, *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate oportet adorare*, ad hoc diſponit timor obedientiæ, Pſalmo ſeptimo. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Conſuetudo frequentiæ, Geneſis trigeſimoſexto. *Adorauit Iacob ſpecies pronus in terram.* Ad hoc facit exhibi- Ioan 3. Pſal. 5. Gen. 36.

exhibitio reuerentiæ ſupra quinto capite. *Ceciderunt in facies ſuas duodecim ſeniores, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* Quarto adorationis fructus eſt interminabilis, quia facit homines cum Angelis conciues in cœlo, conſortes in regno, conſelices in domo, concordes in voto. Pſalm. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus*, &c.

*Adorationis fructus.*

Ex prædictis videtur quod ſuperſtitioſum eſt adorare imagines: ſed falſum, introductæ ſunt in Eccleſia propter tria, primo propter ſimplicium ruditatem erudiendam, ſecundo propter affectuum tarditatem excitandam, tertio propter memoriæ labilitatem reuocandam. Adoratio igitur debetur imaginibus, vt ſigno non enim ad imaginem ſiſtit affectus. Sed tranſit ad imaginatum ſecundum Damaſc. & Auguſt. Reuera ergo tu ſolus es adorandus, timendus & magnificandus, *quia iudicia tua manifeſta ſunt*, ſcilicet bonos eligis & malos reprobas & flagellas, & humiles honoras & ditas.

*Qualiter iudicia Dei manifeſta. Rom. 11.*

Sed quæritur qualiter iudicia Dei ſunt manifeſta. Cum ſcriptum ſit ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei?* &c. Sane propter pelagum eſſentiæ, abyſſum omnipotentiæ, profundum miſericordiæ, quæ ſua immenſitate ſunt incomprehenſibilia, quantum ad intelligentiam infinitorum, futurorum prouidentiam, quantum ad iuſtitiam & ſic omni credenti manifeſtum eſt Dei iudicia eſſe iuſta. Tob. 3. *Iuſtus es Domine & iuſta iudicia tua*, & eſt loqui de iudiciis quantum ad cauſam ob quam ſic vel ſic facit Deus, & ſic eſt.

*Tob. 3.*

*Duplex euidentia cauſa.*

Adhuc eſt diſtinguendum quod duplex eſt euidentia cauſæ in ſpirituali. 1. modo ſunt manifeſta Dei iudicia, ſicut quod Deus alios obligat prædeſtinando ad vitam in generali vel aliquos relinquit ad pœnam. Aug. contra Iulianum. Alius relinquitur iuſtitia iudicante non facto. Alius aſſumitur gratia præſtante, non merito. Eſt & manifeſtatio in ſpeciali, qua Dominus ſine omni merito hunc eligit hunc reprobat, vt de Iacob & Eſau, & hoc iudicium non eſt euidens, nec manifeſtum niſi quod figulus habet poteſtatem ex eadem maſſa aliud vas facere in honorem aliud in contumeliam. Quæ ergo nunc occulta, quando aperientur, abſcondita cordium, erunt manifeſta.

*Quatuor iudicia Dei.*

De quatuor ergo iudiciis Dei quorum vnum eſt ſecundum præſcientiam, aliud ſecundum cauſam. Tertium ſecundum operationem ſuam. Quartum ſecundum retributionem, quorum duo prima ſunt occulta, alia vero duo ſunt manifeſta.

*Multiplex iudicium.* *Eccl. 12.* *Summa Philoſophia mortis cogitatio.*

Nota quod eſt multiplex iudicium ad præſens memoriter retinendum, & quartum iugiter exercendum, ſcilicet vniuerſalis conditionis, & hoc iudicium mortis Eccleſ. 12. Hoc iudicium à Domino omni carni, ô ſalubre conſilium deſiderare huius iudicij aduentum ſumma philoſophia eſt aſſidua mortis cogitatio. Cuius ratio eſt, quia facile contemnit omnia qui ſe recogitat moriturum, ſecundum Hier. Ad Paulinum. Vnde legitur in vita Io. Eleemoſynarij. Quod antiquitus ſtatim cum Imperator erat coronatus inſtabat ad eum ædificator monumentorum, dicens ei de quo metallo iubes Imperator tuum fieri monumentum, vt quamuis Imperator cogitaret ſe moriturum. Eſt iudicium pœnale afflictionis, id eſt purgatorij ignis, qui ſecundum Auguſtinum ſuper Pſalm. Grauior eſt quam quicquam pati poteſt homo in hac vita, hoc iudicium formidabat Propheta, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine.* &c. Ac ſi diceret, Domine opprimunt peccata nec ſufficiunt merita, impoſſibile eſt operari & neceſſe eſt in purgatorio cruciari, & ideo *non intres*, &c. Eſt iudicium finalis examinationis vel diſceptationis. Stante enim diuina iuſtitia neceſſe eſt dare reſurrectionem mortuorum, diſcuſſionem meritorum, proportionem præmiorum Iſa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.* in illa die iudicabit tota Trinitas, quantum ad auctoritatem iuriſdictionis. Chriſtus quantum ad ſententiæ promulgationem, Apoſtoli ad ſententiantis aſcenſionem omnes pauperes euangelici quantum ad ſententiæ approbationem. Quartum iudicium exercendum eſt iudicium mentalis diſcuſſionis: quo ſiquis perfecte iudicaret hic ſeipſum non formidaret iudicium. Vnde 1. Corinth. 5. *Si noſmetipſos diiudicaremus non utique diiudicaremur.* Scilicet hodie libenter iudicamus alienas ſententias non noſtras, & hoc valde damnabile eſt: Nota quod tria mala facit iudicium temerarium. Primum quod præcipitatur æquitas 1. Cor. 10. *Nolite ante tempus iudicare.* Non obſeruat ſibi tempus, ſed præcipitat iuris ordinem qui alienam conſcientiam iudicat de occultis. Secundum quia periclitatur veritas. Iſa. 59. *Conuerſum eſt iudicium retro & iuſtitia longe ſtetit, quia corruit in plateis veritas & æquitas non poteſt ingredi.* Tertium quia vſurpatur auctoritas ad Rom. 14. *Tu quis es qui alienum ſeruum iudicas*, ideo concludit, *in quo alium iudicas teipſum condemnas.* Nunc ergo iudicium eſt mundi. Rom. 12. Et ideo dum ſumus in valle miſeriæ conſtituti quilibet iudicet & deſpiciat ſeipſum. Quare ſecundum auctorem de ſpiritu & anima, hic pietas Dei animam reſpicit, humilitas ſubiicit pœna reducit, iuſtitia deducit, obedientia conducit, perſeuerantia producit, deuotio introducit, punitas iungit, charitas vnit. Et ſequitur ſecretorum reuelatio.

*Iudicium pœnale.* *Pſal. 12.* *Iudicium finalis examinationis.* *Iſa. 3.* *Quinam iudicabunt.* *Iudicium mentalis diſcuſſionis.* *1. Cor. 5.* *1. Cor. 10.* *Iſa. 59.* *Rom. 14.* *Rom. 12.*

*Vers. 5.*

ET POST HÆC VIDI] per internam viſionem, *apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo*, id eſt reuelata ſunt myſteria Eccleſiæ, & ſecreta cæli per Apoſtolorum prædicationem, vt per templum tabernaculi notentur reuelata myſteria Sed per teſtimonium prædicatio Apoſtolica reuelata in cœlo hoc eſt in Eccleſia, vt per templum intelligatur Chriſtus. Ioan. 3. *Soluite templum hoc*, &c. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui, tabernaculum teſtimonij ſcriptura ſacra quæ tot continet teſtimonia quot verba, Vnde templum tabernaculi teſtimonij eſt Chriſtus continens in ſe teſtimonia vtriuſque teſtamenti, & dicitur continere quia ſcit omnia, per cælum Eccleſia, id eſt domus Dei talis eſt ſenſus, *apertum eſt templum tabernaculi in cælo*, id eſt notitia Chriſti manifeſta eſt mundo.

*Ioan. 3.*

*Quadruplex templum.*

Eſt autem quadruplex templum primum veteri virginalis, & hoc eſt à Salomone ædificatum. Sap. 9. *Dediſti ædificatione templum in monte ſancto tuo.* Hoc templum eſt ſicut Salomonis, pauimentum templi putiſſimo lapide & artificio gratioſum. 2. Paralip. 3. Strauit marmore decore multo. Salomon pacificus eſt artifex Spiritus ſanctus, marmor virginitas, pauimentum humilitas, decor virtutum varietas. Ex quibus concluditur gratioſitas ex materia pretioſa. Nihil erat in templo quod non tegeretur auro, quod non decoraretur charitate ex forma ſpecioſa. 3. Reg. 6. Omnes parietes per circuitum templi ſculpſit variis cælaturis, eſt cælatura varietatis, pulchritudo honeſtatis, cornua vero promptitudo voluntatis. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus venit ad aures eius*, ſicut enim rei fugiunt ad Eccleſiam ſic peccatores ad Mariam. Habet igitur hoc templum ſcilicet Virgo Maria quatuor priuilegia, ſcilicet, ex artifice virginitatem, ex materia charitatem, ex forma honeſtatem, ex fine pietatem. Secundum eſt templum Eccleſiæ militantis, ſub Eſdra & Nehemia reædificatum, hoc templum fuit in anguſtia fundatum, in concordia ædificatum, in abundantia ornatum, in lætitia purificatum, Eſdræ 6. conſummato templo ſacerdotes purificati fecerunt ſolennitatem in magna lætitia. Tertium templum eſt animæ ſpiritualis. In tranſmigratione Ezech. monſtratum fuit ante hoc templum diſpoſitum, In

*2. Paral. 3.* *3. Reg. 6.* *2. Reg. 22. Maria eſt templum.* *2. templum.* *Eſdræ 6.*

menſuris per temperantiam. In celaturis per ſapientiam. In ædificiis per obedientiam. In ſacrificiis per perſeuerentiam, &c. 1. Cor. 3. *Neſcitis quod templum Dei eſtis*, &c. Quartum templum eſt eccleſiæ triumphantis Ioanni hic in Apocalypſi reuelatum. Et ſciſſio non eſt audita in ædificatione templi: quia lapides primo poliebantur & quadrabantur in libano: & poſt collocabantur in templo. Sic lapides muri in templo Eccleſiæ militantis quadrantur merito & in templo Eccleſiæ triumphantis primo collocantur. Vbi temperantiæ redditur incorruptio, perfecta cognitio obedientiæ, exultatio perſeuerantiæ, indefeſſa gratiarum actio ſupra cap. 7. *Hi ſunt qui vene runt* per perſeuerantiam *ex magna tribulatione* ſuſtentati per patientiam, *& lauerunt ſtolas ſuas* cuſtodientes innocentiam *in ſanguine agni* per paſſionis Chriſti iugem memoriam. *Ideo ſunt ante thronum Dei* per æternam aſſiſtentiam: *& ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius* per gratiarum actionem indefeſſam. Sequitur *& exierunt ſeptem Angeli*, ideſt prædicatores vniuerſi in ſeptem ſtatibus Eccleſiæ prædicantes, ſeptuplici gratia ſpiritus relucentes, & ſeptem capitalia vitia per ſeptem virtutes extirpantes: *habentes ſeptem plagas* pœnam æternam impœnitentibus comminantes quæ eſt ſepriformis ſcilicet, carentia viſionis, horror caliginis, ſtridor frigoris, fœtor putredinis, ignis combuſtionis, vermis corroſionis, *exierunt ergo de templo*, id eſt à Chriſto à quo miſſi ſunt: vel de templo, id eſt de cœtu Apoſtolico, Vnde omnes prædicatores originem ſumpſerunt, *veſtiti* per virtutem *lino* in quo notat firmitatem, *mundo* per interiorem caſtitatem, *& candido*, per exteriorem honeſtatem, *& præcincti circa pectora Zonis aureis*, id eſt mundis cogitationibus & puris affectionibus, per charitatis pretioſitatem. Et ſequitur collatio poteſtatis.

1. Cor. 3.

Templum Eccleſiæ triumphātis.

Apoc. 7.

Pœna æterna ſeptiformis.

VERS. 7. ET VNVM EX QVATVOR ANIMALIBVS,] & concordia, & vnitas quatuor Euangeliſtarum, *dedit ſeptem Angelis*. id eſt prædicatoribus vniuerſis, *ſeptem phialas aureas*, id eſt ſacræ Scripturæ vniuerſas intelligentias, quæ dicuntur phialæ per fidei fundamentum, ſed aureæ per ſapientiæ fulcimentum. Phialæ autem dictæ ſunt eo quod ex vitro fiant. Vitrum enim ergo phiala dicitur ait Iſido. l. 1. cap. 5. *Plenas iræ Dei*, quam plenæ prædicant effundendam. Eccleſiaſt. 36. *Excita furorem & effunde iram Dei viuentis in ſæcula ſæculorum*, id eſt æternaliter & immutabiliter.

Sacra Scriptura intelligentia phiala aurea.

Eccli. 36.

Sed quæritur qualiter iſtæ phialæ dicuntur aureæ cum ſint plenæ iracundia Dei? ſibi enim adinuicem videntur repugnare. Reſponſio, verba ſacræ Scripturæ ſunt plena charitate ad quam peccatores vocant, & plena iræ Dei à qua reuocant.

Nota quod eſt phiala deuotionis quæ flagrat puritate, ſupra, *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum quæ ſunt orationes ſanctorum*. Eſt phiala paſſionis quæ flagrat pietate. Iudic. 5. *Aquam petenti lac dedit, in phialis principum obtulit butirum*. Eſt phiala prædicationis quæ feruet charitate iſto eodem capite. *Et vnum ex quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundia Dei viuentis in ſæcula ſæculorum.*

Multiplex phiala Phiala deuotionis.

Iud. 5.

Phiala paſſionis.

Phiala prædicationis.

Terminata eſt quarta viſio in iſtis tribus capitibus, in qua conflictus draconis & Eccleſiæ continetur, Vnde in 12. cap. oſtenditur Eccleſiæ ornatus delectabilis, à duodecim articulis, vel duodecim Apoſtolis, vel duodecim habitibus virtuoſis, cum dicitur. *Amicta ſole & luna ſub pedibus eius, Et in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Secundo introducitur hoſtis antiqui caterua deteſtabilis, cum dicitur, *draco magnus apparuit habens capita ſeptem*. quoad ſeptem vitiorum principalitatem, vel quantum ad ſeptem Hæreſiarcharum peruerſitatem. *Et cornua decem*, id eſt decem reges fautores Antichriſti, & perſecutores Chriſti, vel hoc dicit propter impugnationem decalogi. *Et in capitibus ſeptem diademata.* quo ad ſeptiformem tentationem, vel quoad ſeptiformem reproborum collationem. Primi reprobi fuerunt ante diluuium inuentores idolorum. Secundi poſt diluuium. Tertij poſtquam lex data eſt, tranſgreſſores præceptorum Chriſti & Apoſtolorum. Quarti conſiliorum. Quinti Iudæi perſecutores Chriſti & Apoſtolorum nouiſſimorum. Sexti Imperatores Romanorum. Septimi autem chriſtiani maculatores nouiſſimorum. Tertio introducitur caterua Angelorum adamabilis draconem impugnantium & captiuantium eccleſiis ſuis, patrociniis libantium, vnde *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & pugnabat & Angeli eius & non præualuerunt, nec locus eorum inuentus eſt amplius in cælo.* Et hæc eſt continentia capitis in generali.

Draco habens capita ſeptem.

Et ſequitur 13. vbi oſtendit qualiter dæmon confuſus cum Angelis ſuis apoſtaticis, ſaltem Antichriſtus cum ſuis complicibus contra Eccleſiam concitabat in temporibus nouiſsimis, cuius conditio nobis præſcribitur ſub ſimilitudine beſtiæ aſcendentis de terra propter crudelitatem principum in terra dominantium, & ſibi adhærentium. Et ſub ſimilitudine beſtiæ aſcendentis de mari propter amaritudinem pſeudoapoſtolorum fideles amaritudine replentium, *habentes capita ſeptem*, id eſt ſeptem principes in perſecutione Eccleſiæ ſunt principales, Cain, Pharao, Nabuchodonoſor, Herodes Aſcalonita, Herodes Antipa, Nero, Antichriſtus. *Et ſuper caput eius quatuor diademata*, i. quatuor ſectas quæ faciunt 10. ſcilicet gentem Iudæorum, quæ facit duas, ſcilicet Phariſeos & Saduceos, gentem paganorum quæ facit 2. ſ. tyrannos, eorum ſacerdotes templorum. Gentem Romanorum quæ facit quatuor, ſcilicet Græcos, Gothos, Vvandalos, Lombardos, Gentem Sarracenorum quæ facit vnam ſectam, ſcilicet Alcoranam & Mahometum ſectantium, & ſic ſunt 10.

Perſecutores Eccleſiæ.

Et ne deficiamus in tribulationibus præmiſſis & amaris perſecutionibus introducitur in 14. protector noſter Chriſtus Ieſus pro nobis miſeris agnus in cruce leuatus, omnes hoſtes viſibiles & inuiſibiles proſternens, & in tremendo iudicio vnicuique mercedem propriam largiens. Et ſic patet iſtius viſionis generalis continentia & ſufficientia. Et ſequitur vltima reproborum exultatio. Vnde dicit. *Et impletum eſt templum*, id eſt Eccleſia vel ſcriptura, fumo, id eſt obſcuritatis, quo ad malos qui non videbunt myſteria Eccleſiæ, & ſecreta ſcripturæ, quæ tamen erunt bonis aperta ex diuina virtute, ſic iuxta voluntatem ſuam & iuſtitiam parientem, vnde ſequitur, *à maieſtate Dei & de virtute eius*, vt maieſtas attendatur, quoad bonorum reuelationem, & virtus quoad malorum confuſionem, *& nemo*, ſupple de numero reproborum, *poterat intrare in templum*, id eſt Eccleſiam per fidei ſuſceptionem, vel in ſacram Scripturam per veram perſcrutationem, *donec conſummarentur ſeptem plagæ, ſeptem Angelorum*, id eſt donec completæ eſſent comminationes omnium prædicatorum de malis puniendis & in infernum retrudendis. Tunc enim aſt ſenſus, experientia pœnarum faciet eos intelligere quod nec volunt audire modo, Vel *nemo poterat*, id eſt perſcrutari ſubtilitatem iudiciorum, donec Eccleſiæ remuneratio terminaretur. Tunc enim manifeſtabuntur iudicia, quæ nunc ſunt occulta caligine cæcitatis, & ignorantiæ, & intellectum obfuſcante & obſcurante, ſarcina phantaſmatum animam obnubilante, carne infecta ſenſum præſtigiante, qui multiplex modus ponitur ab Haymone, turba dæmonum infeſtante, mundo animas inficiente.

Non eſt in tribulatione deficiendum.

SYNO

# SYNOPSIS
## CAPITIS DECIMISEXTI.

*AD ſeptem phialarum effuſionem in orbem multa eaque admiranda prodigia contigerunt, nam cum primus Angelus phialam effudit vulnera ſæua & peſſima produxit, cum ſecundus ſecundam, mare, cum tertius, tertiam, flumina & fontes vertit in ſanguinem: cum quintus, quintam, efficit regnum Antichriſti tenebroſum & doloroſum, cum ſextus, ſextam ſiccat Euphratem vt congregentur reges & cædantur à Deo in Armagedon, cum ſeptimus, ſeptimam, induxit fulgura, tonitrua, terræmotus & grandinem.*

### *CAPVT DECIMVMSEXTVM.*

1. ET audiui vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram & factum eſt vulnus ſæuum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius.

3. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua eſt in mari.

4. Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.

5. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iuſtus es Domine qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti.

6. Quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere, digni enim ſunt.

7. Et audiui alterum ab altari dicentem: Et iam Domine Deus omnipotens; vera & iuſta iudicia tua.

8. Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem: & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni.

9. Et æſtuauerunt homines æſtu magno, A & blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.

10. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ: & factum eſt regnum eius tenebroſum, & commanducauerunt linguas ſuas præ dolore.

11. Et blaſphemauerunt Deum cæli, præ B doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

12. Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphraten: & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis.

13. Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.

C 14. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

15. Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua: ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

16. Et congregabit illos in locum, qui D vocatur Hebraicè Armagedon.

17. Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum eſt.

18. Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræmotus, ſic magnus.

19. Et facta eſt ciuitas magna in tres E partes: & ciuitates Gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.

20. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.

21. Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cælo in homines, & blaſphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.

## *EXPOSITIO DECIMISEXTI Capitis.*

VERS. 1. ET AVDIVI VOCEM MAGNAM DE TEMPLO DICENTEM, &c.] Hic incipit ſecunda pars quintæ viſionis, puta bonorum tempore Antichriſti per virtutem prædicationis: introducuntur ergo hic ſeptem Angeli per quos deſignatur vniuerſitas prædicantium, ſeptem phialæ per quas vniuerſitas plagarum, ſeptem loca per quæ vniuerſitas gentium, vel *Septem phialæ vniuerſitas plagarum.* peccantium. Et hoc ſecundum diſtinctionem ſeptem vitiorum capitalium. In prima effuſione phialæ oſtenditur damnatio guloſorum, in ſecunda luxurioſorum, in tertia iracundorum, in quarta ſuperborum, in quinta inuidorum, in ſexta cupidorum, in ſeptima accedioſorum. Dicit igitur.

ET AVDIVI,] per interiorem reuelationem, *vocem* nempe diuinam inſpirationem, vel Angelicam allocutionem, *de templo*, id eſt de ſecreto adueniente, *dicentem ſeptem Angelis*, id eſt prædicatoribus vniuerſis, qui intelliguntur per ſeptem tubas, quia ſeptem virtutibus quadrantur, quia ſeptem donis illuſtrantur, *Prædicator Angelus.* quia contra ſeptem vitia voci ferant, prædicatores illius temporis dicuntur Angeli, quia tunc erunt *Matth. 25.* eminentiores conuerſatione. Matth. 25. *Non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Excellentiores contemplatione. Matth. 25. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*, qui etiam vigilantiores ſpecu-*Pſal. 90.* latione. Pſalm. *Angelis ſuis mandauit de te.* Et expedi-*Pſal. 103.* tiores prædicatione. Pſalm. *Qui fecit Angelos miniſtros ſpiritus.* Item ſine dilatione.

ET EFFVNDITE SEPTEM PHIALAS IRÆ DEI IN TERRAM, id eſt annunciate peccatoribus terrenis adhærentibus pœnas ſibi debitas abſque palpatione & perſonarum acceptatione.

VERS. 2. ET ABIIT PRIMVS ANGELVS,] ecce mandati executio, poſſumus primo exponere allegorice, quia *Quibus pœna prædicitur.* primo prædicitur pœna Iudæorum, ſecundo gentilium, tertio hæreticorum, quarto hypocritarum, quinto præcurſorum Antichriſti, ſexto ipſius Antichriſti, ſeptimo dœmonum, proſequamur ergo ſic. *Et abiit primus Angelus*, iuſſa perficiendo. *Et effudit phialam ſuam in terram*, Iudæis terrenis inhiantibus pœ-*Pœna inferni qua.* nam æternam comminando. *Et factum eſt vulnus ſæuum*, quantum ad temporalem perſecutionem factam per Romanos principes, *& peſſimum*, quantum ad æternam damnationem quæ dicitur mala propter pœnarum diuerſitatem, & peſſima propter pœnarum æternitatem. Factum eſt inquam, *in homines qui habebant characterem beſtiæ*, nomen Antichriſti profitendo. *Et in eos qui adorauerunt imaginem eius*, ſtatuam deificando, ac per hoc idololatrãdo. Primus igitur Angelus eſt cœtus Apoſtolicus qui vociferat contra perſecutionem & rabiem Iudæorum. Et ſequitur condemnatio Gentilium Martyres perſequentium. Vnde dicit.

VERS. 3. ET SECVNDVS ANGELVS,] id eſt ſecundus prædicator exercitus, *effudit phialam ſuam in mare*, id eſt in Gentiles, plenos amaritudine de vitio in vitium fluctuantes, dicens. *Væ terræ & mari*, ideſt Iudæis & Gentilibus. *Factus eſt ſanguis tanquam mortui* in peccato, *& omnis anima viuens mortua eſt in mari*, ideſt peccatores viuentes ſunt ab eis interfecti.

Ex iſta littera habetur quod in ſecundo ordine, quidam gentilium ſunt conuerſi & mortui peccato, quidam in ſua malitia perſiſtentes occiderunt Sanctos eos admonentes: per iſtum ſecundum Angelum intelligitur candidatus exercitus à gentibus cruentatus.

VERS. 4. ET TERTIVS ANGELVS,] id eſt Doctorum & *Tertius Angelus.* & Confeſſorum cœtus, *effudit phialam ſuam ſuper flumina*, ideſt ſuper hæreticos inſtabiles de errore in errorem fluentes & ſecum aliquos protrahentes. *Et ſuper fontes aquarum*, ideſt ſuper vaniloquos, vel vanilo- *Hæretici inſtabiles.* quentes Philoſophos, à quibus ortæ ſunt doctrinæ vanæ & inſipientes. *Et factus eſt ſanguis*, gloſſ. ſimiliter iſti damnabuntur pro ſanguine quem effuderunt. Vel doctrina hæreticorum & Philoſophorum factus eſt ſanguis, id eſt mortifera & crudelis. Et ſequitur Angelorum congratulatio Deum collaudantium.

ET AVDIVI ANGELVM,] id eſt nuncium VERS. 5. populorum, vel cuſtodem animarum vel ſcripturarum. Angelus aquarum eſt chorus Doctorum qui Deum collaudant per diſſipationem hæreticorum. Vnde ſequitur *dicentem*: *Iuſtus es Domine*, retribuendo ſcilicet merita. Pſalm. *Iuſtus Dominus & iuſtitias di-* *Pſal. 10.* *lexit*, in quo æquitas inuiolabilis, *Domine*, in quo poteſtas incoarctabilis, *qui es* in quo æternitas inuariabilis, *& qui eras ſanctus*, in quo puritas immaculabilis, quia non eſt ſanctus vt eſt Dominus, licet non appareat, ſed tandem apparebit, iuſtus ergo merito approbaris, *quia hoc iudicaſti*. Et quidem rectiſſime, *quia ſanguinem ſanctorum*, id eſt minorum electorum, *& Prophetarum*, id eſt maiorum, *effuderunt*, quia per principes effundi fecerunt, ſicut clamabat Propheta, *effuderunt ſanguinem Sanctorum*, &c. *Pſal. 78.* Es igitur digne collaudandus, quia *ſanguinem dediſti eis bibere, quia digni ſunt*, id eſt acerbam vltionem per æquam retributionem, quia per quæ quis peccat per ea & torquetur. Legitur in hiſtoriis Romanorum quod Carthaginenſes in dolo multum aurum promiſerunt in obſidendo ciuitatem cum paucis, & cum vellent ei promiſſum reddere, & ipſi aurum liquidum & calidum infunderent in os eius, dicentes. Aurum ſitiſti & bibes.

ET AVDIVI ALTERVM ANGELVM,] per quem VERS. 7. deſignatur chorus diſcipulorum bonorum ſuccedentium *dicentem Domine*, per excellentiam *Deus*, per naturam ſeu excellentiam *omnipotens*, per omnipotentiam, *vera & iuſta ſunt iudicia tua.* Vera quia perficiunt quod promittunt. Iuſta quia præmium ſecundum merita reddunt, ait Richard. *Iudicia enim Domini vera iuſtificata in ſemetipſa.*

ET QVARTVS ANGELVS FVDIT PHIALAM VERS. 8. SVAM IN SOLEM,] id eſt quartus ordo prædicatorum prædicantium contra hypocritas, qui ſe fingunt *Contra hypocritarum.* ſolem iuſtitiæ exterius, qui tamen ſunt fæx peccati interius. *Et datum eſt illi*, ſcilicet, quarto Angelo, *æſtu affligere homines per ignem*, id eſt affligendos oſtendere *Pœna hypocritarum.* inextinguibili ſuccendio. Iſa. vlt. *Ignis eorum non ex-* *Iſa. vlt.* *tinguetur.*

ET ÆSTVAVERVNT HOMINES,] ideſt VERS. 9. finaliter æſtuabunt æſtu magno in ardore deficientes, *& blaſphemauerunt*, id eſt blaſphemabunt, *nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas*, has quando voluerit & quibus voluerit inferendi, *nec egerunt pœnitentiam*, vt darent illi gloriam ſtudentes in propoſito delinquendi.

Et pauci vitium hypocriſis recognoſcunt, quia *Hypocriſis difficile cognoſcitur.* enim ante apparuerunt boni, poſtmodum multum verecundantur apparere mali, tot pœnis tanquam pœnitentes grauius punientur. Sicut ſol habet ſpecioſitatem in ortu, velocitatem in curſu, ſublimitatem in ſitu, velocitatem in motu, virtuoſitatem in effectu. Habet ergo ſol ſpecioſitatem in ortu. Specioſitas autem eſt quidam partium ſitus, cum quadam ſuauitate coloris. Hæc autem ſpecioſitas includit tria ex quibus integratur perfecte, ſcilicet impermixtionem contrarij, reformationem vniuerſi, oblectationem ſenſus apprehenſiui. Habet ergo impermixtionem cõtrarij tripliciter, ſcilicet nubis, caliginis & obſcuritatis, quæ omnia in ortu ſuo euaneſcunt: diſſoluit enim vapores nubium: fugat caliginem, illuminat obſcuritatem. 1. Reg. 33. *Sicut lux auroræ oriente ſole abſque* *1. Reg. 33.*

*nubilo*

*nubilo rutilat.* Secundo propter reformationem mundi. A
Eccl.43. Sol enim per ſuam præſentiam vniuerſum deco-
rat & per abſentiam deformat. Eccl. 43. *Species cæli*
*in viſione gloriæ, ſol in aſpectu, annuncians in exitu.* Tertio
Eccl.9. propter oblectationem ſenſus apprehenſiui. Eccle-
ſiaſt. 9. *Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem.*

Secundo habet ſol velocitatem in curſu propter
Eſdra.2. tria, ſcilicet propter magnitudinem influentiæ. 1. Eſ-
dræ 2. *Magna eſt terra, & excelſum eſt cælum, & velox*
*curſus ſolis, conuertitur in giro cælum in locum ſuum à me-*
*ridie,* à motione omnis inobedientiæ ex parte mobi-
lis: ratione enim quantitatis & figuræ paſſiuæ & lu-
cis actiuæ omnino eſt obediens motui. Cant. 6. *Quæ*
*eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora* &c. A motione om- B
Eccl.1. nis reſiſtentiæ ex parte medij. Eccl. 1. *Oritur ſol & occi-*
*dit, & in locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens girat per*
*meridiem & flectitur per aquilonem.*

Tertio habet ſol ſublimitatem in ſitu, triplici ra-
Pſal.18. tione propter præeminentiam incommutabilem,
multum enim præſidet. Pſalm. *In ſole poſuit tabernacu-*
Eccl.42. *lum ſuum,* &c. Propter refulgentiam incoarctabilem.
Sol enim propter ſitus altitudinem, & lucis plenitu-
dinem mundi cuncta illuminat. Eccleſiaſt. 42. *Sol il-*
*luminans per omnia reſpexit*, quia per omniæ cuncta
ſphœræ illuminabilia immittit ſpeciem ſuæ lucis.
Propter permanentiam incorruptibilem, eleuatur
enim ſuper ſphœra corruptibilium elementorum.
Pſal. *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.*

Quarto ſol habet virtuoſitatem in effectu quadru-
Pſal.88. plicem. Sol enim eſt diſtinctiuus temporum, ſecun- C
dum enim motum ſuum, per quatuor quadras zodiaci
diſtinguit quatuor partes anni. Et ſecundum motum
Geneſ.1. firmamenti, ſecundum diuerſitatem orizontis hemiſ-
pherij, facit diſtinctionem noctis & diei Gen. 1. *Fecit-*
*que Deus luminaria magna.* Maius vt ſolem, *vt præeſſet*
*diei.* Vnde appellatur à Phyſicis ſecundus pater pla-
netarum, quia probatur terra ſterilis vbi non diffun-
Eccl.43. ditur radius ſolaris. Eccleſ. 43. *Tripliciter ſol exurens*
*montes* dum enim humorem attrahit, florem producit
& fructum perficit. Eſt & ſol fortificatiuus corporum,
ſecundum enim ſolis aſſiſtentiam, in noſtro orizonte
corpora fortificantur & propter elongationem debi-
litantur: vnde quidam flores in ortu ſolis aperiuntur, D
2. Mach.7. 2. Machabæorum 7. *Refulſit ſol in clypeos aureos.* &c.

Et QVINTVS ANGELVS,] id eſt quintus gradus
VERS.10. prædicatorum, *effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ,*
id eſt prædicauit contra præcurſores Antichriſti. In
quibus ipſe quaſi in ſede ſua quieſcet & dominabi-
tur tanquam in filiis diffidentiæ. *Et factum eſt regnum*
*eius tenebroſum,* id eſt ſui ſatellites, in quibus regnabit,
obſcurabuntur tenebris infidelitatis & ignorantiæ. Et
*manducauerunt linguas ſuas præ dolore,* non valen-
tes reſiſtere ſanctorum feruori, & eloquentiæ. Luc. 2.
*Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere*
*omnes aduerſarii veſtri.*

Luc.2. Et BLASPHEMAVERVNT DEVM CÆLI,] crea-
VERS.11. torem cæli & terræ abnegando, *Et præ doloribus ſuis &*
*vulneribus,* correctionem non ſuſtinendo. *Et non ege-*
*runt pœnitentiam ex operibus ſuis,* in propoſito peccan-
di damnabiliter perſiſtendo.

Ordo prædicantium. Per quintum Angelum, quintus ordo prædican-
tium ſignificatur condemnantium ſectam Anti-
chriſti.

Et SEXTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM
VERS.11. SVAM.] Hic ſexto loco deſcribitur deiectio Antichri-
ſti denuncianda per prædicatores ſexti ſtatus. Sed
quia ipſe pro viribus repugnabit, ſuis diuitiis, ideo
ſic procedit. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in*
*flumen illud magnum Euphratem,* id eſt Antichriſtum
diuitem & potentem: Euphrates enim frugifer inter-
Ioan.2. pretatur, *& ſiccauit eius aquas,* quia prædicabunt velo-
citer ſiccandam eius affluentiam. *Tranſit enim mundus*
*& concupiſcentia eius.* 1. Ioan. 2. *Siccauit aquam vt prepa-*
*retur via regibus,* id eſt in fide firmioribus & alios re-
gentibus venientibus ſemper *ab ortu ſolis* Chriſti, ſci- In fide firmus rex.
licet qui eſt ſol iuſtitiæ. Malach. 3. *Orietur vobis timen-* Malach.
*tibus Deum ſol iuſtitiæ.* Et ſequitur repugnantia ipſius
conantis reſiſtere deiectioni, contra ſanctos exerci-
tum congregando, cuius dicitur actus & modus,

Et VIDI DE ORE DRACONIS,] diaboli propter VERS.13.
crudelitatem, *& de ore pſeudoprophetæ*, id eſt principis
Hæreſiarchæ, ſcilicet principalioris propter induſtriæ Dæmones
maioris ſagacitatē, *exire ſpiritus tres immundos ad modū* comparati
*ranarum,* id eſt dæmones impugnantes ſacramentum ranis & quare.
beatiſſimæ Trinitatis, id eſt munimentum trium
principalium virtutum, ſcilicet fidei, ſpei & charita-
tis. comparantur autem ranis; quia in paludibus habi-
tant voluptatis, garriunt ſuggeſtionibus nugacitatis,
& perturbant quietem tranquillitatis, vel tres ſpiri-
tus immundi, tres radices peccati, ſcilicet tres concu- 1. Ioan.2.
piſcibilis iactantiæ. Ioan. *Omne quod eſt in mundo, aut eſt* Tres immundi ſpiritus
*concupiſcentia oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſu-* auaritiæ.
*perbia vitæ.* Tres autem ſunt immundi ſpiritus auari-
tiæ, quia triplicantur iniuſtius per acquiſitionem &
iniquam retentionem & peruerſam diſtributionem.
Sunt autem tres ſpiritus immundi ſuperbiæ, quia tri-
plicantur per irreuerentiam quoad ſuperiores, per in-
dignitatem, quoad æquales per violentiam, quoad
inferiores, ſunt etiam immundi ſpiritus carnis, quia
triplicantur per ſuperfluitatem poculorum, per mol-
litiem veſtimentorum, per delectationem actuum im-
mundorum.

SVNT SPIRITVS DÆMONIORVM FACIENTES VERS.14.
SIGNA,] id eſt mirabilia diuina permiſſione ad ele-
ctorum examinationem & reproborum excæcatio-
nem. *Et procedunt ad reges totius terræ,* duces terrenos, &
principes ſubordinando, *congregare illos in prælium,* ad-
uerſus ſanctos concitando; ſed hoc erit ad malum
ſuum, quia ex aduerſo veniet Chriſtus ad iudicium
illos deiiciens, & ſuos erigens. Vnde ſequitur. *Ad* Dies iudicii magnus vocatur.
*diem magnum Dei omnipotentis,* & eſt conſtructio, fina-
liter oportebit eos conuenire ad diem iudicij, in quo
principes huius ſeculi proſternentur & oppreſſi
erigentur, & ne quis putet diem illum longe eſſe
ſubdit.

ECCE VENIO SICVT FVR,] quia aduentus meus VERS.15.
D inſolitus inſpiratus. Et quia ita veniam. *Beatus qui vi-*
*gilat,* bene operando, *Et cuſtodit veſtimenta ſua*, id eſt
bona gratuita à peccato declinando, *ne nudus ambu-*
*let,* ſpoliatus virtutibus, *& videant turpitudinem eius*
peccatis deturpantibus, & ignominiam detergenti-
bus. Ex quo igitur veniet ſicut fur, præuidendæ ſunt
viæ & præcauendæ inſidiæ. Hoc autem eſt per dili-
gentiam expeditionis in operando.

Ad hoc autem vt opera ſint meritoria & finis ob- Quæ requiruntur ad verum meritum.
tentiua, quatuor requiruntur, ſcilicet ſimplicitas in-
tentionis Iſa. *Obſecro Domine memento quæſo quomodo*
*ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, quod* Iſa.9.
*bonum eſt oculis tuis fecerim.* Sinceritas affectionis ad Ad Gal.5.
Gal. quinto. *In Spiritu ambulate, & deſideria carnis non* Epheſ.5.
*perficietis.* Serenitas dilectionis, ad Epheſios quinto.
E *Eſtote imitatores Dei ſicut filij cariſſimi, & ambulate dile-*
*ctione, ſicut & Chriſtus dilexit vos,* &c. Sedulitas conti-
nuationis, Michææ quinto, *Indicabo tibi ô homo quid*
*ſit bonum: & quid Dominus requirat à te vtique facere iu-*
*dicium, & diligere miſericordiam, & ſollicite ambulare cum*
*Deo tuo.*

CONGREGAVIT ILLOS IN LOCVM QVI VERS.16
VOCATVR HEBRAICE HARMAGEDON,] quaſi
dicat ſic. diabolus intelligitur, *congregare reges & prin-*
*cipes,* ad perſequendum ſanctos & finaliter congrega-
bit cum aliis qui Antichriſto adhærebunt, & Eccle-
ſiam infeſtabunt. Harmagedon enim intelligitur mōs
furis, propter fraudulentiam. Vel globoſus propter
ſuperbiam.

ET SEPTIMVS ANGELVS EFFVDIT PHIA- VERS.17.
LAM

LAM SVAM IN AEREM.] Hæc eſt ſeptima pars de ſeptimo Angelo,& plaga ſuper dæmones futura, *&* *ſeptimus Angelus*,id eſt vltimus ordo prædicatorum, *effudit phialam ſuam in aerem*,id eſt vindictam Dei futuram prædixit, quando dæmones qui in iſto aere caliginoſo habitant vſque ad diem iudicij, in barathrum cum reprobis retrudentur, & hoc ſignificat phialæ effuſio in aerem,nempe dæmones in infernum retrudi:dicuntur autem dæmones aeris propter velocitatem,quia huc illuc diſcurrunt,propter fluxibilitatem,quia ſemper fluunt de malo in malum, per voluntatem eorum propter ſpiritualitatem,quia aer eſt ſubtile elementum,*&exiuit vox magna de templo à throno dicens*:id eſt à prædicatoribus futura annunciantibus,*factum eſt*,id eſt completa eſt damnatio reproborum.Vel finis adeſſe narratur,quando in vita mors deſtruetur.

*Dæmon aereus dicitur & cur.*

VERS.18. ET FACTA SVNT FVLGVRA,]perterrentia, *&* *voces*,quia dæmonia clamantia, *& terræmotus factus eſt magnus qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram*. Talis terræmotus fiet magnus, quia concutiet omnia mundi elementa, Matt.24. *Erunt terræmotus*,per loca non naturaliter ſed voluntarie, nunc eſt impoſſibile quod fiat terræmotus vniuerſalis, ſed quandoque accidit particulariter, qui fit ex craſſo fumo in aliqua parte terræ incluſo, qui tamen exire cogitur à natura replente, facit terræ motum ſicut patet in caſtanea.

*Terræmotus magnus in iudicio. Matt.24.*

VERS.19. ET FACTA EST CIVITAS MAGNA IN TRES PARTES]id eſt malorum congregatio iniqua in tres partes,quia Eccleſiam Chriſti triformiter impugnabunt,ſcilicet per Iudæos & Gentiles & aperto certamine per Hæreticos ſubdola machinatione, per falſos fratres peruerſa ſuggeſtione,vel tres partes ſunt principes ſæculi,ſapientes mundi,& eorum miniſtri. *Et ciuitates gentium ceciderunt*, quia finaliter iſtæ nefariæ collectiones interibunt.*Et Babylon magna*, quæ eſt ciuitas diaboli,quæ incepit in Cain, ſicut Hieruſalem dicitur ciuitas Dei,quæ incepit in Abel, *Venit in memoriam ante Deum*, per pœnæ inflictionem, *Dare ei calicem vini iræ indignationis eius*, propter legis diuinæ tranſgreſſionem, & rebellionem.

*Mali tripliciter Eccleſiam perſequuntur.*

Dicitur autem venire in memoriam, non quod Deus prius oblitus fuerit,ſed quæ ante diſtulerat per miſericordiam, poſtmodum infligit propter pœnitentiam.

*Cur aliquid dicitur venire in memoriam Dei.*

ET OMNIS INSVLA FVGIT ET OMNES MONTES NON SVNT INVENTI,[ ad litteram propter terræ complanationem, vel per inſulam,qui innotantur in aquis deliriatum, per montes,ſuperbi,& eleuati per copiam diuitiarum. Hi ergo non ſunt inuenti in retributione iuſtorum, ſed fugient in damnationem impiorum.

VERS.20. ET GRANDO MAGNA:] id eſt vltio diuina *ſicut talentum*,ponderoſa & grauis ſecundum vniuſcuiuſque meritum *deſcendit de cœlo*,id eſt à Chriſto iudice, *In homines* peccatores ſpiritualia contemnentes, & terrena appetentes. *Et blaſphemauerunt homines Deum propter plagas grandinis*: id eſt propter vehementiam afflictionis,*quoniam magna facta eſt vehementia*: quoniam ſine omni ſpe auxilij,conſolationis,&euaſionis, quia in inferno nulla eſt redemptio,&c.

ET AVDIVI VOCEM MAGNAM]ad noſtram inſtructionem,totum moraliter exponamus, per ſeptem ergo Angelos vniuerſi prædicatores deſignantur,qui debent habere ſeptem dona,& ſeptem virtutes,ſeptem ſacramenta,& ſeptem ordines, ſeptem tribulationes,in ſex tribulationibus Iob. Et ſignificantur per ſeptem mulieres, Iſaiæ trigeſimo primo. *In die illa apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*,quæ dicuntur mulieres, quia molliunt virum ſuperbum, vel ſeptem peccatorum notitiam. Ad deſtruendum hos ſeptenarios debent eſſe prædicatores vniuerſi

*Expoſitio moralis huius capitis.*

*Iob.31.*

*Iſa.31.*

A ſi nempe ſub tali numero deſignantur.

Dicuntur autem Angeli primo propter ſanctimoniam & munditiam mentis & corporis.Matthæi vigeſimo ſecundo.*In reſurrectione non nubent neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Secundo propter officium contemplationis & adminiſtrationis quam ſimul habent,nam ſecundùm quod vident in contemplatione,velle Deum, ita exequuntur in adminiſtratione, Matthæi decimo octauo. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris*.gloſſa.Angeli quocunque vadunt, nunquam à contemplatione Dei recedunt. Tertio propter ſedulas cuſtodias commiſſi hominis, Pſalmo 9.*Angelis ſuis mandauit de te*, &c. Quarto propter officium legationis.Angelus enim idem eſt quod miſſus vel nuncius,vt eſt apud Pſalmiſtam Pſalmo 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*,

*Matth.22.* *Matth.18.* *Pſal.9.* *Pſal.103.*

B Septem phialæ ſunt ſeptem prædicationes eorum & doctrinæ inferius ad terrena clauſæ, ſuperius ad cœlum apertæ, ſeptem loca vbi effunduntur phialæ, ſunt homines vniuerſi ſecundum ſeptem virtutum numerum diſtinguendi,Ioannes ergo in perſona eccleſiæ,vel Angelus eſt fidelis anima, dicit. *Et audiui vocem magnam*,id eſt,inſpirationem occultam vel monitionem apertam,*de cœlo*, id eſt venientem à Deo, *dicentem ſeptem Angelis*,id eſt prædicatoribus vniuerſis,*ite*,non greſſibus corporis,ſed via mentis, *Et effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram*, id eſt terrenis hominibus iram Dei annunciate & apertè prædicate.*Et abiit primus & effudit phialam ſuam in terram*, id eſt prædicauit contra gulam, quæ dicitur terrena propter certamen & ſitim continuam Prouerb.trigeſimo quarto.*Tria ſunt inſatiabilia, infernus & os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur aqua*,id eſt voluptate gulæ,*& factum eſt vulnus ſæuum in homines qui habent characterem beſtiæ & in eos qui adorauerunt imaginem eius*, id eſt qui viuunt ad ſimilitudinem beſtiarum, omni hora ſine diſcretione potationi & comeſtioni vacando ventri ſuo deſeruiendo pluſquam Deo:*ſi ſunt quorum Deus venter eſt*, Ad Philip. tertio. In his autem fiet vulnus ſæuum & peſſimum,quia pro gulæ vitio incurritur gehennæ ſupplicium.

*Gula terrena* *Prou.34.* *Philip.3.*

C Prima igitur effuſio phialæ eſt contra peccatum gulæ,quia tentatio hominis fuit ſuper eodem vitio, hoc vitium eſt quaſi fomentum aliorum. Vnde Matthæi ſeptimo,vbi agitur de tentationibus Chriſti,dicit gloſſa in vitio,hoc vitium eſt quaſi fomentum aliorum, pugna Chriſti prius contra gulam agitur, quia niſi prius refrenetur,contra alia vitia fruſtra laboratur.Eſt igitur gula in iis quæ homini ad conſeruationem vitæ ſunt neceſſaria exceſſus & immoderatio nociua,habet autem decem filias,crapulam, ebrietatem,prodigalitatem, inabſtinentiam, immoderantiam,inuerecundiam, vaniloquium, imprudentiam, inhoneſtatem, immodeſtiam.

*Prima effuſio phialæ gula refert.* *quid gula.* *Gula.* *Gula habet decem filias.*

D Crapula eſt exceſſus in cibo neceſſario ad ſalutem.Iſte autem exceſſus fit quinque modis. Primum cum quis ſine cauſa neceſſaria præuenit horam comedendi:ſicut Ionathas:Primi Regum quarto.Secundo quando nimis pretioſa aut delitioſa quis affectat comedere vel bibere,vt diues epulo Luc. decimo. Et filij Iſrael æſtuantes in deſerto deſiderio carnium. Numerorum decimo ſexto.Hieronymus non ſit tibi curæ ex quibus cibis pretioſis ſtercora conficiantur. Tertio quando quis in nimia quantitate comedit & bibit ſicut filij Iſrael. Exod decimo ſexto. Aqua illa quæ ſenſim deſcendit optima eſt, ſubitus autem & nimis præceps imber diſſipat:ſic cibus nimius nocet. Quarto ſtudioſitas præparandi laute,huiuſmodi peccauerunt fili Hely ſecundi Regum ſecundo. Qui carnes crudas à populo accipiebant, vt lautius ſibi præparari facerent contra legis conſuetudinem, vnde Iſidorus:Tota die epulas ruminat qui ad implendum gulam veſpere delitias præparat. Quinto quando

*Quid crapula.* *1.Reg.4.* *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.* *Quinto.*

E

do quis nimis ardenter comedit & bibit vt Eſau. Geneſis vigeſimo quinto, vnde Bernard. Ad ſanitatem corporis quanto honeſtius & ordinatius cibus ingreditur, tanto facilius & ſalubrius digeritur. A

*Ebrietas deteſtanda.* Ebrietas eſt exceſſus in potu. Quid igitur turpius ebrioſo, cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui prodit ſcelera, perdit occulta? cui mens alienatur, facies transformatur? *Ebrietatis turpitudo.* Ebrietas enim verenda nudauit & timenda, inceſtum commiſit, filium regis occidit, principes exercitus iugulauit, vnde Auguſtinus. Ebrietas aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, corrumpit ſanguinem, omnia membra debilitat, vitam minuit, omnem ſalutem exterminat. *Va ergo qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſequendam & potandum vſque ad veſperam & vino æſtuatis?* Iſa. quinto. B *Iſa. 5.*

*Quid prodigalitas, quid inabſtinentia.* Prodigalitas vero eſt effundere danda, & non danda. Inabſtinentia eſt ſtatutum tempus comedendi præterire, immoderantia enim eſt ciborum nimius appetitus, inuerecundia eſt fœda verba proferre. Vaniloquium eſt in otioſa verba exire. Imprudentia eſt exterioribus ſignis luxuriam animi demonſtrare. Inhoneſtas eſt lautiora cibaria quærere.

Nota exempla contra gulam, quam nos omnes fugere debemus & odio pluſquam Vatiniano eam proſequi. Gula turpe tributum exigit in homine, quia quanto ſunt delicatiora cibaria, tanto fœdiora ſunt ſtercora, turpius egerit qui turpiter ingerit ſuperius & inferius horribilem flatum exprimens & abominabilem flatum emittens, *Mala gula.* Gula paradiſum clauſit, primogenita vendidit, ſuſpendit paſtorem, decollauit, Ioannem, & Hieruſalem totam ſubuertit: Balthazar in conuiuio manum contra ſe ſcribentem vidit & aſpexit Mane Techel Fares, & eadē nocte interfectus eſt à Perſis, hæc ſunt damna gulæ, grauatur ſtomachus, turbatur ſenſus, comprimitur intellectus, inde non ſalus nec ſanitas ſed morbus & mors ſubitanea progrediuntur. Et hæc de prima phiala. Et ſequitur. C

*Contra luxuriam.* SECVNDVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN MARE.] Hic ſecundo prædicat contra luxuriam. Turpis enim mater generat filiam turpiorem. Iuſtum enim eſt vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, venter qui ſaturatur libenter, venerem amplexatur. D *Cur luxuria maris nomine deſignatur.* Luxuria autem maris nomine deſignatur propter feruorem, fœtorem, amaritudinem & multitudinem. *Et ſanguis factus eſt tanquam mortui.* Hoc dicit quia ſicut à morte nullus regreditur niſi miraculoſe, nec à peccato luxuriæ. *Rom. 8.* Ad Roman. 8. *Prudentia carnis mors eſt, & omnis anima viuens mortua eſt.* Item ad Timoth. 5. *Tim. 5.* *Quæ autem vidua eſt deſolata (peret in Deum, nam quæ in delitiis eſt viuens mortua eſt*, luxuria igitur eſt incontinentia *Luxuria ſpecies. Quid fornicatio, quid adulterium, quid inceſtus, quid ſtuprū.* corporis ex putredine proueniens: diuiditur autem in ſimplicem fornicationem, inceſtum, adulterium, ſtuprum, in peccatum contra naturam; ſimplex fornicatio eſt carnalis commixtio præter legitimum actum matrimonii. Adulterium eſt cum alterius coniuge fornicari. Inceſtus cum aliquis cognoſcit aliquam carnali vel ſpirituali copula coniunctam vel affinitate propinquam. Stuprū eſt defloratio virginis, reliquum prætermitto. E

*In ſacerdotes impudicos.* Attende igitur huius vitii generalitatem. Luxuria enim omnem ætatem corrumpit, omnem ſexum confundit, omnem ordinem ſoluit, omnem gradum peruertit, inuadit enim mulieres & virgines, mares & fœminas, prudentes & imprudentes, ſuperiores & inferiores, ad extremum enim ſacerdotes qui in nocte mouentur, mane virginem venerantur, turpe dictu ſed turpiſſimum actu dici liceat vt agi non libeat, nocte *Mala luxuria.* filiam veneris agitant in cubili, mane filium Virginis offerunt in altari, & quis eius exempla valeat explicare? hæc enim Pentapolim cum adiacenti regione ſubuertit, Sichem cum populo interimit, Madianitam pugione transfodit: tribum Beniamin pro vxore leuitæ deleuit, filios Heli ſacerdotis in bello proſtrauit, Vriam occidit, Amon interfecit, presbyteros lapidauit, hæc Ruben maledixit, Samſonem ſeduxit, Salomonem peruertit, verum eſt igitur quod legitur propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Nota eius incommoda. *Libidinis maxima incommoda. 1. Cor. 6.* O extrema libidinis turpido, quæ non ſolum mentem exterminat vel excæcat, ſed corpus eneruat, non ſolum maculat animam, ſed fœdat perſonam. *Omne namque peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus eſt: qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat.* Ait Apoſtolus. Semper illam præcedunt ardor & petulantia, ſemper comitantur fœtor & immunditia, ſemper ſequuntur dolor & peccata, hæc enim vires eneruat, ſenſus hebetat, diminuit dies, opes effundit, viſum inquinat, nocet doctrinæ, pabula ſpernit, doctos infatuat, animalibus æquat, & hæc ſecunda phiala.

ET TERTIVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER FLVMINA ET SVPER FONTES AQVARVM.] Iſte tertius ordo probat contra vitium iracundiæ quæ per flumina & fontes deſcribitur propter motuum impetuoſitatem, motus igitur iracundiæ dicitur fons dum ſtat in corde, ſed flumen dum exit in verbum vel factum contumeliæ. *Ira per mare deſignatur.* Sequitur, *& factus eſt ſanguis.* Iuſtū enim eſt vt ſicut ſanguinē in culpa effundit ira: ita effunditur ſanguis in pœna, *& audiui Angelum aquarum dicentem*, id eſt cuſtodem populorum Deum collaudantem. *Iuſtus es Domine qui*, nec prece nec pretio flecteris à rectitudine æquitatis, *qui es*, ſtabilitate æternitatis, *& qui eras*, fixione incommutabilitatis, *ſanctus*, quia abſque omni labe impuritatis: qui homo iudicaſti tuos (miſericorditer, liberas: & malos patienter condemnas. Et merito, quia ſanctorum & Prophetarum effuderunt ſanguinem, dediſti eis bibere: *digni enim ſunt*, in pœna æterna eos condemnaſti, ſcilicet in ipſorū pœna. Sequitur. *Et audiui alterum Angelum dicentem, Domine Deus omnipotens vera & iuſta ſunt iudicia tua.* Secundum teſtimonium introducitur ad maiorem confirmationem, per hos duos Angelos perhibentes teſtimonium Dei poſſunt intelligi duo teſtamenta. Effuſio igitur tertiæ phialæ eſt condemnatio iracundiæ. *Duplex ira. Quid ira. Ira habet 12. filias.* Eſt igitur duplex ira. bona qua homo iraſcitur de malo. Mala qua homo iraſcitur contra bonum. Ira igitur eſt animi deordinatio, qua quis aduerſus alium commouetur in iniuriam, & habet duodecim filias. Odium, diſcordiam, rixam, iniuriam, contumeliam, impatientiam, proteruitatem, malitiam, nequitiam, malignitatem, furorem, homicidium. *Quid odium, diſcordia rixa, iniuria, contumelia, impatientia, proteruitas, malitia, nequitia malignitas, furor.* Odium eſt inueteratus animi rancor. Et diſcordia eſt aliquorum diſſenſio, quos primum amoris vinculum alligauit. Rixa eſt motus iræ, factus in diſcordia. Iniuria eſt facto vel verbo cum aliquo iniuſte agere. Contumelia eſt improperium in verbis. Impatientia eſt animi motum impetuoſum non refrenare; Proteruitas eſt propriè tumultuoſa & inutilis perſecutio. Malitia eſt malum alicui ex corde peruerſo facere. Nequitia qua aliquis audet quod nequit. Malignitas eſt mala voluntas hominis quamuis nihil poſſit efficere. Furor eſt animi tempeſtas rationem proſtituens. Homicidium eſt actu vel voluntate mortē alicui moliri.

*Quinque mala ira. Eccl. 6. Eccl. 27.* Nota quod quinque mala facit. Primum, rationem obnubilat vnde Cato, ira impedit animum ne poſſit cernere verum. Secundum vitam abbreuiat. Eccleſiaſt. ſexto, *zelus & iracundia minuunt dies.* Tertium lites & iurgia generat. Eccl. 27. *Homo iracundus incendit litem & vir peccatorum conturbat amicos.* *Prou. 24.* Quartum, quia omnes fugat. *Noli eſſe amicus iracundo, nec ambules cum vire furioſo ne forte diſcas ſemitas eius & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* *Prou. 29.* Quintum, quia omnia vitia æmulatur, Prouerbior. 29. *Vir iracundus prouocat rixas & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccata procliuior.* Vnde ira turbat vitam deturpat, iurgia gignit, ira fugat ſocios

ad

ad mala currit. Et hæc de effuſione tertiæ phialæ. Sequitur.

*Superbia ſole denotatur.*

QVARTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN SOLEM.] Hic quarto prædicatur contra ſuperbiam quæ per ſolem congrue deſignatur propter claritatem, & ſubtilitatem, quam ſuperbi appetunt, *Et datum eſt illi*, videlicet prædicanti Angelo: *affligere homines*, id eſt ſuperbos & elatos: æſtu elationis cum laudentur & in igne confuſionis vituperantur, *& æſtuauerunt æſtu magno* homines quidam æſtu ambitionis cum bene ſuccedit eis quiddam, iracundiæ cum male ſuccedit eis. Nomen Dei quod ſolius Dei eſt ſibi appropriando & maiores ſuos ſpernendo: vtrumque enim eſt proprium ſuperborum. Pſalm. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*, quia videlicet ſuperbus non vult ſubeſſe, ſed ſemper præeſſe, omnis enim ſuperbus eſt intolerabilis, habitu ſuperfluus, in inceſſu pompoſus: ceruix erecta, facies torua, girantes oculi, de loco ſuperiori decertat, melioribus ſe præferri affectat: ſententias ſuas verbo & facto iactat, reuerentiam in obſequiis non obſeruat, ſed ne credatur quod Deus peccatum ſuperborum relinquat. Sequitur, *habentes poteſtatem ſuper has plagas, vt quando voluerit irrogare ſuperbis poſſit. Nec egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam*: quia vix pœnitet quē de peccato ſuperbiæ. Vnde Gregorius. Valde difficile eſt non intrare peccatum quod etiam de victoria naſcitur vitiorum.

*Superbus Deum & maiores negligit.* *Pſal. 37.* *Superbus vix pœnitet.*

*Quid ſuperbia.*

Effuſio ergo quartæ phialæ eſt condemnatio ſuperbiæ. Superbia enim animi tumor & honore alios ſuperbire gaudens, dicitur enim à ſuperbio, ſuperbis, ſuperbire: quia ſemper vult ſupra ire & præire. Generat autem iſtas filias, vanam gloriam, hypocriſim, ambitionem elationem, arrogantiam, inſolentiam, contentionem, contumaciam, contemptionem, præſumptionem, irreuerentiam, inobedientiam.

*Filiæ ſuperbiæ.*

*Inanis gloria quid.*

Nota quod inanis gloria eſt inordinatus animi motus quo propriam deſiderat excellentiam, vt alios honore præcellat. Aut inanis gloria dicitur, quia ſæcularis gloria, eius finis conſtituitur: Hypocriſis eſt eſt velle videri quod non eſt. Ambitio eſt appetitus alicuius excellentiæ, vel dignitatis. Elatio eſt animi tumor quo quis non vult pati priorem vel parem. Arrogantia eſt animi motus quo quis mouetur ad iactandum ſe habere quod non habet. Inſolentia eſt extra communem vſum quaſi cæteris deſpectis verba facta geſtuſque habitus ſpecificare. Contentio eſt impugnatio veritatis per confidentiam clamoris, & in hoc ad vanam gloriam refertur, quia ſpe inanis gloriæ exercetur. Contumacia eſt auctoritati maioris ex contemptu obuiare. Contemptus eſt illud ad quod homo tenetur, negligenter omittere. Præſumptio eſt illud quod aliorum eſt, ſibi ſpecialiter aſcribere. Inobedientia eſt à ſuo prælato iniunctis non obedire.

*Ambitio, Elatio, Arrogantia, Inſolentia.* *Contentio.* *Contumacia Contemptus. Præſumptio.* *Inobedientia.*

*Signa ſuperbiæ.*

Hæc autem ſunt ſigna ſuperbiæ. Superbus amat primas cathedras in ſynagogis, primos recubitus in cœnis, ſalutationes in foro. Et vocari ab omnibus Rabi. Non nomine perſonæ ſed nomine fortunæ vult appellari: non vt homo, ſed vt Deus vult honorari. Si ſublimis eſt incedit excelſus, vult omnes ſibi aſſurgere, ſingulos inclinare. Porro quidam philoſophus volens arrogantiam cuiuſdam principis confundere vel regis. Cum vidiſſet eum in throno regali ſedere ſublimiter proſtratus in terram ſimpliciter adorauit, & confeſtim non inuitatus aſcendit, iuxta regem ſedit: quod rex vehementer admirans eo quod vocet eum eſſe philoſophum. Cur hoc agis exquiſiuit, Qui reſpondit. Si Deus es, debui te adorare. Si homo potui iuxta te ſedere, hanc e contra turrim Babel confudit: Proſtrauit Goliam: & ſuſpendit Aman, interfecit Nichanorem: & peremit Anthiochum, Pharaonem ſubmerſit, & Sennacherib interfecit. Incommoda ſuperbiæ, quia omnis ſpiritualis ædificij eſt præcipitium: vnde ergo ſicut humilitas omnia vitia diſſipat omneſque virtutes colligit & roborat. Sic ſuperbia, virtutes deſtruit & eneruat. Secundo quia omnis peccati initium, Eccleſiaſt. 10. *Initium omnis ſuperbia*, de his duobus loquitur quidam, crimina cuncta parit, virtutum germina perdit. Item præbet deſperationis excidium. Eccleſiaſt. 20. *Synagoga ſuperborum non erit ſanitas.* Item concitat rixas & iurgium. Vnde Salomon inter ſuperbos ſemper iurgia: propter hoc & alia multa mala quæ facit ſuperbia Eccleſiaſtici. *Odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia*, &c.

*Incommoda ſuperbiæ.* *Eccleſ. 10.* *Eccleſ. 20.*

*Diaboli ſedes inuidia.* *Iſa. 4*

QVINTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER SEDEM BESTIÆ. Iſto hoc loco prædicatur contra peccatum inuidiæ, quæ eſt ſedes diaboli propria, Iſa. 14. *Sedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis.* Latera ſunt inuidi frigidi, nihil de igne charitatis habentes ſuper ſedem beſtiæ: ergo effundere phialam eſt contra inuidiæ vitium prædicare. Et quantum noceat demonſtrare. Ex hac enim quaſi radice infecta & putrida proueniunt multa mala. Mentē enim obfuſcat, Greg. Cū mens de alterius affligitur proſperitate quaſi in conſolationis radio obſcuratur. Item ſubiectum proprium cruciat. Primo quam alij noceat. Vnde Hieronymus. Inuidia primum ſibi mordax eſt. Item Tullius. Nunquam melius torquebis inuidos, quam eorum gloriæ reſiſtendo. Et Socrates fœlicium hominum gaudium ſunt inuidorum gemitus. Fœlicitas enim ſemper eſt ſubiecta inuidiæ ſola miſeria inuidia caret. Prouerb. 14. *Putredo oſſium inuidia.* Item nunquam habet finem nec ceſſat. Vnde Cyprianus: zelus non habet finem, cum cætera finiantur. Quanto enim ille cui inuidetur ſucceſſu meliori profecerit, tantæ inuidiæ incendio liuoris ignibus exardeſcit, huic vultus minarum, totuus aſpectus: pallor in facie, tremor in labiis, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrena ceruix, manus ad violentiam prompta: quæ ſi interim gladio caret, odio tamen feruidæ mentis armata, Et ſequitur.

*Mala quæ ex inuidia procedunt.* *Inuidia ſibi ipſi infœlix.* *Prou. 14.*

*Regnum diaboli inuidi.* *Detractio filia inuidiæ.*

ET FACTVM EST REGNVM EIVS TENEBROSVM.] Regnum igitur diaboli ſunt inuidi, in quibus ſemper regnant qui dicuntur tenebroſi, quia bona aliorum ſunt tenebræ eorum & manducauerunt linguas ſuas adinuicem detrahendo: detractio enim eſt filia inuidiæ, vt dicit Gregor. præ dolore de facultate bonorum marceſcendo. Inuidis enim alterius crebro marceſcit bono.

*Serpenti comparatur detractor.* *Eccleſ. 10.*

ET BLASPHEMAVERVNT DEVM COELI PRÆ DOLORIBVS ET VVLNERIBVS SVIS,] quæ ſibi ipſis fecerant cum manducatione linguarum, inter inuidos enim eſt pugna continua: vnus alium detrahendo ſagittat & vulnerat, vnde comparantur ſerpenti. Eccleſiaſtici 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihilominus habet qui occulte detrahit.* Et ſatis conuenienter. Vnde ſicut ſerpens eſt venenoſus & pernicioſus & tortuoſus. Sic detractor qui illos mordet retro quibus in facie ridet & blanditur in aperto & tortuoſe incedit, cum à laude inceperit, in vituperium tendit & finit. Et quia homines aſſueti detractioni vix corriguntur. Ideo ſubdit.

*Detractor vix emendatur.*

ET NON EGERVNT POENITENTIAM EX OPERIBVS SVIS.] Eccl. 24. *Homo aſſuetus verbis improperij omnibus diebus vita non erudietur*, Vnde Bernardus. Nunquid vipera eſt lingua, quæ trium eſt interfectrix flatu vno, ſcilicet detrahente & audiente, quando libenter audit & conſentit, & illius de quo detrahitur quando perueniunt ad audientiam eius Nam gladius triceps lingua detractoris. Nec huiuſmodi linguam mucrone illo quo dominicum latus confoſſum eſt crudeliorem dicere vereor. Fodit enim hic corpus exanime, hoc facit exanime, hæc eſt generatio quæ pro dentibus gladium linguæ habet, Prouerbior. 3. Vnde bene ſignificantur Danielis ſeptimō.

*Eccleſ. 24.* *Detractio gladius triceps.*

ptimō.

*Tria genera detractorum.*

primo.Per beſtiam ſimilem vrſo & habebat tres ordines dentium,qui ſunt tria genera detractorum : primus à parte boni diminutio. Secundus ordo à parte mali approbatio. Tertius falſi criminis impoſitio.

*Definitio inuidiæ. Etymon inuidiæ.*

Circa ergo iſtius phialæ euacuationem , conſiderandum eſt primo, quid ſit inuidia , vnde dicatur, quot ſunt ſpecies , & quibus deſcriptionibus inter ſe diſtinguuntur exempla & remedia. Inuidia ergo eſt cruciatus ex aliena fœlicitate & proſperitate proueniens. Inuidus dicitur qui alterius fœlicitate torquetur.Et ſic inducitur in duplicem paſſionem , cum quod ipſe eſt alium non vult eſſe : aut videns alium meliorem ſe eſſe:dolet ſe non eſſe conſimilem. Vnde inuidia dicitur à non videre,quia ille qui inuidet alteri,eius bona videre non poteſt.

*Species inuidiæ. Quid detractio, ſuſurriū, deprauatio, ingratitudo, mali inuentio, inuidentia.*

Diuiditur in has ſpecies. In detractionem , ſuſurrium,deprauationem,ingratitudinem, mali inuentionem,boni oppreſſionem , inuidentiam. Detractio eſt famam alterius detrahere , Suſurrium eſt inter amantes diſcordiam ſeminare. Deprauatio eſt bonum alterius peruertere , vel malum alterius memorari. Ingratitudo eſt de beneficiis gratiarum actionem non reddere: Inuentio mali,eſt alij imponere aliquod genus peccati. Oppreſſio boni eſt alterius bonum tacere.Inuidentia eſt alterius bonos ſucceſſus velle non videre.

*Inuidiæ remedia.*

Inuidia enim Cain Abel iuſtum occidit. Ioſeph dilectum Iſmaelitis vendidit, Iudæi manſuetum regem gloriæ crucifixerunt , & tamen Pilatus ſciebat quod per inuidiam tradidiſſent eum : huius autem ſunt remedia:primum eſt,de quo Gregorius. Qui facibus inuidiæ deſiderat carere , illam hæreditatem appetat quam numerus poſſidentium non anguſtat. Secundum ſupernæ dilectionis perſuaſio. Deus enim omnes Angelos condidit ſimul. Homines vero ex vno parente : ideo propagari voluit ad commendationem vnicæ dilectionis & excluſionem mutuæ æmulationis. Tertium eſt multiplicitas anxietatis & amaritudinis.Sicut enim ignis græcus cum arena & aceto extinguitur,ſic inuidia ex conſideratione infructuoſitatis & amaritudinis quæ ex ea ſequitur. Et hæc de quinto.

VERS.12. ET SEXTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN FLVMEN ILLVD MAGNVM EVFRATEM, ET SICCAVIT AQVAM EIVS, VT PRÆPARARETVR VIA REGIBVS AB ORTV SOLIS.] In iſto ſexto loco contra auaritiam prædicatur , quæ per flumen Eufratem congrue deſignatur : Eufrates enim interpretatur creſcens,vel frugifer,vel puluerulentus & ſignificat cupiditatem & auaritiam , quæ ſemper voluit fructificare in pluribus , & terrenis , quæ ſunt in fluxu continuo quaſi flumen. Pſalm. *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Phialam igitur ſuper Eufratem effundere eſt contra auaritiam prædicare:quod tantū malum eſt ſecundū Hieronym. quod latro poteſt eam merito accuſare , appellatur & *Idolorum ſeruitus*,ad Epheſ. quinto. Quia ſicut idololatra ſeruit ſimulacro,ſic auarus theſauro : nam ille cultū idololatriæ diligenter ampliat : & iſte cumulum pecuniæ augmentat. Omnis autem cupidus & auarus contra naturam nititur & molitur, natura enim pauperem adducit in mundum , pauperem reducit à mundo: nudum enim terra ſuſcepit,nudum terra ſuſcipiet,cupidus curat peruertere, medium deuians ab extremo. Ideo Eccleſiaſtici inſatiabilis eſt oculus cupidi: quia eius anima capax eſt Dei,qui nunquam eſt plenus , niſi Deum habeat cuius ſemper capax eſt : & qui ſolus noſtrum terminat & ſatiat appetitum. Sequitur.

*Auaritia Eufrate notatur.* *Epheſ.5.* *Deteſtanda auaritia & quibus de cauſis.*

VERS.13. ET VIDI DE ORE DRACONIS ET DE ORE BESTIÆ, ET DE ORE PSEVDOPROPHETÆ EXIRE



A SPIRITVS TRES IMMVNDOS IN MODVM RANARVM.] Draco enim eſt animal ſitibundū & ſignificat auaritiam inſatiabilem.Eccleſiaſt. quinto. *Auarus non implebitur pecunia.* Tres autem ſpiritus immundi qui de ore eius exeunt,ſunt, Sagacitas in acquirendo , tenacitas in conſeruando, imprudentia in expendendo , & diſtribuendo. Iſtę igitur tres ſpecies ſunt ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna : quia omnia obediunt pecuniæ. Et dæmones de inferno procedunt ad reges terræ congregare illos in prælium. Quid incitat & prouocat reges Chriſtianitatis niſi radix cupiditatis ? Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. Hæc ſacrilegium committit.Hæc furta rapiens exercet & gerit & homicidia ſimoniace vendit B & emit , inique petit & recipit,iniuſtè negociatur & fœneratur , inſtar dolis & fraudibus,diſſoluit pactum & violat iuramentum , corrumpit teſtimonia,& peruertit iudicium.Hæc igitur eſt ſollicitudinis generatiua , vt patet de diuite illo , qui non poterat quieſcere. Luc. tertio. Eſt domeſticorum conturbatiua. Prouerbiorum quinto. *Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam*,eſt corporis & cordis inquinatiua,eſt ſuperbiæ inflammatiua, eſt virtutum diſſipatiua , eſt timoris continui incuſſiua.

*Eccleſ.5.* *Tres ſpiritus immundi.* *Omnia fere obediunt pecuniis.* *Auaritia mala.* *Luc.3.* *Prou.5.*

Vnde ſequitur, AD DIEM MAGNVM DEI OMNIPOTENTIS,] in quo nihil proderunt ei opes,non ſufficient honores , non ſuffragabuntur amici.Scriptum eſt enim in Ezech. *Argentum eorum & aurum non valebit eos liberare in die furoris Domini*, quia igitur incerta eſt hora diei illius ſicut probat littera ſequens:deberent certe facere amicos de mammona iniquitatis. *Ezech.7.*

C

Vnde ſubdit. ECCE VENIO SICVT FVR,]ex inſperato & ſubito malos præueniendo , & bonos præueniendo.*Beatus ergo* , qui vigilat bonis operibus inſudando, *& cuſtodit veſtimenta ſua*, ab inſidiis diaboli præcauendo,*ne nudus ambulet , & videant turpitudinem eius* , per confuſionem in cunctis gentibus emicando.

ET CONGREGABIT ILLOS IN LOCVM QVI VOCATVR HEBRAICÆ ARMAGEDON,] quamuis finaliter oporteat conuenire ad locum iudicij , prius D tamen congregantur à dæmonibus in Armagedon, qui mons furis dicitur , quia tales furantur bona pauperum & in illicitos vſus conuertunt & expendunt. VERS.16. *Armagedon.*

Nota proprietates auari. Nunc igitur reſtat dicere de auaritia ordine propoſito,primo ponendo quammultos ſeduxit & quam plures perdidit auaritia , Balaam aſella redarguit & pedem ſedentis contriuit, quia captus cupidine promiſſorum diſpoſuerat maledicere Iſraeli,Achan,quia tulit argentum & aurum de Anathemate Hierico. Naboth interemptus eſt vt eius vineam Achab poſſideret.Giezi lepra perfunditur, quia petiit & recepit argentum & veſtem ſub nomine Heliſei. Iudas laqueo ſe ſuſpendit, quia tradidit Chriſtum. Ananiam & Saphyram ſubitanea mors extinxit , quia defraudauerunt de pretio agri E Apoſtolos. *Auaritiæ damna.*

*Auari proprietates.*

Hæ ſunt proprietates auari.Auarus ad petendum promptus , ad dandum tardus,ad negandum frontoſus.Si quid expendit totum euertit triſtis , querulus,& moroſus , ſollicitus ſuſpirat , dubius hæret,inuitus impendit. Magnificat datum & vilificat dandum , largus in alieno , ſed auarus in proprio , gulam euacuat , vt arcam impleat , corpus extenuat, vt lucrum extendat. Auarus igitur habet damnationem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Eſt igitur auaritia animi peſtis , cupiditas acquirendi vel recipiendi,diuitiis inhians:ad hanc pertinent ſimonia,vſura,latrocinia,periuria,furta, mendacia , rapina,violentiæ,inquietudines,iniuſtum iudicium, obſtinatio, iniuſtitia,dolus.

A Simonia eſt cupiditas emendi vel vendendi ſpirituale vel annexum ſpirituali. Et dicitur ſimonia à Simone mago, qui prius voluit emere ſpiritualia, id eſt gratiam faciendi miracula: vnde proprie dicuntur ſimoniaci qui emunt, Geſitani qui vendunt à Giezi diſcipulo Heliſæi quia à Naaman Syro munus extorſit pro curatione lepræ. Simonia autem in varias diuiditur ſpecies. Eſt enim ſimonia qua penſatur, munus ab officio, quando aliquis ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa penſat, cum timore aliquando cum alicui præ timore principis ordo, vel canonicatus datur: ab amore, quando ſolo zelo carnali, amore alicui Eccleſiaſtica beneficia quis impendit.

*Simonia multiplex.*

*Simonia impropria.*

Vſura eſt ſtudioſa cupiditas recipiendi aliquid ſupra ſortem: vt ſi aliquis alicui hoc pacto decem ſolidos accommodet, vt duodecim accipiat: ſed iſta vſura multis modis variatur. Satis de ea dictum eſt in quadrageſimali. Latrocinium eſt cõtractatio rei alienæ inuito domino. Periurium ſpectat ad auaritiam quia teſte Auguſtino. periurium eſt mendacium iuramento confirmatum. Mendacium eſt falſæ vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Diuiditur in ſeptem ſpecies ſicut alibi ſuperius eſt tractatum. Rapina eſt prædatio violenta rei alienæ. Violentia eſt iniurioſa coactio: vt quando aliquis alium cogit iniuſte vt ei aliquid offerat. Inquietudo eſt alium iniuſte commouere. Iniuſtum iudicium eſt ſententiæ iniuſtæ latio ex timore vel amore pecuniæ promulgata. Obſtinatio eſt pertinacia in malo. Dolus eſt fraudulenta deceptio. Verſus contra auaritiam: ſollicitat, turbat, perdit, grauat, inquinat, inflat, os mutum reddit, paradiſi limina claudit. Crimina quæque parit virtutum mœnia frangit.

*Vſura quid ſit.*

*Vſura multiplex.*

*Acedia quid.*

Et secvndvs Angelvs effvdit phialam svam in mare.] Hic alio loco contra acediam prædicatur quemadmodum huc illuc agitatur & circa illicita peruagatur; quam omnis natura naturaliter reprehendit, quæ præceptum ſuæ plaſmationis ſine fatigatione & intermiſſione continue peragit, Exemplum in ſole, defertur enim ſol continue ab oriente in occidentem, & hoc ſine dilatione: & tamen non expectat aliqualem remunerationem ex ſua diligentia qualem expectat homo. Ad hoc reſpexit Salomon quando miſit hominem ad formicam erudiendum. Prouerbiorum ſexto, dicens: D *Vade ad formicam piger & conſidera vias eius & diſce ſapientiam ab ea qua cum non habeat ducem vel principem parat ſibi in æſtate cibum & congregat quod comedat.* Quamuis autem illud vitium ab hominibus paruum & modicum reputatur, tamen facit quindecim mala quæ his verſibus continentur. Damnificat, bona diſſipat quoque, & mala nutrit. Damnat & occidit, præſumit: reddit egentem, maliuolum, cupidum, mendacem, luxurioſum. Torpentem, timidum vagum, ſimul, & maledictum.

*Prou. 6.*

*Mala acedia*

*Species acedia.*

De hoc vitio ſicut de cæteris eſt agendum. Acedia igitur eſt animi torpor, quo quis aut animi bona negligit, aut faſtidit perficere. Hæc autem diuiditur in has ſpecies deſidiam, pigritiam, puſillanimitatem, E negligentiam, improuidentiam, incircunſpectionem, tepiditatem, ignauiam. Deſidia igitur eſt ſegnicies, qua quis bona aggredi formidat, qua timet aggredi magna & ardua. Negligentia eſt animi torpor, qua quis minus diligens eſt in exequendis officiis ſibi commiſſis. Improuidentia eſt obtenebratio mentis, qua quis minus cautus eſt in prouidendo futura ſeu præterita. Incircunſpectio eſt animi vitium, quo quis minus diſcernit contrarietatem vitiorum, vt cum quis vitando prodigalitatem cadit in auaritiam. Tepiditas eſt animi torpor, quo quis torpet in illius rei executione in qua debet feruere. Ignauia eſt animi vitium, quo quis in nullo tempore debitam adhibet deſcriptionẽ.

*Quid deſidia.*

*Negligentia.*

*Improuidentia.*

*Incircunſpectio.*

*Tepiditas.*

*Ignauia.*

A Contra acediæ exempla Dauid dignitate regia ſublimatus confitetur ſe eſſe in laboribus à iuuentute ſua. De ſapiente muliere legitur in fine Prouerbiorum vlt. quod *panem otioſa non comedit.* Paulus Doctor gentium ſibi coronam, repoſitam præſtolatur quia plus omnibus laborauit. Ille inſuper, qui eſt ſummi Patris reclinatorium & requies laborantium, fatigatus ex itinere ſedit ſuper fontem, Bernard. Quamdiu memor ero laborum quos Chriſtus ſuſtinuit in prædicando, fatigationum, in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigilarum in orando, lachrymarum in compatiendo, recordabor & dolorum, conuitiorum, B ſputorum, colaphorum & aliquando requiretur à me ſanguis iuſti, qui effuſus eſt pro me ſuper terrã, &c.

*Prou. vlt.*

Et exivit vox magna de templo] id eſt ſanctorum exhortatio & commemoratio quoad ſeptem vitia prædicta, *exiuit* inquam *à throno*, i. à Doctoribus qui ex officio ſedent in cathedra magiſtrali, *dicens factum eſt*, i. conſummata eſt mundi malitia vt veniat finis eius, Gen. 7. *Finis vniuerſæ carnis venit coram me.* Vers 17.

Et facta svnt fvlgvra,] miraculorum. *Et voces* exhortationum. *Et tonitrua* comminationum, *& terræmotus factus magnus*, id eſt conuerſio peccatorum. Pſalm. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra. Qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt*, talis terræmotus, ſic magnus hoc reſpicit tempus prius in quo multi ad prædicationem modernorũ prædicatorũ ſunt conuerſi ad fidem & pœnitentiã. C

*Gen. 7.* Vers. 18.

*Pſal. 76.*

Et facta est civitas magna in tres partes,] id eſt mundus diuiſus eſt in tres concupiſcentias. 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, vel tres partes vocat tria genera reproborum, quæ ſunt in mundo, ſcilicet Iudæos, Gentiles, Hæreticos de quibus conſtat quod ſunt damnati ſi in illo ſtatu decedant. Ioan. *qui non credit iam iudicatus eſt.* Vel tres partes dicit, propter tres modos peccandi per impotentiam, per ignorantiam, per malitiam, mali omnes dicuntur tres partes qui peccant in Deũ, in ſe, & in proximum. Item qui peccant ore, corde, & opere. *Et ciuitas gentium*, id eſt congregatio malorum ceciderunt qui operantur iniquitatem: Vers. 19.

*Tria reproborum genera*

*1. Ioan. 2.*

*Ioan. 3.*

Et omnis insvla,] i. deuotorum pacata affectio fugit dum ſocietatem prauorum contempſit, *& omnes montes*, i. ſanctorum contemplationes, *non ſunt inuenti*, in malorum ſupplicio. Et oſtendit in qua pœna non ſunt inuenti cum ſubdit. Vers. 20.

Et grando magna] i. pœna æterna, *ſicut talentum*, id eſt ponderoſa & menſurata, *deſcendit de cælo*, id eſt à cæleſti Chriſto in homines Chriſtum contemnentes & humo adhærentes. *Et blaſphemauerunt Deum*, homines propter plagam grandinis, propter diem vltionis, quoniam *magna facta eſt vehementer*, quia ſine remedio & ſpe redemptionis. Vers. 21.

## SYNOPSIS CAPITIS DECIMISEPTIMI.

*VIDETVR à Beato Ioanne mulier fornicaria ſiue Babylon variis induta ornamentis, & ebria martyrum ſanguine, ſedens ſuper beſtiam ſeptem capitum & decem cornuum: quorum omnium explicationem audit & diſcit ab Angelo.*

CAPVT

*CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.*

1. ET venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.

2. Cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius.

3. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

4. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.

5. Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu. Et miratus ſum cum vidiſſem illam admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus, Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.

8. Beſtia, quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.

9. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt.

10. Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit: & cum venerit oportet illum breue tempus manere.

11. Et beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit.

*S. Bernard. de Senis, in Apocal.*

12. Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam.

13. Hi vnum conſilium habent, & virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradẽt.

14. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles.

15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.

16. Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia: hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.

17. Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum eſt illi, vt dent regnum ſuũ beſtiæ donec conſummentur verba Dei.

18. Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

*EXPOSITIO DECIMISEPTIMI Capitis.*

ET VENIT VNVS DE SEPTEM ANGELIS &c.] Oſtenſa damnatione perſecutorum per reuelationem, & prædicatorum denunciationem. Hic oſtenditur cauſa damnationis ſub typo mulieris meretricis, cuius deſcribitur viſio imaginaria hoc ordine, primo ponitur ipſius mulieris ænigmatica figuratio, ſecundo intelligibilis expoſitio ibi, *& miratus ſum cum vidiſſem illam.* Iſta igitur meretrix magna poteſt dici falſitas Antichriſtiana, vel vanitas mundana vel ciuitas Romana, vel peccatrix anima: deſcribitur ergo quantũ ad ſexum deceptiuũ ibi, *& mulierem ſedentem ſuper beſtiam*, quantum ad ſitum præceptiuum ibi, *habentem capita ſeptem & cornua decem*, quantum ad habitum ornatiuum ibi, *& mulier circundata erat purpura & coccino*, quantum ad actum infectiuum ibi, *habens poculum aureum in manu ſua*, quantum ad titulum cognitiuum ibi, *& in fronte eius nomen ſcriptum Myſterium.* Quantum ad caſum ſubmerſiuum ibi, *& vidi muliere ebriam in ſanguine ſanctorum*, dicit ergo.

*Vers. 1.*
*Meretrix magna Antichriſti falſitas.*
*Mulier ſexus deceptiuus.*

ET VENIT VNVS DE SEPTEM ANGELIS,] vnus inquam propter vnitatem prædicationis, propter vnitatem mittentis, propter vnitatem intenti finis, ad Epheſ. 4. *vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Et locutus eſt mecum dicens.* Per apertionem reuelationis, *& oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*, id eſt cauſam damnationis perpetuæ quæ dicitur meretrix, quia relicto vero ſponſo Chriſto fornicatur cum diabolo per peccatum, vel cum mundo per amorem illicitum, quæ dicitur magna per peccatorum numeroſitatem, vel peccatorum enormitatẽ, *quæ ſedet ſuper aquas multas*, & ſuper populorum multitudinẽ qui cõtinue currunt & effluũt per fluẽta vitiorũ

*Epheſ. 4.*

1. Reg. 14. Reg. 14. *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur, quæ non reuertitur*, ſuper has aquas ſedet mundana vanitas, quia fere cuncti mortales ſubiecti ſunt fluxibili vanitati Pſ. *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* *Pſal. 38.*

Vers. 2. Cvm qva fornicati svnt reges terræ,] id eſt terreni principes Deum derelinquentes, & ipſi ſeruientes, *& inebriati ſunt qui habitant terram*, id eſt facti ſunt terrenis inhiantes, & malorũ veſtigia ſequentes, *de vino proſtitutionis eius*, id eſt carnali delectatione & peruerſa intentione, & brutali affectione, ſicut enim ebrius intrepidus efficitur vt periculum mortis non timeat, ſic carnalia deſideria & mundana gaudia amplexantes, ſcil. Iſa. 28. *ſacerdos & Propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium*, proh pudor cum ad pronunciandum Euangelicam lectionem à quodam patre benedictio peteretur, heſternam crapulam & nocturnam ebrietatem eructans fertur alta voce dixiſſe. Potum ſeruorum ſuorum, benedicat rex Angelorum, & ſequitur abſtractio contemplanda à ſimilibus ad intelligentiam. *Iſa. 28.*

Vers. 3. *Reprobi deſertio.* Abstvlit me,] ab infimis ad ſuperiora eleuanda, *in deſertum*, id eſt in reprobos à Deo deſertos pœnam eorum demonſtrando, *in ſpiritu*, ſpiritualiter contuendo, concupiendo, *& vidi*, ſic abſtractus, *mulierem*, quantum ad omnium mundanorum vnitatem, vel nouitatem, quæ dicuntur mulier propter vitæ mollitiem & fallendi felicitatem, *ſedentem ſuper beſtiam*, id eſt innitentem & quieſcentem ſuper Antichriſtum & diabolum, *coccineam*, id eſt ſanguinem quod dicit propter ſanguinis effuſionem nimiam quam faciet Antichriſtus diabolo ſuggerente, *plenam nominibus blaſphemiæ*, hoc pro tanto dicit Ioan. quia Antichriſtus Chriſtum in omnibus operibus & ſermonibus blaſphemabit, vel hoc dicit, quia prima facie multa nomina habebit quæ inuehet in ipſum Chriſtum, & *habentem ſeptem capita*, id eſt poteſtatem omnium principum mundanorum. *Et cornua decem*, id eſt imperium omnium.

*Mundanorum vnitas cur mulier.*

Vers. 4. Et mvlier circvndata erat pvrpvra,] quia mundi gloria decorata, *& coccino*, quia ſanguine martyrum cruentata, coccus enim eſt color rubeus, *& inaurata auro*, quia figmento ſanctitatis & ſapientiæ palliata, *& lapide pretioſo*, ſoliditate conſtantiæ & patientiæ roborata, *& margaritis*, virtutum varietate adornata, hæc enim omnia habebit in apparentia, & non in exiſtentia, *habens poculum aureũ in manu ſua*, per carnis delectationem deſignatur, quæ reputabitur poculum aureum, cum tamen ſit inſanabile venenum, vnde ſequitur, *plenum abominatione*, quantum ad intuentes, *Et immunditia fornicationis eius*, quantum ad deguſtantes.

*Voluptas videtur poculum aureum ſed eſt venenum.*

*Inuectio contra mulieres nimis ornatas*

Vel aliter per omnia figuratur contracta ex naturali origine, ex corporali pulchritudine, ex ſcientia, ex diuitiis ex operibus ſimulatis. Totum illud poſſet exponi proprie ſuper cultum ſuperfluum mulierum, quid enim eſt mulier pretioſis ornata, niſi ſepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum ſpurcitia? iacinthus & purpura, coccus & byſſus in limo putreſcunt, aurum & argentum, lapides & gemmæ in luto ſordeſcunt, dignitas & poteſtas male iacent in puluere, honor & gloria male ſedent in cinere.

Refert Ioſephus quod Dina filia Iacob Patriarchæ antequam egrederetur & emeret ornatum mulierum prouincialium virgo permanſit; cum autem egreſſa eſt, Sichen filius regis Amorrhæi eam violenter oppreſſit. Holofernes qui iacebat in cubili quod erat ex purpura & auro & margaritis & lapidibus pretioſis intextum, iugulatus eſt à Iudith, qui cum prius vteretur cilicio, tunc ornatum aſſumpſit ad litteram, plus enim defertur hodie pretioſis veſtibus quam virtutibus. Cum enim quidam Philoſophus in habitu contemptibili aulam principis adiſſet, & dum pulſans non fuiſſet admiſſus, quoties tentauit aggredi toties contigit & contigiſſet repelli, mutauit habitum, & aſſumpſit ornatum, tunc ad primam vocem aditus patuit venienti, qui procedens ad principem, pallium quod geſtabat cœpit venerabiliter oſculari, ſuper quo princeps admirans, cur hoc ageret exquiſiuit, ad hoc Philoſophus reſpondit, honorantem honoro, quia quod virtus non potuit, veſtis obtinuit.

*Plus defertur veſtibus quam virtutibus.*

Attende qualiter ſupra ſuperfluum ornatum Dominus ad prophetam. Iſa. 15. *Pro eo*, inquit *quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo & nutibus oculorum ibant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion & ceruicem earum denudabit*: & ſequitur. *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium & pro faſcia pectorali cilicium.* Ecce iſta redditur pœna pro culpa vt in eo puniantur in quo peccauerunt. *Iſa. 15.*

*In quo quis peccat punitur.*

Vel poſſet propriè exponi contra pompoſum cultum prælatorum moderni temporis. Quid enim prodeſt pingere cameras, ditare porticus, palliare veſtibulum, ſubſternere pauimentum, & ponere lectulum inflatum plumis, coopertum ſericis, abductum cortinis? ad nihilum valet vltra niſi quod omnia fere ſunt plena abominatione & immunditia, vt habetur in littera.

Vers. 5. Et in fronte eivs scriptvm nomen,] ſcilicet myſterium, quia multa ſimulatione eorũ malitia erat velata, quoad reprobos, ſed reuelata, quoad electos, quod probat tripliciter ſequẽs titulus, *Babylõ magna*, quantum ad confuſionem, *mater fornicationum*, quãtum ad infectionem, *& abominationum terræ*, quantum ad deteſtationem.

Vers. 6. Et vidi mvlierem,] & malorum congregationem mollia diligentem, nihil vigoris habentem, *ebriam de ſanguine ſanctorum*, id eſt ſatiatam morte iuſtorum, quoad ſanctos minores, *& de ſanguine martyrum Ieſu*, qui videlicet teſtificantur Ieſum verum Deum & hominem quantum ad viatores, vel per ſanctos intelliguntur ſancti occiſi ante Chriſti aduentum, vt Abel, Zacharias, & alij, per martyres vero qui poſt aduentum propter fidem Ieſu & teſtimonium, vt Iacobus, Petrus, Paulus, Stephanus. O quam fœlix qui pro nomine Ieſu occiditur.

Sequitur ſecunda pars principalis vbi ponitur expoſitio intelligibilis imaginariæ viſionis; vnde dicit, *tunc miratus ſum cum vidiſſem illam*, ſcilicet meretricem primo exaltatam & poſt ſic conculcatam, *admiratione magna.*

Vers. 7. Et dixit mihi angelvs qvare miraris?] quaſi diceus ſi attendere & indagare volueris, ſine admiratione cognoſces. quod iuſto Dei iudicio punitur æternaliter quæ permittitur proſperari temporaliter, Sed qua iuſtitia peccatum temporale puniatur pœna æterna. Reſpondet Gregorius, quia homo temporalis peccat in ſuo æterno, æternus Deus punit in ſuo, vnde quia homo noluit facere finem peccato, nec Deus ſupplicio quod præparauit pro delicto. Sed quæ adhuc ratio cum æternum Dei finem non habeat, ſed æternum hominis habet. Solum pœna redditur æterna, quia offendit iudicem æternum, quantitas enim pœnæ attenditur ex parte offenſi, quia quanto offenſus dignior, tanto offenſa grauior.

*Cur peccatum temporale punitur pœna æterna*

Nota quod non omnis pœna inflicta digna eſt admiratione, ſed potius culpa: non enim mirum eſt ſi Deus æternus pro offenſa ſibi facta pœnam æternam inferat. Sed illud mirandum quomodo creatura ſuum audet offendere creatorem? Sequitur, *ego dicam ſacramentum mulieris*, id eſt beſtiæ quæ portat illam, *quæ habet capita ſeptem, & cornua decem*, nam aperte declarando & exponendo:

*Admiratione dignum quod creatura ſuum offendat creatorem.*

Vers. 8. Bestia qvam vidisti.] ſcilicet diabolum,

fuit

fuit in magna gloria ante ſuam deiectionem, *& non eſt*, ſcilicet reintegrabilis propter obſtinationem. Vel aliter, *beſtia*, ſcilicet, *quam vidiſti fuit*, in magna virtute ante Chriſti aduentum, cuius ſignum eſt, quia pauci erant cultores Dei, & ipſe tenebat chirographum, & non eſt, ſcilicet in tanta poteſtate poſt Chriſti ortum digniſſimum. Ioan. 14. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & aſcenſurus eſt de abyſſo*, per poteſtatis reſumptionem tempore Antichriſti, *in interitum ibit per æternam damnationem*, hoc etiam poteſt exponi de Antichriſto, *fuit & non eſt*, quia cito ipſius gloria pertranſibit, *& mirabuntur inhabitantes terram* pro tam ſubita annihilatione, *quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ.*

*Diabolus ante aduentum Chriſti potens, nunc debilis.*

Quidam enim ſcribuntur in pagina æternæ prædeſtinationis, quorum ſcriptura indelebilis, quidam vero in pagina præſentis iuſtificationis, quorum ſcriptura eſt delebilis, hic eſt liber ſecundum Hug. de Arca Noe, cuius origo æterna, cuius incorruptibilis eſſentia, cuius cognitio vera, cuius ſcriptura indelebilis, cuius aſpectus deſiderabilis, cuius doctrina facilis. Hic vero liber, ſecundum eundem, ſcripturæ ſubtilis, vel fruibilis eſt aperte omnium deliciarum varietate refertus, nihil in eo quæſieris quod non inuenias, & cum vnum inueneris tibi ſatisfactũ videbis, ibi vniuerſa opera reſtaurationis noſtræ à principio mundi vſque ad finem pleniſſime continentur, & ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ figuratur, ibi & hiſtoria rerum geſtarum texitur, ibi myſteria ſacramentorum inueniuntur, ibi diſpoſiti ſunt gradus affectuum, cogitationum, meditationum, contemplationum, bonorum operum, virtutum, & præmiorum, ibi, quid quærere, quid agere, quid ſperare debeamus, oſtendere, ibi forma vitæ hominis & ſumma perfectionis continetur, ibi elucent occulta, ibi operoſa apparent facilia, & quæ per ſe videri poterunt minus congrua in ordine ſuo conſiderata, probantur idonea, ibi quoddam corpus vniuerſitatis compingitur, & concordia ſingulorum explicatur, fœlix qui frequenter ſtuduit in hoc libro.

*In libro vitæ quid agendum ſit agnoſcimus.*

VERS. 9. Sequitur ET HIC EST SENSVS, ] qui neceſſarius eſt ad prædicandum huius beſtiæ verſutias & fallacias, *qui habet ſapientiam*, hic ſupple præuidebit etiam inſidias, ſapientia enim dicitur à ſapore, tunc enim ſecundum Bern. Habes ſapientiam ſi ſapiant tibi omnia quod ſunt, eſt autem ſapientia triplex, ſcilicet ſacræ Scripturæ. Prima temporaliter acquiſita, & habita per ſtudium. Secunda, donum primum Spiritus ſancti, infuſa mentaliter & donum gratuitum. Tertia Verbum æternum; æternaliter genita & reſeruata in præmium. De prima Sap. 6. *Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam omnium bonorum mater eſt, quam ſine fictione didiſci & ſine inuidia communico & honeſtatem illius non abſcondo.* Vbi hæc ſapientia deſcribitur copioſa in continendo, quia omnium bonorum mater eſt, ſtudioſa in acquirendo, quam ſine fictione didiſci, gratioſa in communicando, quia & ſine inuidia communico; ſpecioſa in conuerſando, quia honeſtatem illius non abſcondo.

*Sap. 6.*

*Sapientia, virtus, & efficacia.*

Ergo ſapientia eſt copioſa in continendo, quia continet duodenarium articulorum in credendo, denariũ præceptorum ad cuſtodiendum, ternarium conſiliorum ad afferendum, ſeptenarium vitiorum ad deteſtandum, ſeptenarium petitionum ad imperrandum, ſeptenarium ſacramentorum ad curandum, ſeptenarium virtutum ad ornandum, ſeptenarium donorum ad expediendum, ſeptenarium beatitudinum ad perficiendum.

*Sapientia in continendo copioſa.*

Sed eſt ſtudioſa in acquirendo. Baruch. 3. *Diſce vbi ſit prudentia, vbi virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus vbi ſit lumen oculorum & pax*, vbi ſit prudentia in præcauendis inſidiis vel præhabendis conſiliis, virtus in proferendis moleſtiis, intellectus in cognoſcendis occultis, & hæc tria pertinent ad ſtatum viæ, longiturnitas attenditur, hic quantum ad durationis æternitatem, victus quantum ad delicioſitatem, lumen quantum ad viſionis claritatem, pax quantum ad ſecuritatem, & hæc quatuor pertinent quantum ad ſtatum primæ, & ſic omnis perfectio dicetur in ſacra Scriptura.

*Baruch. 3.*



Eſt etiam gratioſa in communicando. Sap. 7. *In certamine eloquela illius ſapientia & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius.* Eſt ſpecioſa in conuerſando. Prouerbior. 17. *In facie prudentis lucet ſapientia infuſa*, de qua Iacob. 3. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia* per infuſionem, ſcilicet data, pudica eſt, animam caſtificans, deinde pacifica, rebellionem tranquillans, modeſta ſuperfluum abdicans: ſuaſibilis intellectum captiuans, bonis conſentiens, rationem inclinans, plena miſericordiæ, affectum inflammans: de operibus bonis pietate fructificans, ſine ſimulatione iudicans, vt pote rationes æternas contemplans.

*Sapientia gratioſa eſt in communicando. Sap. 7. Prou. 17. Iacob. 3.*

Sequitur de ſapientia increata quæ eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, fons ſapientiæ, verbum Dei in excelſis, ad Coloſſ. 1. Hæc autem ſapientia exiſtit æternaliter. Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata ſum*, emanat originaliter, Eccleſ. 14. *Ego ex ore altiſſimi prodii*, producit exemplariter. Pſalm. *omnia in ſapientia feciſti.* Et ſequitur reuelatio facta Ioanni de ſeptem capitibus beſtiæ, *ſeptem capita ſeptem montes ſunt, ſupra quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt*, quaſi dicat ſeptem capita beſtiæ, ſunt reges ſeptem principales, in perſecutione Eccleſiæ, & per ſeptem ſtatus eiuſdem, primus fuit ab Adam vſque ad Noe. Secundus à Noe vſque ad Abraham. Tertius de Abraham vſque ad Moyſem Quartus à Moyſe vſque ad Dauid.

*De ſapientia increata. Coloſſ. 1. Prou. 8. Eccl. 14. Pſal. 103.*

Quintus à Dauid vſque ad Chriſtum. Sextus à Chriſto vſque ad Antichriſtum. Septimus tempore Antichriſti. Septem igitur capita malorum in veteri Teſtamento ſunt hæc. Primum fuit Cain. Secundum fuit Nembrot. Tertium Iſmael. Quartum Pharao. Quintum Nabuchodonoſor. Sextum Herodes Aſcalonita, qui occidit pueros. Septimum Antichriſtus. In nouo vetero teſtamento, primum caput Herodes Antipas ſub quo Dominus paſſus, ſecundum Nero, tertium Conſtantius Arrius, quartum Coſdroe, quintum Diocletianus & quod dicitur in textu, ſextum quidam innominatus fraudulentiſſimus, qui debet multa mala facere, ecce pro quo dictum eſt, vnus eſt, qui vero ſit ille, non eſt noſtrum determinate, ſeptimus Antichriſtus, pro quo ſubdit.

*Septem perſecutores Eccleſiæ.*

ET VNVS ALIVS VENIT, ET CVM VENERIT OPVS EVM BREVI MANERE, ] ſcilicet tribus annis cum dimidio, & ideo minime timendus. VERS. 10.

ET BESTIA QVÆ ERAT, ] id eſt diabolus ante Chriſti aduentum in magna ſublimitate, *& non eſt*, ſcilicet nato Chriſto, in tanta poteſtate, *& ipſa octaua eſt*, quia ſeptem tranſcendit in malitia & calliditate, *& de ſeptem eſt*, quia per quæ quis peccat cum eis, plectetur in æterna calamitate, gloſſa exponit de Antichriſto ſic, *& beſtia*, id eſt Antichriſtus beſtialiter viuens, *qui erat & non eſt*, id eſt cuius potentia, ipſa octaua eſt, quia ſuperexcedit omnes malos, qui fuerunt in nouo & veteri teſtamẽto in malitia, de ſeptem, quia in culpa & miſeria, vel quia in gradu malitiæ pertinet, ſeptimum pro completiua ipſius malitia, & in interitum vadit vterque, videlicet in æterna ſupplicia. VERS. 11.

*Antichriſtus omnium peſſimus*

Sequitur ET DECEM CORNVA QVÆ VIDISTI IN CAPITE BESTIÆ, DECEM REGES SVNT, ] qui erunt tempore Antichriſti ſub Romano Imperio, *qui nondum regnum acceperunt*, hoc dicebat Angelus Ioan. pro tẽpore, quo hoc demonſtrabat. VERS. 12.

Dan.7. Dan.7. *Porrò decem cornua ipſius regni decem reges ſunt*, ſed poteſtatem tanquam reges, quia non per ſucceſſionem hæreditariam ſed per commiſſionem dominij *vna hora accipient*, quia cito deficient, *poſt beſtiam*, quia diabolo & Antichriſto obedient.

Vers 13. HI VNVM CONSILIVM HABENT,] mala conferendo, *& virtutem & poteſtatem*, ſuam beſtiæ tradent, totum poſſe ſuũ diabolo & Antichriſto, *hi cum agno pugnabunt*, Eccleſiam Chriſti perſequendo, *& agnus vincet illos*, illorum malitiam refrenando, & ſuis conſtantiam tribuendo. Iſte agnus eſt mitiſſimus conuerſatione, quia temporaliter incarnatus. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei*, manſuetiſſimus in paſſione, quia corporaliter immolatus. Ioan. 20. *Ego quaſi agnus manſuetus*, virtuoſiſſimus in reſurrectione, quia triumphauit ſuſcitatus, ſupra hoc, *dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, glorioſiſſimus in Aſcenſione, quia imperialiter exaltatus ſupra 13. *Vidi ſupra montem Sion agnum ſtantem & cum eo 144. millia.* Iſte ergo agnus vincet illos, *quoniam Dominus dominorum eſt*, cuius dominium euidenter probat, celſitudo imperantis, ſollicitudo gubernantis, rectitudo iudicantis, prōptitudo ſubuenientis, Pſ. *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Et rex regum*, inquam generoſitate celſificus, victorioſitate magnificus, hilaritate munificus, non ſolum agnus mittet illos, *qui cum eo ſunt*, in eum credentes, & finaliter perſeuerantes, *vocati* per prædicationem, & *electi* per prædeſtinationem, *& fideles* per fidei profeſſionem.

*Christus mitiſſimus. Ioan 1. Ioan 20.*

*Christus potentiſſimus. Pſalm 8.*

Vers.15. ET DIXIT MIHI ANGELVS,] ſecundum myſticam ſignificationem ſubditorum poſt qualitatem rectorum, *aqua quas vidiſti vbi meretrix ſedet*, per primam operis delectationem, *populi ſunt*, quoad legem habentes, *& gentes*, gentiliter viuentes, *& lingua*, quoad diuerſas nationes.

Vers.16. ET DECEM CORNVA QVÆ VIDISTI IN BESTIA,] id eſt vniuerſi principes diabolo vel Antichriſto adhærentes, *hi odient fornicariam*, id eſt ſinagogam Satanæ, quæ ſedet eccleſiam perſequens, *& deſolatam facient eam & nudam*, theſauros ipſius deprædantes, & totaliter diuitias expoliantes, *Et carnes eius manducabunt*, variis ſuppliciis corpora lacerantes, *& ipſam igne cremabunt*, alios incendio conſummantes.

Vers.17. DEVS ENIM DEDIT IN CORDA EORVM,] iuſta permiſſione, *vt faciat quod placitum eſt illi*, id eſt beſtiæ concordi voluntate & actione, *vt detur regnum ſuum beſtia*, ſubiicientes ſe ipſius imperio, & ditioni, *donec conſumentur verba Dei*, quaſi dicat hoc ita fiat, donec Prophetiæ impleantur, quæ ſunt de pœnis reproborum, & præmiis electorum, nam vſque ad illud tempus, iuſto Dei iudicio permittuntur mali cum bonis regnare, ſicut palea cum grano, ſed completo numero electorum, vento ventilabitur area Domini, & palca comburetur, triticum autem in horrea recondetur, Mat. 3. *Et mulier quam vidiſti, eſt ciuitas magna*, id eſt reproborum vnitas, vel Roma, *qua habet regnum ſuper reges terra*, in quo dominij & Imperij vniuerſalitas, & loquitur Ioan. pro tempore in quo vigebat Romæ idololatria

## SYNOPSIS CAPITIS DECIMIOCTAVI.

*DESCRIBITVR excidium & incendium Babylonis quod Angelus glorioſus clamans aperit, dicens, Cecidit Babylon magna tum reges ac negotiatores terræ, qui olim ipſi adhæſerant amarè lugebunt: cœlicolæ vero Apoſtoli & Prophetæ lætitia perfundentur.*

## CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

1. ET poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria eius.

2. Et exclamauit in fortitudine dicens, Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.

3. Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt.

4. Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

5. Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius.

6. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

7 Quantum glorificauit ſe, & in delitiis fuit: tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.

8. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.

9. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis vixerunt, cum viderint fumum incendii eius.

10. Longè ſtantes, propter timorem tormentorum eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt

lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.

12. Merces auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore.

13. Et cinnamomum (& odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

14. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.

15. Mercatores horum, qui diuites facti ſunt, ab ea longè ſtabunt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes.

16. Et dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis.

17. Quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longe ſteterunt.

18. Et clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ?

19. Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habebant naues in mari, de pretiis eius, quoniam vna hora deſolata eſt.

20. Exulta ſuper eam cœlum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium veſtrum de illa

21. Et ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.

22. Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium & tuba non audietur in te amplius, & omnis artifex omnis artis non inuenietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius.

23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox ſponſi, & ſponſæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.

24. Et in ea ſanguis prophetarũ & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

---

## *EXPOSITIO DECIMIOCTAVI Capitis.*

Vers. 1.

Et post hæc vidi alivm Angelvm descendentem de coelo.] Præmiſſis quinque viſionibus quæ pertinent ad ſtatum præſentem Eccleſiæ, hic perſequitur ſextam & ſeptimam quæ pertinent ad ſtatum finalis ſententiæ, qua reddetur reprobis ſupplicium, & iuſtis præmium. In præſenti ergo capite deſcribitur damnatio principum, & ſubditorum generaliter. Et 19. capite Antichriſti, & diaboli ſpecialiter ibi, *& vidi beſtiam, & reges terræ*, &c. Diuiditur autem hæc pars in duas partes, quia primo maliria eſt caſus Babylonis, id eſt malignę congregationis, ſecundo additur exaltatio beatorum, & vindicta ſuæ confuſionis, ibi, *exaltate ſuper eam ſancti Apoſtoli & Prophetæ*, vt ſibi fides adhibeatur, dicit in principio iſtam damnationem à Chriſto fuiſſe prædictam, dicens, *Et poſt hæc vidi alium Angelum.*

*Dominus Ieſus deſcribitur.*

Deſcribitur ergo Dominus Ieſus ab eminentia auctoritatis, quia *Angelus*, ab excellentia æqualitatis *deſcendens de cœlo*, à magnificentia poteſtatis, quia *habens potentiam magnam*, à refulgentia claritatis, *& terra illuminata eſt*, à præſidentia maieſtatis, à gloria eius, à vehementia charitatis & *clamauit*, vel deſcribitur vt legatione authenticus, dignatione pacificus, monſtratione mirificus, illuſtratione clarificus.

*Chriſtus Dominus Angelus, ſed magni conſilii.*

Dicit ergo, Post hæc vidi, &c.] Poſt prædictas viſiones vidi alium Angelum, id eſt Chriſtum ratione legationis & auctoritatis, quia miſſus de throno paternæ maieſtatis ad hemiſpherium noſtræ mortalitatis, ſed alius, quia differt ab aliis, ſicut Dominus à ſeruis, *deſcendentem de cælo*, ex condeſcenſione ſummæ benignitatis. Pſalm. *Inclinauit cœlos, & deſcendit*, *habentem poteſtatem magnam*, immo æqualem Deo, quia eiuſdem Deitatis, *& terra illuminata eſt gloria eius*, i. ad ipſius prædicationem plena gratiæ, & veritatis, per iſtam terram poteſt intelligi Virgo benedicta, Eccleſia, fidelis anima, cœleſtis patria. B. Virgo fuit terra generoſa ortu, Iſ. 42. *Rorate cœli deſuper*, &c. *Veritas de terra orta eſt*, &c. Eccleſia dicitur terra ſpatioſa ſitu, Pſal. *Domine Dominus noſter*, &c. Fidelis anima dicitur terra ſpecioſa cultu, Lu. 8. *Quod autem cecidit in terram bonam, hi ſunt qui corde bono*, &c. Cœleſtis patria dicitur terra pretioſa fructu, Pſal. *Portio mea Domine ſit in terra viuentium*, prima terra illuminata eſt germanitate coniunctionis, Eccleſ. 44. *Sol illuminans per omnia reſpexit*, ſecunda virtute eruditionis Luc. 1. *Viuificauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris*, &c. Tertia charitate, vel ſanctitate illuſtrationis ad Phil. 1. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Quarta fœlicitate fruitionis, infra; *Et claritas Dei illuminabit illam.*

*Pſal. 17.* *Iſa. 42.* *Pſal. 141.* *Luc 8.* *Cœleſtis patria dicitur terra quatuor modis.* *Eccleſ. 44* *Luc 1.* *Phil. 1.*

VERS. 2. *Iſa. 53.* Et exclamavit in fortitudine ] prædicando audactet,& ſine trepitudine, Iſa. 53. *Clama ne ceſſes*,dicens *cecidit Babylon*, & malorum congregatio digna confuſione,bis autem geminat verbum cadendi propter duplicem damnationem,videlicet animæ & corporis, vel fortè geminat cauſam damnationis propter peccatum commiſſum & omiſſum, vel peccatum ſpirituale & carnale, quo fit homo habitaculum dæmonum, vnde quaſi aſſignans cauſam caſus ſubdit, *& facta eſt dæmoniorum habitatio* propter peccata inhabitantia dæmonum, *& cuſtodia omnis ſpiritus immundi*, quia faciunt homines in luxuriam labi,cuius cauſa potiſſima eſt,vt poſſint ſe coram Deo excuſare & in iudicio dicere,quod viliori peccato peccauerunt homines quam ipſi,*& cuſtodia omnis volucris immunda* propter arrogantiam ſuperbiæ,*& odibilis*,ſcilicet facta eſt.

*Cur repetitur verbum cecidit.*

*Cur Babylon miſere perit.*

VERS. 3. Quia de vino fornicationis eius ]i. de fornicatione actuali & ſpirituali, vt fornicatio accipiatur in genere pro omni trāſgreſſione *biberunt omnes*, pro generibus ſingulorum quantum ad omnes communiter, *& reges terræ cum illa fornicati ſunt*,quantum ad ſuperiores, *& mercatores terræ. Et de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt*, quantum ad auaros. ſingulariter gloſſ. de peccatis per quæ acquiruntur diuitiæ,quia omnis diues ſæpe iniquus, vel habens iniquitatem vel hæres iniquitati,Eccleſ. 11. *Si fueris diues,non eris immunis à peccato.*

*Eccl. 11.*

VERS. 4. Exite de illa popule meus. ] declinando meretricis,vel mundanæ vanitatis infectorum conſortium, *vt ne participes ſitis delictorum eius*, aſſerendo per conſenſum nefarium, *& de plagis eius non accipiatis*,quia ſi non fueritis ſimiles in culpa, nec eritis in pœna. Ier. 2. *Egredimini de medio populi meus*,&c.

*Ierem. 2.*

VERS. 5. Quoniam peruenerunt peccata illius vſque ad coelum ]i. adeo creuerunt quod plus creſcere non poſſunt, vel vſque ad cœlum peruenerunt, quia Deum cœli per peccatorum enormitatem, quaſi oblitum excitauerunt. Vnde ſequitur. *Et recordatus eſt Deus omnium iniquitatum eius*, qui prius videbatur oblitus diſſimulans peccata hominum per pœnitentiam.

VERS. 6. *Pœna & tormentum malorum.* Reddite illi ]ſc. Babyloni,i. malorum congregationi,*ſicut & ipſa reddidit vobis*,i. ſicut ipſa vos puniuit iniuſte, ita vos ipſam puniendam iuſte annunciate, *& duplicate duplicia ſecundum opera eius*,puniendo peccatores in corpore & anima, *in poculo quo miſcuit*,vobis pœnam inferendo,*miſcete illi duplum*,immo tormentum intolerabile annunciando, vt quæ fuerunt homini oblectamenta puniendi.

VERS. 7. Quantum glorificavit se. ] honores appetendo,& in eis gloriando, & *in delitiis fuit*, carnaliter delectando,*tantum date illi tormentum & luctum*, interius & exterius affligendo.

Nota quod *quantum* non dicit hic æqualitatem quantitatis,ſed proportionem grauitatis, hoc eſt dicere grauiter peccauit in præſenti, grauiter punietur in futuro: merito igitur damnabitur Babylon, quia.

*Quare Babylon damnatur.*

VERS. 8. Dicit in corde suo, ] ſe iactando & ſuperbiendo, *ſedeo vt regina*,& ideo non metuor amoueri de honore & dignitate, *Et vidua non ſum*, quia plena conſolatione & iucunditate, *& luctum non video.*

O falſa ſpes & inanis deceptio? quis enim Domine vel vnicam dietam duxit in ſua delectatione Iucunda? quem in aliqua parte diei reatus conſcientiæ, vel impetus iræ,vel motus concupiſcentiæ non turbauerit,quem liuor inuidiæ,ardor auaritiæ,vel tumor ſuperbiæ non vexauerit, quod offenſa vel paſſio non commouerit, quem denique viſus vel auditus vel actus aliquis non offenderit, ſemper enim mundanæ lætitiæ triſtitia repentinè ſuccedit, mundana quippe

*Lætitia mundana comes triſtitia.*

A fœlicitas multis amaritudinibus eſt reſperſa, non erat hæc ille qui dicebat riſus miſcebitur dolore, extrema gaudij luctus occupat.

Nota quod iſta faciunt homines remanere in peccatis,ſcilicet honoris conſeruatio, propter hoc dicit ſecundo,*vt regina* vitæ longioris expectatio, *& vidua* non ſuæ proſperitatis conſideratio *vt luctum non video.*

*Remanere in peccatis faciunt tria.*

Et ideo in vna die venient plagæ illius. ] Oſtenſa ſtulta ſecuritate prædicitur pœna exacta pro tanta temeritate,cuius oſtenditur qualitas & cauſa. Vnde dicit,*Et ideo*, id eſt merito ſuæ iactantiæ,& ſuperbiæ *vna die*, ſcilicet extremæ ſententiæ B *venient plagæ eius*, id eſt vltiones debitæ tantæ ignominiæ. Et aperit quæ ſint plagæ,*mors*, id eſt carentia diuinæ viſionis,quæ eſt vita animarum, *& luctus* pro acerbitate pœnarum,*& fames*,id eſt carentia omnium delitiarum,*& igne comburentur in æternum*,Matthæi vigeſimoquinto.*Ite maledicti in ignem æternum*, ſic ergo punientur,quia *fortis eſt Deus precibus qui iudicabit illam*.Et ideo eius ſententia eſt irreuocabilis, etiam vt mors immortalis.

*Viſio beata vita animarum.*

*Matt. 25.*

*Sententia iudicis erit inflexibilis.*

Tunc viuent mortui qui vitæ ſunt mortui, & quærent mortem,& non inuenient,qui vitam habuerunt & perdiderunt. O mors tam dulcis eris quibus tam amata fuiſti,te ſolam deſideranter optabūt,qui te ſolam oderunt,hoc totum ſumptum eſt de Iſaiæ trigeſimo octauo,loquente de Babylone, *audi derelicta habitans confidenter quæ dicis in corde ſuo ego ſum,& non eſt præter me amplius,non ſedebo vidua,venient tibi ſubito ſterilitas,& viduitas.*

*Iſa. 38.*

C

VERS. 9. Et flebunt. ] ſentient remorſus in conſcientia, *& plangent ſe ſuper illam reges terræ*, præ doloris vehementia,*& qui cum illa fornicati ſunt*, pro carnis petulantia,& *in delitiis vixerunt voluentes* ſe in eius ſpurcitia, *cum viderint fumum incendij eius*, id eſt incendium fumoſum.

VERS. 10. Et longe stantes propter timorem tormentorum eius. ] ſed in quo loco ſtabunt reges iſti,quia ſi in inferno quomodo longe ſtabunt, ſi in cœlo quomodo dolebunt, ſi in mundo quomodo videbunt? Reſponſio non longè ſtabunt per diſceſſum voluntatis,non localitatis, videlicet quin ſint D ibi præſentes, per iſtos igitur reges intelliguntur planctus rectorum,vel præſidentium quantum ad dominium temporale.

Ideo eos fratres ad ſepulchra regum aſpicite, vbi ſunt illorum diuitiæ,vbi ornamenta,vbi annuli, vbi diademata,vbi honoris vanitas,vbi luxuriæ, vbi voluptas? certè omnia euanuerunt,& opprobria, & crimina remanſerunt, flebunt ergo qui in delitiis vixerunt, dicentes, *Væ, væ*, propter geminatam pœnam, ſcilicet corporalem & in anima. *Ciuitas illa Babylon*, propter malorum fortitudinem,*& ciuitas illa fortis*, ad mala perpetranda.Sed debilis ad bona facienda,*quoniā vna hora ſubito venit iudicium tuū*,quo iuſte iudicaberis in perpetuum puniēda,Ioel. 4. *Reddā viciſſitudinē cito velociter*,& ſequitur planctus,*& negotiatores*,terrena appetentes,*flebunt*,interius,*& lugebunt*,exterius, *ſuper illam*,ſcilicet Babylonem damnatā,*quoniam merces eorū nemo emet amplius.* Sed nunquid tunc negotiatores habebunt merces ad vendendum. Præterea de quibus negotiatoribus loquitur, Ioan. ſecundum gloſſam dicens vtriſque,ſcilicet corporalibus,& ſpiritualibus,negotiatores qui in mundo negotiationes fraudulenter faciunt & per fraudem diuitias congregant, dolebunt,in morte in iudicio, id eſt in inferno & hoc eſt quod deficientibus terrenis diuitiis & delitiis, in quibus poſuerunt amorem & gloriam ſuam, videbunt ſe expoſitos ad tolerandam confuſionem,& indeficientem ignominiam, iſti ſunt mali mercatores qui dant cælum pro terra. Et auari æterna bona pro caducis,vt ambitioſi iuſtitiam pro peccatis, vt aduocati

*Ioel. 4.*

E

*Quinam mali mercatores.*

cati gloriam pro laude humana, vt hypocritæ ſacramenta pro denario vel alia ſpiritualia pro temporalibus, vt ſimoniaci, de quibus dicitur. Ezechiel. 27. *Negociatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtanno, plumbo impleuerunt nundinas ſuas*, argentum dicit ſapientiam ſæcularem, ferrum potentiam temporalem, ſtannum ſanctitatis ſimulationem, plumbum carnalem delectationem, circa iſta negociantur multi, poſtea tanto amplius debebunt quanto plus debito hic dilexerunt.

*Ezech. 27.*

Deinde enumerat Ioannes illas merces, in quibus maxime delectati ſunt iſti mercatores, quas nemo emet dicens habe.

VERS. 12. MERCES AVRI ET ARGENTI, ET LAPIDIS PRETIOSI] qui antonomaſtice dicitur carbunculus, *margaritæ*, i. cuiuſlibet lapidis pretioſi, *& byſſi*, quod eſt lumen Ægypti candidum, *& ſerici & cocci*, qui eſt flos. Vnde fit tinctura pulcherrima, ſupra has merces nemo emet amplius, quæ valde auaris videntur deſiderabilia, *& omne lignum* ſicut cedri, id eſt cedrinum nemo emet, *& omnia vaſa eboris*, facta artificioſe & ornata pretioſe. *Et omnia vaſa de lapide pretioſo & aramento & ferro & marmore*, id eſt vaſa de his metallis, & & materiis facta nemo emet amplius, *& cinamomum*, quo delectatur guſtus & odoratus. Nemo ſupple emet, *& merces odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & olei, & ſimilæ, & tritici. Et iumentorum, & omnium equorum rhedarum*, id eſt quadrigarum rheda eſt quoddam genus vehiculi, ſcilicet & *mancipiorum*. Oſtenſo genere mercium de rebus vtenſilibus & irrationalibus, oſtenditur de rationalibus ſcilicet de hominibus, qui venduntur, quorum quidam ſeruiunt corpore tantum, vt mancipia, quidam corpore & anima, vt animæ hominum, dicit ergo, *& mancipiorum & animarum hominum*, merces, ſcilicet horum nemo emet, mancipium proprie dicitur, qui tantum corpore ſeruit emptionibus ſuis & non mente, ſicut Ioſeph corpore. Pharaoni, mente Deo, animæ vero hominum, qui venduntur ſimpliciter, i. per totam vitam ſuam.

*Ecce interdicitur vſus cuiuſlibet creaturæ.*

*Mancipium quid.*

ET POMA DESIDERII ANIMÆ TVÆ,] amittes, per quod oſtenditur quod pro minimis damnantur homines, ſi in eis nimium delectentur, *& omnia pinguia præclara perierunt à te*, id eſt quæcunque delectabilia ſapientiæ, quæ tranſeunt ſicut vmbra, imo ſicut illi qui relinquunt poſt ſe amaritudinem, quia quamuis rerum delectabilium tranſeat præſentia, tamen remanet prauæ delectationis pungens memoria.

*Mali negociatoris calamitas.*

VERS. 15. ET AMPLIVS IAM ILLA NON VENIENT MERCATORES HORVM,] quia tunc non erit tempus, nec locus emendi & negotiandi, *qui diuites facti ſunt ab ea*, id eſt negociationibus factis in ea *longe ſtabunt*, id eſt longe ſtare deſiderabunt, & nec tamen poterũt, *propter timorem tormentorum eius*, quæ vehementer timebunt *flentes*, pro commiſſis, *ac lugentes*, pro omiſſis, ac dicentes.

VERS. 16. VÆ, VÆ,] quod eſt nolentis interiectio pro pœna corporis & ſenſus, & *Ciuitas illa magna quæ amicta erat byſſo*, propter carnis molliciem, *purpura* propter vanitatem, *& cocco*, id eſt panno violaceo, vel roſaceo, *& de aurata eſt auro & lapide pretioſo & margaritis.*

VERS. 17. QVONIAM VNA HORA DESTVCTÆ SVNT,] id eſt velociter deſtitutæ & deſtructæ ſunt tantæ diuitiæ, in quibus gloriabatur inanis.

Hoc totum ab illo loco & merces auri, & argenti poteſt exponi moraliter de hypocritis, qui merces venales fecerunt mundo, ſcilicet virtutes vel virtutum opera, quæ faciunt vt laudentur, & ita pro vana gloria vel feruore humano vendunt omnia; ſed tunc non erit qui emat, quia omnibus apparebit ipſorum falſitas & ignominia nuditatis. Primo ergo prætendunt hypocritæ ſe habere aurum diuinæ ſapientiæ, argentum ſpiritualis eloquentiæ, lapidem pretioſum, ſcilicet carbunculum & eminentiam conuerſationis

*Finis hypocritarum peſſimus.*

A ſanctæ, *margaritam*, id eſt candorem vitæ apoſtolicæ, *byſſum*, id eſt ſanctorum iuſtificationem, *purpuram*, id eſt Martyrij animationem, *ſericum*, id eſt virginitatis ſplendorem, *coccum*, id eſt charitatis feruorem, *lignum thinum*, id eſt conſtantiæ vigorem, quia lignum imputribile, ebur caſtimoniæ, longanimitatis ferrum, patientiæ marmor, inuictæ humilitatis cinamomum, id eſt redolentiam opinionis bonæ, & odoramentorum, id eſt donorum Spiritus ſancti, & thuris id eſt deuotionis, vini compunctionis, olei compaſſionis, ſimilæ puritatis, tritici firmitatis, iumentorum, id eſt laborum ſpiritualium, ouium, id eſt innocentiæ ſimplicitatis, equorum, id eſt, fortitudinis & ſtrenuitatis, rhedarum, id eſt auxilij & conſilij & velocitatis, animatum hominum, id eſt rationabilitatis, horum omnium merces ſe ſimulant habere hypocritæ, & ideo vendunt pro laude hominum quod tunc nemo habet, quia tunc turpitudo & ignominia apparebit. B

Vero igitur modo per iſtas merces quas enumerat, intelliguntur omnia mala opera per quæ anima adducitur, & à Deo auertitur, patet ad litteram quod hic reprehendit Ioannes ſuperfluum ornatum & apparatum veſtimentorum mundanorum, quæ pompa ſi non eſſet graue peccatum, profecto Dominus non tam ſtudioſe exprimeret. Luc. decimoquinto. *Diues ille induebatur purpura & byſſo* & poſt, *mortuus eſt & ſepultus in inferno*, ſed nunquid hoc poſſet exponi de aliquibus clericis vel prælatis noſtri temporis, de C quorum pompis loquitur Hugo in libro de clauſtro ſpirituali, hi ſunt quorum thalamus ornatior, eſt quam Eccleſia, menſa paratior altari, ſcyphus calice pretioſior, mutatus eſt color optimus decoris & honeſtatis fœditate vitiorum, in his videntur frequenter ſecundum Bernardum, nitor meretricius habitus, vel hiſtrionicus regius apparatus. Vnde aurum in frenis, in ſellis, in calcaribus, & plus hodie calcaria quam altaria fulgent. *Et omnis gubernator.* Oſtenſo luctu in terra mercantium, ſubditur in mari nauigantium, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore miſeriæ eius & doloris. Vnde dicit, *& omnis gubernator* quoad prælatos ſuperiores, *& omnes qui in lacum nauigant*, quoad inferiores, *& nautæ*, quoad mediocres, *& qui in mari operantur*, quoad aliquos prædicatores, quiſquis enim prædicat vel laudis vel muneris mercedem D recipiat æternam. Proculdubio mercede ſe priuant, *qui longe ſteterunt*, i. ſtabunt à ſua negociatione & prælatione quæ non valebit eos liberare in die futuris Domini, vel *longe ſtabunt*, à Deo per culpam, quæ eſt prope ad tormentum & pœnam, quia vnus vel plures fuerunt in præbendis, vnus vel plures erunt in tormentis. Vnde Bernard. ſuper Cantica. Conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi deorſũ iacentis, & contremiſco, attendendo ſecundum celſitudinem honoris, & eiulo, formido periculum iudicis, quia iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet.

*Luc. 15.*

*Hugo. Bern. Reprehenditur luxus aliquorum Eccleſiaſticorum.*

*Plurimorum condemnatio.*

ET CLAMAVERVNT,] clamore horribili, *videntes locum incendij eius*, id eſt infernum inE cenſum igne inextinguibili, *dicentes*, præ ſtupore admirabili. VERS. 18.

QVÆ SIMILIS CIVITATI HVIC MAGNÆ,] id eſt mundo vel Romæ quæ fuit in tanta miſeria. *Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua*, id eſt redacti ſunt in nihilum propter immenſitatem pœnarum, vel videntes ſe deputatos æterno ſupplicio, miſerunt puluerem ſuper capita ſua, *& clamauerunt*, id eſt clamabunt præ nimio dolore, *flentes ac lugentes*, pro indeficienti mœrore, *dicentes væ, væ*, pro varietate tormentorum, *ciuitas illa magna*, in qua, id eſt, per quam, *diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari*, id eſt eccleſias de pretiis emptas ad litteram de redditibus eccleſiarum pretio venditarum, *quæ vna hora deſolata eſt*, demerito pomparum ſuarum. Impoſſibile enim eſt ſecundum VERS. 19.

*Loquitur de Roma ciuitate quæ ſubiiciebatur Imperatoribus.*

dum

dum Hieronymum, vt qui fruatur præſentibus & fu-
Hier. turis bonis, vt hic ventrem, illic mentem impleat, &
de diuitiis ad diuitias tranſeat, vt in cœlo & in terra,
glorioſus nominetur, & ſequitur ſecunda pars prin-
cipalis.

EXVLTATE SVPER EAM CÆLVM ET
VERS. 20. SANCTI APOSTOLI.] In qua parte agitur de ſan-
Finis Babylonis. ctorum exultatione pro malorum punitione, vnde
dicit, *Exultate ſuper eam*, & Angeli diuinorum ſecre-
torum conſcij, *& ſancti Apoſtoli, & Propheta*, & patres
vtriuſque teſtamenti, *quoniam iudicauit Dominus iudi-
cium noſtrum de illa*, id eſt malorum multitudine, vt ſi-
cut nos illa oppreſſit iniuſte, ita nunc ipſa opprima-
tur, iuſte à iuſto iudice.

Per cælum ergo poſſunt beati in præſenti intelli-
gi diſpoſiti pro dignitate meriti. Ipſi enim beati ſunt
Eccl. 24. ſicut cæli, lucidi propter fidei claritatem, quæ maxi-
me refloruit in Patriarchis, Eccleſiaſt. 24. *Ego feci in
cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Sunt ſituatione alti
Phil. 4. propter ſpei arduitatem, quæ maxime claruit in Pro-
phetis ad Philippenſes 4. *noſtra conuerſatio eſt in cælis.*
Sunt figura ſphærici propter claritatis latitudinem,
Eccl. 24. quæ maxime eſt in Apoſtolis, Eccleſiaſti. 24. *Gyrum
cæli circuiui ſola.* Sunt duratione perpetui, propter ma-
gnanimitatis fortitudinem, quæ eſt in martyribus.
Iob. 30. Iob. 30. capite. *Cum eo fabricatus es cælos*, &c. Sunt lu-
minaribus diſtincti propter prudentiæ ſplendorem,
Eccl. 43. quæ eſt in Doctoribus. Eccleſiaſtici. 43. *Species cæli
gloria ſtellarum.* Sunt motibus ordinati propter iuſti-
Iob. 38. tiæ vigorem, quæ eſt in confeſſoribus. Iob. 38. *Nun-
quid noſti ordinem cæli & pones rationem eius in terra.* Sunt
ornatibus ſpecioſi propter temperantiæ decorem, quę
Eccl. 43. eſt in virginibus. Eccl. 43. *altitudinis firmamentum pul-
chritudo eius & ſpecies cæli.* Oſtenſo auctore damnatio-
nis, ſequitur modus punitionis.

ET SVSTVLIT,] id eſt ſurſum tulit, *vnus Angelus*,
VERS. 21. id eſt Chriſtus ratione inſuperabilis poteſtatis, *lapi-
dem quaſi molarem magnum*, id eſt malorum multitudi-
nem, quæ dicitur lapis propter duritiam obſtinatio-
Peccator in circuitu ambulat. nis, magnus ratione magnæ confuſionis, molaris pro-
pter circuitum peruagationis. Vnde Beda: ciuitas illa
pro peccatorum pondere & errore molæ inſtabili
comparatur, quia in circuitu impij ambulant, *& miſit
in mare*, id eſt in inferno amaritudinem, *dicens*, per
peccatorum multitudinem, *hoc impetu mittetur*, in
Cur permittit Deus impios exaltari. abyſſi voraginem, *Babylon illa ciuitas magna*, ciuitas
propter malorum multitudinem, vnde ſicut lapis ele-
uatus in altum maiori impetu deſcendit, & profun-
dius cadit, ſic peruerſi modo permittũtur exaltari, vt
exaltati citius corruant & profundius deſcendant. *Et
vltra iam non inuenietur*, id eſt in mundo pro bonorum
numero poſtquam cecidit in infernum, quod eſt con-
tra quoſdam hæreticos ponentes quod reprobi in in-
ferno pœnitebunt poſt mille annos & liberabuntur.
Et forte hæc hæreſis prouenit occaſionaliter ex illo
Iſa. 23. loco Iſa. 23. *Et congregabuntur congregatione vnius faſ-
cis in lacum & claudentur ibi in carcere. Et poſt multos
dies viſitabuntur*, ſed decipiuntur, quia viſitatio illa in-
telligitur de die iudicij, quando euocabuntur de in-
ferno, vt reſumptis corporibus ſimul in corpore & in
anima condemnentur. Et audita ſententia in perpe-
tuum in ignem retrudentur. Et quod hoc ſit ve-
rum probatur infinitis rationibus & auctorita-
tibus.

Oſtenſa igitur illatione omnis mali durabilis
oſtendetur priuatio omnis boni delectabilis pro quo
ſubdit.

VERS. 22. ET VOX CYTHAROEDORVM ET MVSICORVM
ET TIBIA CANENTIVM ET TVBA NON AVDIE-
TVR IN EA AMPLIVS,] quaſi dicat nulla aderit iu-
cunditas, quæ ſolet fieri ex muſicis inſtrumentis, ſed
potius planctus, vlulatus, gemitus ex variis tormen-
tis, & hoc eſt contra prælatos noſtri temporis, qui

A nimis in huiuſmodi muſicis delectantur, iuxta illud
Iſa. 5. *Cythara & lyra, tympanum & vinum in conuiuiis* Iſa. 5.
*veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum
eius conſideratis*, non quod ſemper ſit peccatum audire
iſta talia, ſed quia frequens concomitatur vanitas &
excitatur quandoque voluptas, & ſic loquitur ſcrip-
tura, *& omnis artifex omniſque ars non inuenietur in ea
amplius*, id eſt nullum artificium, vel officium erit ibi,
vnde poſſit homo ſibi acquirere victum vel meri-
tum, vnde Eccl. 9. *Quodcunque poteſt manus inſtanter* Eccl. 9.
*operare, quia non eſt ars nec ſcientia apud inferos quo tu
properas*, vnde argumentum eſt, quod Philoſophi obli- An reprobi ſcientias obliuiſcantur in inferno.
uiſcuntur ſcientiæ ſuæ in inferno, hoc ſatis eſt pro-
babile, cum enim ſit aliqua infirmitas quæ hominem
B adhuc viuentem facit amittere ſcientiam, multo for-
tius in inferno, habent tamen recordationem multo-
rum ex quibus aggrauatur eorum pœna, ſicut dicit
Greg. de igne inferni, quod lucebit ad aliquid & ad
aliquid nõ lucebit, lucebit enim ad aliquid vt videãt
reprobi vnde magis doleant, ſed non lucebit ad hoc
vt videant vnde gaudeant. Sic ſcientia, quæ facit ad
eorum pœnam illa remanebit, aliam amittent, *& vox
molæ non audietur in te amplius*, ad ſapores vel panem
emolendum.

ET LVX LVCERNÆ NON LVCEBIT TIBI
AMPLIVS,] ad te delectandum, confortandum & VERS. 23
pulchrificandum.

Nota quod nomen lucernæ duo complectitur, ſ.
lucis radium & vaſis ſcrinium. Quantum ad lucis ra-
dium eſt aduertendum quod ſicut lux corporalis eſt
C corporum penetratiua, cælorum manifeſtatiua, tene-
brarum purgatiua, oculorum lætificatiua. Sic ſpiri-
tualiter dies lucis, radius eſt virtutis immiſſione pe-
netratiuus, veritatis illuſtratione manifeſtatiuus, obſ-
curitatis expulſione directiuus, mentis conſolatione
lætificatiuus. de primo Prouerb. 2. *Lucerna Domini* Prou. 2.
*ſpiraculum hominis, qui inueſtigat ſecreta cordis*, de ſecun-
do, Pſ. *Lucerna pedibus verbum tuum*, de tertio. Iob. 39. Pſal. 118.
*Dominus cuſtodiebat me quando ſplendebat lucerna eius* Iob. 39.
*ſuper caput meum*, de quarto, *paraui lucernam Chriſto
meo.*

Talem igitur diuina lux infundit radium, ſi tamen
anima præparat vaſis ſcrinium, rectum per intentio-
nem, concauum per humilitatem, terſum per tribula-
tionem, aſſiduum per operationem. De primo, Matth. Matt. 6.
D 6. *Lucerna corporis tui eſt oculus.* De ſecundo, *Vt ardeat
lucerna ſemper*, Exod. 27. De tertio, Prou. vlt. *Non ex-
tinguetur de nocte lucerna eius*, De quarto, Luc. 12. *Lu-* Prou. vlt. Luc. 12.
*cernæ ardentes in manibus veſtris.*

Nota quod ad lucernæ conſeruationem triplex re-
quiritur adiutorium, ſ. humiditas pabuli nutritiui,
aſperitas emunctorij purgatiui, tranquillitas loci cõ-
ſeruatiui, per primum deuotio, per ſecundum confeſ-
ſio, per tertium humiliatio deſignatur. De primo Le- Leuit. 24.
uit. 24. *Præcipe filiis Iſrael vt afferant tibi oleum de oliuis
puriſſimum ad continendas lucernas.* De ſecundo Exod.
15. *Præcepit Dominus fieri emunctoria ad parandas lucer-* Exod. 15.
*nas.* De tertio 2. Regum 21. *Non egredieris nobiſcum in*
*prælium ne extinguas lucernam in Iſrael.* Sequitur. *& vox* 2. Reg. 21.
*ſponſi & ſponſæ non audietur in te amplius*, id eſt lætitia
E impartialis.

Ex quibus omnibus concluditur quod omne viſu Quænam reprobis auferentur.
pulchrum, auditu canorum, tactu planum, odoratu
ſuaue, guſtu delectabile reprobis auferentur. Et ne
credatur quod fruſtra ſubſtrahet iſta Dominus Baby-
lon, ideo ſubdit cauſam quare ſic faciet, quia ſcilicet
non elegit principes niſi qui terrena amabant & Ambitioſus mercator eſt.
quærebant & qui potius mala quam bona perſuade-
bant, & hoc eſt *quia mercatores tui* lucris & exactioni-
bus inhiantes, *erant principes terræ*, ſola caduca & tran-
ſitoria appetentes, dicuntur mercatores qui vt hono-
res temporales ſibi acquirant, animas ſuas in fœlici
commercio commutant, ſed ſi Babylon punitur quia
principes

principes terrenos & cupidos eligebat, quid fiet de Eccleſia & Canonicis qui terrenam ſapientiam plus quæsunt in ſuis electis vel eligendis quam diuinam? Et illi qui ſciunt terrena procurare, præponuntur illis qui ſciunt ſpiritualia gubernare? Iſti ſunt igitur ſilij Agar, qui exquiſierunt prudentiam quæ de terra eſt, Baruch. 3. Et vlterius punieris, *quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes*, tua maleficia ſectando, & damnabiliter imitando, ſed qualiter ait errauerunt omnes gentes cum de gentibus multi crediderunt: Reſponſio, quia ibi eſt diſtributio pro generibus ſingulorum, nec econuerſo pro ſingulis generum, id eſt de omnibus aliqui.

*Diſtributio duplex.*

Vers. 24. Et iterum punietur, quia In ea sangvis Prophetarvm,] quo ad maiores & *Sanctorum*, quo ad minores *inuentus eſt. Et omnium qui interfecti ſunt in terra*, de quibus datur intelligi quod & ſanguis malorum qui per eos qui interfecti ſunt in terra ab eis requiretur, quos iniuſte occiderunt, quia ſi malus malum occidit occiſorem non excuſat malitia occiſi.

# SYNOPSIS
## CAPITIS DECIMINONI.

*Post damnationem purpuratæ meretricis nempe Babylonis, deſcribitur beatorum gaudium & gratulatio tum de eius damnatione, tum quod dies nuptiarum Agni & retributio adueniat, deinde Chriſtus habens in fœmore ſcriptum Rex regum & Dominus dominantium, gladium ore vibrans regali gloria & pompa ad ſuos animandos ac tuendos, Antichriſtumque atque eius ſectatores perdendos adueniens commemoratur, Antichriſtus & eius præcurſor ſiue Pſeudopropheta viui à terra abſorbentur.*

---

### CAPVT DECIMVMNONVM.

1. Post hæc audiui quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia: Salus & gloria, & virtus Deo noſtro eſt:

2. Quia vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius.

3. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum.

4. Et ceciderunt ſeniores vigintiquatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt
A Deum ſedentem ſuper thronum dicentes: Amen, Alleluia.

5. Et vox de throno exiuit, dicens, Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum, puſilli & magni.

6. Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magno-
B rum dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens.

7. Gaudeamus, & exultemus & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.

8. Et datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim, iuſtificationes ſunt ſanctorum.

9. Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad
C cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt, & dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.

10. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu, eſt, ſpiritus prophetiæ.

11. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & verax, & cum iuſtitia iu-
D dicat, & pugnat.

12. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe.

13. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius, Verbum Dei.

14. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.

15. Et de ore eius procedit gladius ex
E vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

16. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

17. Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omni

omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.

18. Vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.

19. Et vidi beſtiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.

20. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta: qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.

21. Et ceteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aues ſeruatæ ſunt carnibus eorum.

---

## EXPOSITIO DECIMINONI Capitis.

VERS. 1.

*Diuiſio capitis quadruplex.*

POST HÆC AVDIVI QVASI VOCEM MAGNAM TVRBARVM MVLTARVM.] Præmiſſa meretricis damnatione & exultationis admonitione, hic agitur de congratulationis executione. Diuiditur autem præſens caput in quatuor partes, in prima laus canitur & grariarum actio redditur pro malorum extirparione, in ſecunda pro bonorum glorificatione ibi, *& vox de throno exiuit*, in tertia rex noſter D deſcribitur vt victorioſiſſimus & inclytus ad triumphandum ibi, *& vidi cælum apertum & e[illegible] equus albus*, in quarta, pœna Antichriſti, & ſuorum ſequacium cõcluditur ad præcauendum.

Dicit ergo, POST HÆC AVDIVI QVASI VOCEM MAGNAM,] quia ex magno deſiderio turbarum multarum pro omni electorum collegio *in cælo*, id eſt in Eccleſia vel in cu[r]ia cæleſti, *dicentium, Alleluya*. Nota quod Alleluya vt ait Haymo græcus ſermo eſt, & interpretatur, *laudate Dominum* & quia Alleluya ignotum eſt, ideo addit, *laus & gloria & virtus Deo noſtro*, eſt laus, ob ſupereminentem excellentiam, gloria ob maieſtatis magnificentiam, virtus ob mirabilem potentiam, vel aliter Alleluya refertur ad eſſentiam laus, gloria, & virtus ad perſonas.

*Cur laus, gloria & virtus Deo.*

Nota Alleluya quod cantatur ab electis quadruplicem effectum deſignat, ſcilicet creationis, conſeruationis, reparationis, glorificationis. Vel quia in Deo eſt potentia creans, clementia miſerans, ſapientia gubernans, præſentia ſuſtentans. Merito igitur eſt collaudandus Deus.

*Alleluya cantatum ab electis quid notat.*

VERS. 2.

QVIA IVSTA ET VERA IVDICIA EIVS] ſunt vera promiſſa reddendo vel prædicta adimplendo, iuſta vnicuique ſecundum merita reddendo & retribuendo, Pſalm. *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis*. Et re vera iuſta ſunt iudicia eius quia iudicant iam præſentia & tandem rei euidentiam. *De meretrice magna*, quæ ciuitas mala vel multitudo impia, quæ ciuitas mala *corrupit terram in proſtitutione ſua*, & multiplici ſorde, & maxime ſimonia & auaritia, *& vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius*, id eſt vindicauit finali exterminio & miſeria.

*Pſal. 144.*

*Dei vera iudicia.*

ET ITERVM DIXERVNT ALLELVYA,] pro laudis indeficientia: de hoc Caſſiodorus Alleluya cantus honoris eſt, vt cum ſit in Hebræa lingua recõditum nullo tamen conſtat alio ſermone tranſlatum, hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Chaldeus, hoc Syrus, hoc Perſa, hoc Arabs, hoc tenet cuncta terrarum natio, & quicquid eſt debitum diuinitati dignitate huius nominis pia deuotione honoratur, nulli abſonum, nulli videatur abſurdum quod omnes celebrant, quod gaudia ſua ſunt, cum huiuſmodi nominis ſuauitate prolata. VERS. 3.

Deinde oſtendit Ioannes qualis erit vindicta, *& fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum*, hoc dicit pro tenebroſa amaritudine tormentorum.

ET CECIDERVNT VIGINTIQVATVOR SENIORES,] quantum ad vtriuſque teſtamenti ſanctos, *& quatuor animalia*, per quos vniuerſi Doctores deſignantur, hi ceciderunt ſe humiliando, *& adorauerunt ſedentem ſuper thronum*, id eſt ſuper eccleſiam illum magnificando & venerando, *dicentes*, ore profitendo, *Amẽ Alleluya*, & vere ineffabiliter laudabilem conclamando, VERS. 4.

Sed quæritur quare ponitur Amen cum Alleluya? Reſponſio amen dicitur teſtimonium meritorum cõfirmando de quibus ſupra, ſed Alleluya ex ſeipſis teſtimonium proferendo.

ET VOX DE THRONO EXIIT DICENS LAVDEM DICITE DEO NOSTRO.] Oſtenſa exaltatione ſuper meretricis damnatione, hic proſequitur de propria ſaluatione, præmittens ergo exaltationem ſubdit, *& vox de throno exiuit dicens, Laudem dicite Deo noſtro*, eius beneficia recordando & recolendo, bonitatem narrando, vt enim ait commentator ſuper Angelicam Hierarchiam. Laus eſt enarratio bonitatis laudatæ, Iſaiæ. Laudabunt pro exaltatione cordis omnes ſancti eius, *vel ſerui*, id eſt vos qui ſancte ſeruitis ei. Luc. 1. *Seruiamus ei in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo*. Seruitute inquam filiali & caſto amore non ſeruili timore. *Et qui timetis Dominum puſilli & magni*, id eſt omnes qui ſcrutantur viam mandatorum ſuorum, & rimantur ſemitam conſiliorum & myſteriorum. VERS. 5.

*Luc. 1.*

*Omnes Deum debent celebrare.*

ET AVDIVI VOCEM QVASI TVBÆ MAGNÆ,] propter magnam deuotionem. *Et ſicut vocem aquarum multarum*, id eſt, propter pſallentium collocutionem. *Et ſicut vocem tonitruorum multorum*, id eſt multorum impiorum terrorem, *dicentium Alleluya*, vocali concordia animorum, *& laudem dicite quoniam regnauit Dominus*, qui potenter curat, Deus qui ſapienter gubernat, *omnipotens*, qui glorioſe triumphat, ſed videtur, quia ſe nobis communicat. VERS. 6.

Sed quare dicitur *vocem quaſi tubæ magnæ*? Reſpondeo ad denotandum quod cæleſtia non poſſunt apprehendi ſicut ſunt, nec videri, ſed in ſpeculo & in ænigmate.

Sed quæritur ex quo ab initio regnauit Dominus quare pro illo tempore ſancti dicebant Alleluya quoniam regnauit Dominus? Reſpondeo, Dominus dicitur regnare, tripliciter, vel per potentiam & ſic regnat ſuper omnes bonos & malos, quia quamuis malus homo, & Angelus gratis noluerunt ſe ſubiicere voluntati diuinæ: ordinationem ſubterfugere nequeunt, prout ait Anſelm lib. 1. Cur Deus homo, & ponit exemplum de volente fugere ne eſſet ſub cœlo, eo enim quod fugeret ex vna parte cæli alteri appropinquaret. Secundo dicitur regnare per regiminis gubernationem & voluntariam ſubiectionem eorum. Et ſic dicitur regnare ſuper credentes poſtquam princeps mundi huius eiectus eſt foras, Ioan. 9. Vel dicitur

*1. Per potentiam.*

*2. per regiminis gubernationem.*

*Ioan. 9.*

tur regnare per euacuationem omnis alterius poteſtatis,quando erunt in ſtatu finali 1.Cor. 3. *Cum tradiderit Deo Patri regnum euacuabit omnem poteſtatem.* 1.Cor.3.

VERS.7. Secundo modo loquitur hic, GAVDEAMVS ET EXVLTEMVS, ] de bono creato,de ſtola animæ & corporis.Prouerb. vlt. *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, vel gaudeamus in homine interiori & exultemus in homine exteriori, *& demus gloriam ei*, tãquam omnium bonorum largitori, *quia venerunt nuptiæ agni*, id eſt Chriſti & Eccleſiæ cum deſponſauit noſtram ſubſtantiam, *& vxor eius*, id eſt Eccleſia, *præparauit ſe*, cum ſe facit idoneam, deponendo veterem tunicam harum nuptiarum ,contractus fuerunt in Prophetarum ſponſione , perfectum autem matrimonium fuit per verbum de præſenti in mutua Angeli & Mariæ collocutione , conſummatum in carnis & Verbi vnione , ſolemnizatum in Aſcenſione.

*Prou.vlt.*

*Matrimonium Eccleſiæ & ſponſi eius.*

VERS.8. ET DATVM EST ILLI, ] id eſt Eccleſiæ,ab eo à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, *vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido*, byſſino inquam , id eſt iuſtitiæ merito ſplendenti boni operis , exemplo candido , virtutum exercitio ; vnde ſplendor refertur ad factum,candor ad ſanctitatē, byſſinum enim eſt indumentum factum ex byſſo,byſſus vero eſt genus lini quod creſcit in Ægypto, ait Iſidor.Et ſignificat indumentum iuſtitiæ , quod eſt ſplendidum puritate, & immaculatum à ſordibus vitiorum , & candidum decore virtuoſorum operum,& ſequitur verbi expoſitio, *byſſinum vero iuſtificationes ſunt ſanctorum*,quo candidi ſunt interius,quoad ſeipſos,& ſplendidi exterius quoad alios,& ſequitur in vita Angelica ad optandum conuiuium præparatum propter Agni & Eccleſiæ connubium.

*Byſſinum veſtimentum quid denotet.*

VERS. 9. ET DIXIT, ]ſcilicet Angelus, *ſcribe hæc*, ſcilicet quæ ſequuntur, *beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, ſcilicet fœlices ſunt qui vocantur , ſcilicet ad ſupernum & cæleſte conuiuium,vel fideles.

Sed quæritur quare dicit ad cœnam cum dicatur. Matth.20. *Dicite inuitatis prandium meum paraui?* Reſponſio.Poſt prandium ſequitur cœna , poſt cœnam non reſtat prandium.Beati ergo qui ad cœnam nuptiarum vocati ſunt.

*Gloria beatorum quibus denotatur.* Et in hoc verbo deſcribitur gloria beatorũ quantum ad incomprehenſibilem fructum , quem probat oblatio liberalitatis cum dicitur, *vocati*. Sed indiſſolubilem nexum , quem probat adhæſio æternitatis nuptiarum agni,ſed inſatiabilem guſtum quem probat refectio ſatietatis ad cœnam , ſed indefectibilem ſtatum,quem probat perfectio integritatis beati.

1.Petr.2. Quantum ad primum nota quod hæc vocatio nunciatur in gloria.1.Pet.2. *Qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen*, certificatur per merita. 2.Petr. 1. *Quapropter fratres magis ſatagite , vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Ratificatur in gloria.1.Petr.2. *In hoc enim vocati eſtis quoniam Chriſtus paſſus eſt pro nobis,vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.*

*2.Petr.1.*

*1.Petr.2.*

Quantum ad ſecundum nota quod nuptiæ tria includunt,ſcilicet cultum parationis, ſupra eodem capite, *gaudeamus & exultemus omnes,quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* Tempus expectationis. Matth. 26. *Intrauerunt cum eo ad nuptias* Chorus exultationis Heſter. 2. *Iuſſit conuiuium præparari magnificum cunctis principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptiis Heſter.*

*Matt 26.*

*Heſter 2.*

Circa tertium eſt notandum, quod eſt cœna liberaliter communicata. Luc. 18. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Ordinabiliter diſpēſata.Eſdræ 2. *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis.* Damnabiliter excuſata. Luc. 19. *Dico autem vobis quod nemo aliorum virorum,qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Oculo contemplationis attingitur.Luc.10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, iubilo exultationis fungitur. O beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.

*Luc.18.*

*Eſdræ 2.*

*Luc.19.*

*Luc.10.*

VERS.10. ET DIXIT MIHI, ] me vlterius confortando, *hæc verba Dei vera ſunt*. Et ideo merito admittendã, quod vocati ad cœnã vocatione prędeſtinationis ſũt beati.

*Præ-deſtinati tandem beati.*

Sed ad quid ponunt hoc , cum certum ſit omnia verba hæc ſcripta eſſe vera? Reſponſio,vt & citius & firmius credantur à nobis , & in maiori auctoritate habeantur non ſua,ſed Dei verba quæ dixit protestatus eſſe vera.

VERS.11. ET CECIDI AD PIDES EIVS, ]in ſignum humiliationis, *vt adorarem eum*, per reuelationem tantæ dignationis.

*Cur Angelus adorat Angelum.* Sed quæritur quare Ioannes hoc fecit cum ſciret ſolum Deum eſſe adorandum? Reſponſio. Eſt adoratio latriæ qua ſolus Deus eſt adorandus , & latria eſt dictio Græca quę interpretatur ſeruitus nō quæcunque ſed quæ ſoli Deo debetur. Vt hic Auguſt. contra Fauſtum. Eſt adoratio duliæ , quæ eſt exhibitio reuerentiæ de qua Dan 4. cap. Et hoc voluit Ioannes adorans Angelum, *& dixit mihi*, verbum dicendi replicando vt alliciat concupiſcibilitatem ad deguſtationem , *vide ne feceris conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum*, eidem dominationi deſeruientium , *habentium teſtimonium Ieſu : Deum adora : teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ* , id eſt omnes ſpiritus prophetici Chriſto Ieſu teſtimonium perhibent. *Dan.4.*

Nota quod in veteri Teſtamento permiſerunt Angeli ſe adorari. Ioſue 5 Hic vero non,cuius eſt ratio, tunc non erat Deus homo , nunc autem humanam naturam aſſumpſit, quia hanc in auctore ſuo ſupraſe eleuatam recognoſcunt, *& vidi cælum apertum.* *Ioſ.5.*

Oſtenſa generali damnatione malorum ſub typo Babylonis,oſtenditur ſpecialis damnatio rectorum, ſcilicet Antichriſti , & diaboli ſub ſpecie beſtiæ & draconis & quia aliquis poſſet quærere quis poterit iſtorum ſuperbiam deuincere,oſtendit incidentaliter Chriſti inſuperabilem potentiam , dominantem aduerſariorum præſumptionem , & audaciam quam deſcribit,primo vt in carne venientem , ſecundo vt in cruce morientem, ibi *veſtitus erat veſte reſperſa ſanguine*, tertio vt in fine iudicantem , ibi *& de ore eius exibat gladius ex vtraque parte acutus* , quarto vt Monarchiæ præſidentem,ibi,& *& habebat in veſtimento & in femore ſuo*,&c.Dicit ergo.

VERS.11. ET VIDI CÆLVM APERTVM , ] id eſt reſeratum cæli palatium , cum Chriſtus de throno maieſtatis deſcendit paternæ ad hemiſpherium noſtræ mortalitatis, *& ecce* , quantum ad naturæ aſſumptæ veritatem, *equus albus* , quantum ad ſingularem innocentiam, *& qui ſedebat ſuper eum* , quantum ad diuinitatis eminentiam & prudentiam. *Et vocabatur fidelis & verax*. Et cum iuſtitia pugnat & iudicat, diſtingue iſta quatuor, Chriſtus dicitur fidelis in promiſſis, verax in doctrinis, iuſtus in iudiciis, & fortis in victoriis.

*Chriſti Domini deſcriptio.*

VERS. 12. OCVLI EIVS, ]quantum ad illuſtrationem veritatis, *ſicut flamma ignis*, quantum ad charitatis inflammationem. *Et in capite eius diademata multa*, quantum ad præſidentiam regiæ maieſtatis , & dignitatis , *habens nomen ſcriptum* , quantum ad titulum chriſtianitatis, *quod nemo nouit niſi ipſe* , quantum ad ſecretum incommunicabilis deitatis,hoc nomen eſt Deus homo,vel Ieſus,vel Emanuel.

Sed qualiter nemo nouit niſi ipſe nomen eius cum ipſe dicat in Ioanne.quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis? Reſponſio.Pro tanto dicitur ipſe ſolus nomen ſuum agnoſcere , quia ipſi ſoli congruit eſſe Deum & hominem & noſtræ ſalutis auctorem, *neque enim eſt aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri* Act 4.

*Act.4.* *Quiſnam* Sed dicitur ſcriptum cuius ſcripturam Gabriel & Maria inſcripſerunt. Primam litteram ſcripſit Gabriel

*Scripſit nomen Domini.* briel Mariam ſalutando. *Aue* inquit *gratia plena.* Scripſit Mariam collaudando, *Dominus,* inquit *tecum benedicta tu in mulieribus* Scripſit tertiam, Mariam conſolando, *ne timeas,* inquit, *Maria,* quoniam, *inueniſti gratiam apud Deum.* Scripſit & quartum, conceptum & partum diuinum Mariæ annunciando. *Ecce concipies & paries filium,* Scripſit & quintam, nomen naſcituri notificando, *vocabis nomen eius Ieſum.* Scripſit & ſextam [ generaſitatem filij deſcribendo, *hic erit magnus & filius altiſſimi vocabitur.* Scripſit & aliam, eius poteſtatem declarando, *& dabit Dominus Deus* inquit, *ſedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum.* Hæ ſunt ſeptem litteræ quas cęleſtis paranymphus ſcripſit in nomine paruuli naſcituri. Octauum ſcripſit Maria, modum conceptus ab Angelo in- B quirendo, *quomodo fiet iſtud.* Scripſit & nonam, cauſam dubitationis aſſignando, *quoniam virum non cognoſco,* id eſt me non cognituram propono. Scripſit & decimam, per Gabrielem modum facti audiendo, *ſpiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit,* &c. Scripſit & vndecimam, per conceptum ſterilis ſuum propoſitum confirmando, *& ecce Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua,* &c. Scripſit & duodecimam, conſenſum ſuum humiliter exhibendo, *ecce* inquit, *ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum,* vnde perfecte ſcriptum eſt nomen eius, quia *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis,* & in noſtris factus humilis qui in propriis permanſit excelſus, vt vere poſſit dicere Maria. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis,* quia vt dicit, homo factus eſt Deus.

VERS. 13. Sequitur VESTITVS ERAT SANGVINE.] veſte aſperſa ad litteram carne cruenta proprio ſanguine: fuit autem aſperſus ſanguine ſeptem vicibus, *Chriſtus ſanguine aſperſus ſepties. Matt. 26.* primo in circunſione, ſecundo in oratione quando *ſudor eius factus eſt quaſi gutta ſanguinis decurrentis in terram..* Matth. 26. tertio in coronatione, quarto in flagellatione, quinto in pedibus, & ſexto in manuum perforatione, ſeptimo in lateris apertione. Ioan. 19. hoc modo figuratus fuit in lege. Exod. 17. vbi præceptum fuit aſpergere ſanguinem agni ſuper vtrumque poſtem ſepties. Item in intinctione tunicæ Ioſeph in ſanguine hœdi. Gen. 37. Item Iſaiæ. Sed *quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra,* & ſequitur *quare rubeum eſt indumentum tuum, & vocabatur nomen eius verbum Dei,* quoniam omnia per D ipſum & ex ſe prodierũt, Verbũ inquam à Patre æternaliter genitum, in pretium noſtræ redemtionis expoſitum in pręmium noſtræ retributionis exhibitum.

Nota de occaſione iſtius in expoſitione huius verbi. *Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil,* in quo verbo Ioannes figens aquilares aſpectus in ipſum verbum deſcribit plenitudinem vniuerſi, & ſecundum hæc, duo notantur ſcilicet productio vniuerſalis, creaturæ, ſcilicet cum dicit, *omnia per ipſum facta ſunt,* permiſſio defectus intellectualis *& ſine ipſo.* Primum probat effectus facti. Secundum defectus nihili.

Circa primum nota quod ſub verbo intelligitur cauſa primordialis, qua probatur veritas facti, cauſa E vniuerſalis qua probatur communitas omnium credentium.

*Verbi diuerſi reſpectus.* Nota quod verbum eſt originaliter emanans: quia æterni patris expreſſiuum in reſpectu eius à quo manat: liberaliter ſpirans, quia vniuerſi amoris ſpiratiuum in reſpectu ad ſpiritum quem ſpirat: Exemplariter creans: quia vniuerſi productiuum ad dictum quod creat. Quantum ad primum verbum dicitur imago: quia æterni patris expreſſiuum in reſpectu eius cum quo habet æqualitatem in menſura, alienitatem in potentia, identitatem in natura: de iſtis tribus Ioannes. 1. *In principio erat verbum* quod æternitatem, *& verbum erat apud Deum* quoad alienitatem A *& Deus erat verbum* quoad identitatem. Quoad ſecundum nota quod Verbum habet habitudinem ad amorem ſpiratum & ſic dicitur filius qui habet primicitatem emanationis, auctoritatem miſſionis. Eccleſia. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* *Eccl. 1.*

Quoad tertium nota quod verbum comparatur ad omne creatum & ſic appropriatur ei ratio exemplaris, & tunc dicitur ars diſpoſitiua ideo aſſimilatiua forma, vel ratio productiua ad Hebræos. 11. *Fide intelligimus ſecula verbo Dei.* *Verbum cauſa exemplaris.* Circa ſecundum principale ſciendum, quod verbum dicitur cauſa actualis: quia eſt ratio exemplaris in conceptu verbi, intellectualis in aſpectu Angeli realis: in exitu proprij eſſe, de iſtis, *dixit & facta ſunt.*

Circa tertium nota quod verbum eſt cauſa vniuerſalis omnia præcipiens per modum, bonitatem informans, per ſpeciem pulchrificantem, quietans per ordinem terminantem. Ratio eſt quia *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Nota quod nihil accipitur priuatiue, & ſic ſignificat peccatum quod eſt pure nihil in nihilo: igitur ſic acceptum eſt defectibilitas principii: priuat enim modum principij efficientis inſtabilitas medij: & ſic priuat ordines medii reficientis inſtabilitas termini, ſic priuat pondus terni quietantis de 1. Pſalm. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* De ſecundo Iſa. *Omnes gentes tanquam non ſint reputabuntur.* De tertio, Sap. 4. *Si quidem in nihilum computabuntur.* *Nihil ſumitur hic priuatiue.* *Pſal.* *Sap. 14.*

ET EXERCITVS,] & omnium fidelium multitudo, *qui ſunt in cœlo,* id eſt in eccleſia numero & VERS. 14. C merito ſequebantur eum per viam humilitatis, paupertatis, & caſtitatis, *& equis albis,* id eſt in cordibus mundis, *veſtiti byſſo albo & mundo,* id eſt iuſtitia, quæ mentem albam per innocentiam, & mundã per operum euidentiá requirit: hæ enim ſunt duæ partes myſticæ declinare à malo & facere bonum, ſecundum Auguſt.

ET DE ORE IPSIVS PROCEDEBAT GLADIVS,] id eſt ſubtilis ſententia, *ex vtraque parte acutus.* Vt puniat in corpore & in anima, *vt in ipſo percutiat omnes gentes,* per vniuſcuiuſque exigentiam, *Et ipſe reget eos in virga ferrea,* quia inflexibilis eius iuſtitia, talis igitur dignus eſt iudicare, quia *ipſe calcauit torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis,* ſi ſuperauit mortem quæ primo homini peccanti Deo illata fuit, ſed Chriſto reſurgente fuit deſtructa in ipſo & in nobis finaliter deſtruetur. 1. Cor. 6. *Nouiſſimè inimica deſtruetur mors.* VERS. 15. *Mali in corpore & anima puniuntur.* *1. Cor. 6.*

ET HABET IN VESTIMENTO ET IN FOEMORE EIVS SCRIPTVM REX REGVM ET DOMINVS DOMINANTIVM,] exponens Greg. ſuper Ezech. quid veſtimentum eius niſi corpus quod aſſumpſit de virgine, quid per femur niſi quia deſcendit à patribus carnis propagine quod ſignatum eſt per hoc quod antiqui Patriarchæ recipiebant iuramentũ ſub femore. Vnde Abraham præuidens Filium Dei ex ſuo ſemine ait, *Pone manum tuam ſub femore meo & iura,* &c. Gen. 20. Habet igitur ſcriptum, *Rex regum & Dominus dominantium,* quantum ad vniuerſale imperium cæleſtium & terreſtrium, ſibi acquiſitum per crucis trophęum, & diræ mortis ſupplicium, & ſequitur prædicatorum admonitio ad congaudendum ſuper malorum ſupplicia. Vnde dicit. VERS. 16. *Gen. 20.*

ET VIDI VNVM ANGELVM,] id eſt prædicatorum cæleſtium, *ſtantem in ſole,* per claritatis exemplum & charitatis incendium, prædicatores enim debent ſtare in camino tribulationis. Iac. 1. *Exortus eſt ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos eius, cecidit & decor eius periit* in radio contemplationis, in Pſal. *in ſole poſuit tabernaculum ſuum,* in pretioſo prædicationis. Eccleſ. 14. tripliciter ſol exurit montes, quia prædicatio debet eſſe exhortatoria, conſolatoria, comminatoria & ædificatoria, ecce ſol illuminans, &c. *Et* *Iacob. 1.* *Pſal. 18.* *Eccl. 14.* *Sol tripliciter vrit.*

*clamabat*

*clamabat voce magna*, id eſt prædicatione ſecura, & li- A bera, *dicens omnibus auibus*, id eſt cunctis fidelibus qui debent eſſe ſolertes vt aues in aſpiciendo, ſublimes

*Triplex prædicatio.* *Ioan.13.* in contemplando, cæleſtes in conuerſando, agiles in operando. Ioan.13. *Homo naſcitur ad laborem. Et auis ad volandum, qui volabat per medium cælum*, ad litteram diſcurrendo mentis intuitu per omnes ordines cæleſtium ſpirituum, ad conſiderandum quantus ſit ordo, quantus ſplendor Cherubin, quanta diſcretio thronorũ, quanta eminentia dominationes poſſunt, quãto moderamine principatus regũt, quãta ſublimitate poteſtates cohęrẽt, quãta deniq; prodigia Virtutũ, B ſecreta Archangelorum, myſteria Angelorum, adhuc rimando cuneos Prophetarum, conuentus Patriarcharum, cœtus Apoſtolorum, exercitus Martyrum, collegia Confeſſorum, choreas Virginum, deinde aſcendendo ad ſupernæ matris regale poſtquam immediate apparet totius Trinitatis imperiale faſtigium.

*Iuſti alæ ſenæ.* Et nota quod iſtæ aues habent alas ſenas, quæ ſunt meditatio, expectatio, admiratio, intuitio, oblectatio vel liquefactio, volat autem quiſque per medium, tamen non eleuatur ad ſurſum ſuperbiæ, deorſum auaritiæ, introrſum concupiſcentiæ, retrorſum culpæ, dextrorſum proſperitatis, ſiniſtroſum aduerſitatis.

VENITE CONGREGAMINI AD COENAM MAGNAM DEI.] Iſta cœna dicitur hic quoddam accidentale gaudium de iuſtitia in pœna reproborum C relucente, venite ergo per eius auxilium, poſt eius veſtigium ad eius conuiuium in quo præparabit Pater locum, Filius miniſtrabit cibum, Spiritus ſanctus, potum, Angeli cantabunt canticum, Sancti dicent tripudium, venite ergo.

VERS.18. VT MANDVCETIS CARNES REGVM,] vt in cruciatu impiorum tam maiorum quem minorum videatis vindictam, *vt manducetis carnes regum*, ad litteram principum, *& tribunorum*, id eſt balliuorum qui nocent pauperibus, vt placeant ſuperioribus ſuis, *& carnes fortium*, id eſt militum & diuitum, & *equorum*, id eſt ſubditorum, *& ſedentium in ipſis*, id eſt prælatorum, *& liberorum*, id eſt clericorum qui dicunt, ſemen Abrahæ ſumus & nulli ſeruiunt, *& puſillorum & magnorum*, id eſt omnium generaliter cuiuſcunque conditionis ſunt, & ſequitur Antichriſti D & ſuorum ſequacium deiectio & in illiś confuſio. Vnde dicit.

*Iuſti omnibus tandem dominabuntur.*

VERS.19. ET VIDI BESTIAM,] id eſt Antichriſtum effrenatum & impetuoſum, *& reges terræ*, ſola terrena appetentes, *& exercitus eorum*, id eſt omnes eiſdem ſeruientes & adhærentes, *congregatos malitia ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo*, id eſt cum Chriſto præcedente in eccleſia, *& cum exercitu eius*, id eſt cum ſanctorum militia.

VERS.20. ET APPREHENSA EST BESTIA,] id eſt Antichriſtus crudelitate plenus & nequitia, *& cum ea pſeudopropheta*, id eſt aliquis fautor hęreſiarcha, *plena dolo & de verſutia*, de iſta apprehenſione dicitur ad Theſ. *Et tunc reuelabitur ille iniquus filius perditionis, quem interficiet Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui*, ibi autem gloſſ. dicit E quod virtute viſionis, & per ſe ſiue per Michaelem interficiet, *& qui fecit ſigna coram ipſis* fictis miraculis decipiendo, *quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ*, vita & doctrina ſe Antichriſto conformando *Et qui adorauerunt imaginem beſtiæ eius*, ad litteram ſtatuam nomini ſuo dedicatam deificando, *viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis*, ad pœnæ acerbitatem & ſulphuris ob fœtoris calamitatem, *viui ergo miſſi ſunt*, id eſt repente, ſimile habetur in Pſal. *Deſcendant in infernum viuentes*, id eſt repente. Non eſt autem intelligendum quin moriantur. Sed ob miſeræ vitæ æternitatem & moriendi impoſſibilitatem & dicuntur, *viui miſſi in ſtagnum*.

*Antichriſtus & eius pſeudo propheta pœnæ æternæ deſtinati.* *2.Theſſ.2.*

S. Bernard. de Senis in Apocal.

ET SEQVACES EORVM OCCISI SVNT,] id eſt occidentur, *gladio ſedentis ſuper equum*, & VERS.21. ſententia Chriſti irreuocabili, *quæ procedit ex ore ipſius*, auctoritate irrefragabili, *& omnes aues*, id eſt omnes ſancti agiles dote glorificationis, *ſaturatæ ſunt de carnibus eorum*, id eſt delectati in tormentis eorum. Pſal. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* *Pſal.57.*

# SYNOPSIS
## CAPITIS VIGESIMI.

*VIDETVR à Beato Ioanne Angelus, habens clauem abyſſi, ligans in ea Sathanam per mille annos, quibus finitis iterum ſoluitur, congregans gentes, Gog, & Magog ad Antichriſtum, vt pro eo pugnent contra Chriſtum & Chriſtianos, ſed Deus eos igne de cælo miſſo perdet, Sathanam vero & Antichriſtum in tartara deturbabit. Iudicat Chriſtus vniuerſos mortales, regnant ſancti cum eo, impij autem qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, cum diabolo in ſtagnum ignis mittuntur.*

---

*CAPVT VIGESIMVM.*

1. ET vidi Angelum deſcendẽtem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua.

2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligauit eum per annos mille.

3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſũmentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.

4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.

5. Cęteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.

6. Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt ſacerdotes Dei Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

7. Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

8. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam.

9. Et deſcendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia.

10. Et pſeudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

11. Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis.

12. Et vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni: & libri aperti ſunt, & alius Liber apertus eſt qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.

13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum.

14. Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.

15. Et qui non inuentus eſt in Libro vitę ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

---

## *EXPOSITIO VIGESIMI Capitis.*

Vers. 1. ET VIDI ANGELVM DESCENDENTEM DE COELO, &c.] Oſtenſa Antichriſti damnatione, hic de hoſtis antiqui finali exterminatione agit. Et vt vides adhibeatur dicenti primo pręmittit ipſius allegationem factam in primo Aduentu, ſecundo ſubnectit futuram condemnationem in ſecundo Aduentu, ibi *diabolus qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Tertio declarat formidandum imperium Chriſti præſidentis ibi, *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum.* Quarto æquum iudicium iudicantis, ibi, *& iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum operà ipſorum.*

Dicit ergo, ET VIDI ANGELVM DESCENCEN- A TEM DE COELO] id eſt Chriſtum aſſumentem faſtigium, & ſolium æternæ maieſtatis, Ioan. 3. *Rex deſcendit de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco.* *Ioan. 3.*

*Deſcenſus Chriſti.*

Sed qualiter deſcendit de cœlo qui dicit in ſcriptura, cœlum & terram ego impleo? Reſpondeo hic deſcenſus, nihil eſt aliud quam carnis aſſumptio vt dictum eſt, patet igitur quod non ſeruatur ordo hiſtoriæ, nunc autem reuertitur incidentaliter ad ſuperiora facta in primo aduentu, vt concludat propoſitum de ſecundo, *habentem clauem abyſſi*, id eſt poteſtatem ſuper diabolum ligandi & ſoluendi eum quãtum voluit, nihil enim poteſt niſi permiſſus, nec ſolum habet poteſtatem ſuper diabolum ſed ſuper omnia. Vnde ſequitur, *& cathenam magnã*, id eſt ineuitabilem potentiam, qua vniuerſa complectitur.

*Diabolus nihil poteſt niſi permiſſus.*

B ET APPREHENDIT DRACONEM.] Vers. 2. id eſt diabolum, qui ſic appellatur propter violentiam *ſerpentem*, ob fraudulentiam *antiquum* ob inueteratam malitiam, *qui eſt diabolus*, id eſt deorſum fluens propter iniquam ſuggeſtionem & verſuriam, *& ſathanas*, qui intelligitur aduerſarius propter ſuperbiam & contumeliam, *& ligauit illum*, in priori poteſtate, i. priuauit in parte, ſc. *per mille annos*, i. pro toto tempore quo numerus electorum completur, hoc eſt vſque ad tempus Antichriſti, & rectè per mille annos tempus quo perficitur numerus electorum intelligitur, componitur enim ex triplici denario nam decies centum ſunt mille, & ſunt in triplici ſtatu coniugatorum, contemplatiuorum Prælatorum, & triplici tempore, ſcilicet legis nouæ, Moſaicæ & C Euangelicæ.

*Plura dæmonis nomina.*

ET MISIT EVM IN ABYSSVM] id eſt in corda infidelium, vbi erectus à fidelibus hactenus dominatur, hæc miſſio non eſt niſi diuina promiſſio qua permiſit diabolum dominari in malos, *clauſit*, ſcilicet licentiam egrediendi ei interdixit, *& ſignauit*, & ſigillum appoſuit, ſc. ſignum crucis, quo ſic eum ſuperat, vt à fidelibus expellat, vnde Origen. Tanta eſt virtus huius ſignaculi, vt ſi in mente fideliter habeatur, nulla libido peccati præualere poſſit, ſed continuo ad memoriam reuocata eius motus peccati, & mortis fugiet exercitus, *ſignauit* inquit *ſuper illum.* Hic oſtendit quod diabolus omnino ſubiacet virtuti crucis, dicit ſic ergo fuit ligatus, *vt non ſeducat amplius gentes*, ſicut prius facere ſolebat, *donec conſummentur* D *anni mille*, i. quouſque Antichriſtus veniat, quia tunc fere erit completus numerus electorum, id eſt appropinquante mundi termino, *oportet*, quantum ad diuinam ordinationem *illum ſolui*, poteſtatem priſtinam relaxari ad exercitationem electorum, ad excæcationem reproborum declarationem diuinorum iudiciorum, *modico tempore*, id eſt tribus annis, & dimidio, ſcilicet quantum regnabit Antichriſtus. Et ideo non eſt timendus quia cito exterminabitur.

*Cur hominũ abyſſus.*

Quæritur quare non ante ligauit eum, ſc. diabolum filius Dei in primo aduentu cum poſt incarnationem multos tentauerit, quia ſecundum Gregorium, quanto magis ſibi rebellare conſpicit tanto amplius expugnare contendit? Reſponſio, non vult dicere quin multos ſeduxerit poſt incarnationem Chri- E ſti, ſed non tot ſicut ante, tenebat enim quaſi totum genus humanum alligatum, ſed per crucis tropheum deleuit mortis chirographum, & quaſi abolitum hoſtis dominium.

*Cur Chriſtus in primo aduentu dæmonem non ligauit in abyſſum inferni.*

Sed quæritur qualiter miſit eum in abyſſum, id eſt in corda infidelium, quia ſic videtur Deus cauſa peccati, & diabolus excuſabilis? Reſponſio ſicut Deus dicitur obdurare, quia non emollit per gratiam, ſic dicitur mittere diabolum in corda, quia non dat gratiam expellendi eum ex iuſtitia propter impiorum demerita.

*Quomodo Deus obduras.*

Quæritur de hoc quod ait, vt non ſeducat gentes donec conſumentur mille anni, ergo poſtea eſt ſeducturus?

ctarus?Reſpondeo quod hæc dictio *donec* illo modo loquendi ſumitur, quomodo dicitur, *oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri*, nec enim cum miſertus fuerit non erunt oculi noſtri ad Deum, quia ſemper erunt. Similiter ex parte iſta ait vt non ſeducat donec conſumentur, id eſt amplius non ſeducat, & ita ponitur negatiue, ſeu excluſiue, quia nunquam poſtea ſeducet.

*In aduentu Domini idololatria relinquitur.*

VERS. 4. ET VIDI SEDES] præmiſſa diaboli captiuatione, oſtenditur libertas reddita Eccleſiæ poſt ligationem Sathanæ, ſcilicet ad bene operandum & præmiandum. Nota etiam magnum argumentum fidei noſtræ in hoc valet quod in aduentu Domini erat relinquenda idololatria, ſcilicet in ſignum quod iſte veniebat qui ſolus adorari debebat. Dicit ergo.

ET VIDI.] id eſt dracone ligato *ſedes*, id eſt fideles paratos ad obediendum, *& ſederunt ſuper eas*, maiores ſcilicet bene regendo, & populum ſibi commiſſum fouendo, & nutriendo, *& iudicium*, id eſt auctoritas iudicandi, *datum eſt illis*, id eſt Prælatis, & conſtat quod à Deo à quo omnis poteſtas deriuatur ad Rom. 3. ſi ergo ſuperiores ratione iudicarent, Eccleſia eſſet aliter ordinata, *& animas decollatorum*, oſtenſa facultate puniendi oſtenditur facultas ad regnum perueniendi. Sic enim canit ſancta mater Eccleſia, erepti de duriſſimo Pharaonis imperio ſtatim euolant ad cœlum.

*Iuſtorum præmium.*

Dicit ergo, ET VIDI ANIMAS DECOLLATORVM] id eſt martyrum, *propter teſtimonium Ieſu*, id eſt perhibitum ſuæ humanitati, *& propter verbum Dei*, id eſt teſtimonium perhibitum ſuæ diuiuinitati. *Et qui non adorauerunt beſtiam*, ideſt Antichriſtum ferocem & crudelem, *nec imaginem eius*, corporalem vel ſpiritualem, *nec acceperunt charaſterem eius*, ſcilicet aliquod ſignum oſtenſiuum, vel litteras quibus recognoſcerent ſe eſſe ſub ipſius Iuriſdictione, ſicut multi facient *in frontibus*, id eſt imperata profeſſione, *aut in manibus ſuis*, actuali operatione, ecce igitur perueniendi ſtat modus, ſcilicet teſtificari pro Chriſto. Sequitur fœlicitatis ſtatus, & vt euidentior fiat exponitur, *& vixerunt* poſt mortem vita gloriæ, *& regnauerunt cum Chriſto*, in cœlo quod nõ fiebat ante aduentum Chriſti *mille*, id eſt æternaliter, & fortè Ioannes hic loquitur de gloria beatorum ante iudicium: totum autem tempus quo oportet impleri numerum electorum poſtquam recipient animæ corpora, & regnabunt in æternum ſignificatur per mille annos.

*Status felicitatis Beatorum.*

Nota quod ſignanter dicit, vixerunt & regnauerunt non dicit viuent & regnabunt, quia iam in præſenti viuunt, & regnant animæ ſanctorum ex quo interfecti ſunt pro Chriſto, quod eſt contra hæreticos, qui dicunt quod nullus intrat in regnum cœlorum vſque poſt iudicium.

*Animæ Sanctorum hic & in præſenti viuũt.*

ET CÆTERI MORTVORVM] id eſt omnes illi

VERS. 5. mortui qui non inceſſerunt per abrupta vitiorum, hi inquam *non vixerunt* vita gloriæ, ſed morte calamitatis & miſeriæ, *donec conſumentur mille anni*, id eſt donec conſummata fuerit malitia malorum & iuſtitia bonorum vt reſumptis corporibus illi ad regnum reuertantur, iſti æterno ſupplicio deputentur. *hæc eſt reſurrectio prima*, quia diabolus ligatus eſt qua homines reſurgunt à peccatis, & qua ipſis mortuis ſtatim animæ eorum æterna requie perfruuntur, & reſurrectio prima reſpectu ſecundæ in qua corpus & anima ſimul glorificabuntur. In prima reſurrectione ſunt tria, exitus à peccato per pœnitentiam, perfectio in bono per iuſtitiam, introitus in gloriam in morte quo ad animam.

*Animæ ſanctæ non expectato vltimo iudicio viſione Dei fruuntur.*

*Quænam Reſurrectio prima.*

Deinde oſtendit Ioannes dignitatem & vtilitatem huius reſurrectionis, quia reſurrectio illa introducit ad ſecundam, quæ eſt plena & perfecta beatitudo &

A liberat, à morte ſecunda quæ eſt æterna damnatio. Et nota quod reſurrectio Chriſti dicitur prima exemplaritate fidei, firmitate, claritate. Vnde Apoſtolus reputat iſtam conſequentiam neceſſariam ſi Chriſtus reſurrexit & nos reſurgemus.

*Vid. quæ ait Apoſtoli.*

Vnde ſequitur, QVI HABET PARTEM IN RESVRRECTIONE PRIMA.] & bene dicit qui habet partem, quia hæc reſurrectio prima ſecundum partem fit, id eſt animam, reſurrectio vero ſecunda fit ſecundum totum, i. ſecundum corpus & animam, *in his Secunda mors non habet poteſtatem*, i æternam damnationem quæ erit in corpore & anima, damnatio prima impartita dicitur mors, quia nec anima eſt ibi viuere, quæ à vita Dei aliena erit, nec corpus, quia

VERS. 6.

B æternis doloribus ſubiacebit ait Aug. *Sed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*, offerentes ſacrificiũ ſuauitatis inæſtimabilis, *& regnabunt cum illo mille annis*, i. millenario interpoſito regnant animæ beatæ exutæ à corpore.

ET CVM CONSVMMATI FVERINT MILLE ANNI, SOLVETVR SATHANAS.] præoſtenſa deiectione diaboli in primo aduentu oſtenditur facienda in ſecundo aduentu eius, declaratur cauſa, actus & modus. Vnde dicit, *cum conſummati fuerint mille anni*, i. totum tempus prius, *ſoluetur Sathanas de carcere ſuo*, id eſt laxabitur poteſtas eius, quæ modo ligatur in

VERS. 7.

*Impius carcer dæmonis.*

C cordibus reproborum, qui dicuntur ipſius carcer, quia inhabitat in eis, nec poteſt ſæuire in ſanctos ſicut vellet. *Et exibit* de bonis ad malos ſuam potentiam exercendo.

ET SEDVCET GENTES QVÆ SVNT SVPER QVATVOR ANGVLOS TERRÆ GOG ET MAGOG.] aliquos ſubuertendo, aliquos tentando, Gog & Magog ſecundum aliquos gentes ſunt orientales ſecundum Auguſt. Tribus vicinæ ſunt inter montes caſpios, quæ venient in Hieruſalem tempore Antichriſti, ſecundum vero Auguſtinum, & alios Doctores per iſta nomina ſignatur quod Antichriſtus perſequetur Eccleſiam occultè & manifeſte, nam gog & magog interpretantur tectum & detectum, *& congregabit eos ad prælium*, contra electos

*Nominum gog & magog etymologia.*

D animando, *quorum numerus eſt ſicut arena*, maris infructuoſi in bene operando.

ET ASCENDET SVPER LATITVDINEM TERRÆ.] videlicet diſcurrendo & *circuierunt caſtra ſanctorum*, i. Eccleſiam vt caſtrorum acies ordinatam *ciuitatem dilectam*, pro eodem accipitur, vt aliqui exponunt de ciuitate Hieruſalem.

VERS. 8.

ET DESCENDET IGNIS A DEO DE COELO ET DEVORABIT EOS.] finaliter exterminando, licet ad tempus permittantur regnare iuſto Dei iudicio, *& diabolus qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris*, i. in tormentum ſtabile, ardens & fœtens.

VERS. 9.

VBI BESTIA, ET PSEVDOPROPHETA,] id eſt

*Animæ damnatorum ſemper cruciabuntur.*

E omnes ſui complices cruciabuntur magna pœnæ acerbitate, *die ac nocte*, in quo continuitas, *in ſæcula ſæculorum*, in quo æternitas. In hoc conuincitur error dicentium animas in inferno aliquibus interuallis temporum habere mitigationem pœnarum, cuius contrarium habetur hic. Vltimo ignis eorum non extinguetur & flãma æterna ſine vllo remedio cruciabit. Iterũ in hoc quod ait in ſæcula ſeculorũ, conuincitur error dicentium pœnam non eſſe ſempiternam, de quo errore fuit Origenes, qui poſuit diabolum & Angelos eius, cruciatibus emendos, ſed quomodo ignis corporalis agat in ſpiritum non eſt præſentis ſpeculationis.

*Error Origeni adſcriptus de animabus damnatorum liberandis.*

ET VIDI THRONVM MAGNVM] Oſtenſa ſpeciali damnatione oſtenditur generalis damnatio reproborum: & quia hoc fiet Domino iudicante, ideo prius deſcribitur, vt prædicator magnificus, ſecundo, vt iudex deificus ergo dicit. *Et vidit thronum*

VERS. 11.

*magnum*,id eſt Eccleſiã,auctoritate,& ſublimitate,*candidum* innocentiæ puritate,*& ſedentem ſuper eum*, id eſt Chriſtum Eccleſiæ præſidentem, & ipſam regentem,à *cuius conſpectu fugit terra & cælum.* A

Sed qualiter,quia ipſum appetunt omnia,eo quod eſt ſummum bonum: omnia enim bonum appetunt primo ethicorum. Reſpondeo quia propter hoc dicuntur fugere, quia cœlum aëreum & terra innouabuntur & in decentiorem ſtatum tranſmutabuntur.

1.Cor,6. 1.Cor.6. *Præterit figura mundi*, quantum ad ſtatum non naturam, *& locus non eſt inuentus ab eis*.videlicet quantum ad priorem ſtatum.

Et vidi mortvos]quantum ad reſurrectionem B

Vers.12. mortuorum,*puſillos & magnos*, quantum ad differentiam iudicandorum,*ſtantes ante pedes* id eſt iudicis, & omnium ſanctorum qui omnia videbunt merita & demerita ſingulorum,*& libri aperti ſunt*, in quo reuelatio ſecretorum,iſti libri dicuntur continentia præceptorum.

Dan.10. Iuxta illud Dan.10.cap, *Iudicium ſedit & libri aperti ſunt* eminentia ſanctorum.

*Qui libri aperientur in iudicio.* Tunc primus liber aperietur ad teſtificandum,ſecundus ad ſententiandum propriam conſcientiam ſingulorum tertius ad accuſandum vel excuſandum.

*Christus liber vitæ.* *Et alius liber apertus eſt qui eſt liber vitæ*,i.Chriſtus,tunc aperietur,quando omnibus apparebit viſibilis,malos damnando,bonos præmiando, ſed dicitur vitæ, quia dator & reparator vitæ,imo ipſa vita, C

Ioan.15. Ioan.15.*Ego ſum via,veritas,& vita*,vel liber alius diuina præſcientia, ſeu diſpoſitio quæ nunc latet, ſed tunc, omnibus apparebit,quando manifeſte videbitur,qui ſunt præſciti ad mortẽ,& prædeſtinati ad vitam,vel alius liber vis diuina,quemadmodum intelligitur quicquid ea faciente recolitur.

*In libro vitæ quinam ſcribantur.* In iſto libro ſcribuntur ſancti per electionem, Dan.12.*Saluabitur omnis qui inuentus fuerit*, & de iſto libro ſcribitur,*aut dele me de libro vitæ*, & cuncti per promiſſionem,

Pſal.138. Pſalm.*In libro tuo omnes ſcribentur*. Iſte igitur liber aperietur & iudicati ſunt ex his per errorum correctionem,ſecretorum expreſſionem, meritorum diſcuſſionem, præmiorum proportionem. D

*Iudicium finale.* Et vidi mortvos magnos ] Sequitur iudicium finale,& diuiditur in tria,collegium multitudinis ſubditorum,iudicium certitudinis oculorum, *& iudicati ſunt*,quoad primum

1.Cor.5. 1. Corint. 5. *Oportet nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti*,

Matth.25. Matt.25.*Congregabuntur ante eum omnes gentes & libri aperti ſunt ſecundum opera ipſorum*, nam omnium merita & demerita omnibus erunt nota,vt hic habeant omnes iudicandi notitiam de materia iudicantis,Dan.7. *Iudicium ſedit & libri aperti ſunt.*

*In finali iudicio merita & demerita omnium nota.*

Et alivs liber apertvs est,qvi est liber vitæ ] hic liber idem eſt quod prædeſtinatio diuina,quæ dicitur liber Metaphyſicæ, eo quod in ea repræſentantur illi expreſſè qui ordinati ſunt ſimpliciter ad quandam vitam beatam, qui liber aperietur in iudicio,quia tunc apparebit manifeſtè qui ſunt ad beatitudinem aſſumendi,& qui non, *& iudicati ſunt mortui*,ex his quæ ſcripta erant in libro ſupple conſcientiarum,quia non ſolum iudicabuntur ſecundum opera & dicta, ſed etiam ſecundum intentiones interiores ac cogitata. E

Et dedit mare mortvos svos ] illud fiet ante iudicium,quod præcedet dicto mortuorum, licet hic ſcribatur poſt,quia frequenter in ſacra ſcriptura prius facta poſtea deſcribuntur,reſurgent autem

*Intentio etiam iudicabitur.*

Vers.13. illi demerſi in mare ſicut in arida mortui, per mortem hic deſignantur animæ etiam in inferno detentæ quæ redibunt ad corpora licet iam ſint mortuæ morte culpæ & gehennæ,Ideo dicitur hic,*& infernus dedit mortuos ſuos,& iudicatum eſt de ſingulis*, repetitio eius eſt, quod dictum eſt ſupra ad maiorem aſſertionem,

*Animæ damnatorum denuo corpora informabunt*

Et infernvs & mors missi svnt in stagnvm ignis.]id eſt in pœnam gehennæ vbi vniuerſi immundi reponentur,& per mortem hic intelligitur diabolus cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, ſicut ſol dicitur calidus effectiue, & non formaliter,dæmones autem ſunt immortales, per infernum autem intelliguntur peccatores damnati cum dæmonibus,ſicut enim conſenſerunt eis in culpa,ſic aſſociabuntur in pœna ſecundum illud, Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*,ſic ibunt hi in ſupplicium:iuſti autem in vitam æternam,&c. Vers.14. Matt.25.

*Diabolus ipſa mors dicitur.*

# SYNOPSIS
## CAPITIS VIGESIMIPRIMI.

*COELO ac terra renouatis, noua ciuitas Ieruſalem in Agni ſponſam à Deo parata oſtenditur, iuſtis glorificatis impiiſque in ſtagnum ignis detruſis, cuius ciuitatis murus,& portæ ac fundamenta deſcribuntur, & menſurantur, quæ vniuerſa, ſicut aurum & vitrum mundum, lapides pretioſi, ac margaritæ.*

---

### *CAPVT VIGESIMVM PRIMVM,*

1. ET vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare iam non eſt.

2. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo,paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

3. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

4. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum:& mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.

5. Et dixit qui ſedebat in throno:Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.

6. Et dixit mihi: Factum eſt, ego ſum *Alpha* & *Omega*, initium & finis. Ego ſitienti

tienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

7. Qui vicerit, poſſidebit hæc & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.

9. Et venit vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, vxorem Agni.

10. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo.

11. Habentem claritatem Dei & lumen eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum.

12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael.

13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.

14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

15. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum.

16. Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo, & menſus eſt ciuitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia ſunt.

17. Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mẽſura hominis, quæ eſt Angeli.

18. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa vero ciuitas, aurum mundum ſimile vitro mundo.

19. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, iaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus.

20. Quintum, ſardonyx: ſextum, ſar-
A dius: ſeptimum, chryſolitus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: vndecimum, hyacinthus; duodecimum, amethyſtus.

21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum
B perlucidum:

22. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.

23. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus:

24. Et ambulabunt gentes in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam.

25. Et portæ eius non claudentur per
C diem, nox enim non erit illic.

26. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatũ, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

---

## *EXPOSITIO VIGESIMIPRIMI Capitis.*

D ET VIDI COELVM NOVVM.] Tractatus continuatur ſic: prima enim viſio, fuit continens caput correctiuum ſeptem Eccleſiarum, ſecunda continens ſpectaculum intelligentiarum, tertia continens piaculum exceſſiuum, per ſonitum tubarum, quarta continens miraculum congreſſiuum plenum victoriarum, quinta continens periculum conſumptiuum phialarum, ſexta continens ergaſtulum punitiuum culpæ deliciarum, ſequitur ſeptima & vltima continẽs oraculum expreſſiuum vitæ cælicolarum, & diuiditur in duas partes, primo deſcribitur renouatio creaturarum, ſecundo habitatio cælicorum. Item diuiditur in quatuor, primo ſcilicet, in commutationem nouitatis. *Et vidi cælum nouum*, demonſtrationem ciuitatis vel nouitatis, *Et ego Ioannes vidi*, oſtentationẽ E dignitatis, *& audiui vocem*, comminationem celeritatis, *timidis autem*, &c. VERS. I. *Quanam viſiones continebant.*

ET VIDI COELVM NOVVM ET TERRAM NOVAM.] per iſta duo intelliguntur media elementa aër & ignis, hæc enim omnia innouabuntur, ideo ſubditur, *Primum enim cælum, & prima terra abiit*, non intelligendo quod eorum mutetur ſubſtantia, ſed quod iſta vel ipſa manente, meliorabuntur in qualitatibus, & proprietatibus ſuis, quod totum cedet ad gloriam electorum, qui ex omni corde de creaturarum veſtigiis laudant Deum. & rectè, ſicut princeps videns domum in qua proditiones, & ſcelera à ſeruis ſuis commiſſa ſunt, deſtruit illam domum, & poſtmodum aliam reædificat, ſic poterit dicere Dominus, quia mũ- *Omnia elementa in melius mutabuntur.*

*Iſa.75.*

dus corruptus eſt ab inhabitantibus, illud Iſa.75. *Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam*, vbi gloſſa non ait alios, ſed veteres in melius commutandos, quia conſumpta per ignem, mox abeunte igne, reſument ſpeciem gratiorem, dicit hic gloſſa, quod ignis ille confragrationis non cuncta, vt non ſint, in totum conſumet, ſed duo tantum conſumet, & duo in meliorem reſtituet ſpeciem. Ex quibus videtur quod ignis, & aqua tranſibunt, de aqua habetur, hic & mare iam non eſt: de igne, Ioannis 15. *Lux lucernæ non lucebit amplius.*

*Duo elementa conſumētur.*

*Ioan.15.*

Sed quæritur quare potius hic alleget maxime de igne, cum ſit in propria materia, lux cui non eſt aliquid contrarium. Præterea ignis eſt maxime actiuus, & ſpecies aliorum eſt magis paſſiua. Item mirum videtur quomodo ignis ab igne conſumetur cum ignis ad ignem nulla ſit contrarietas? Item dicitur optimum elementorum, aqua, & plurimorum vſui vtile, & non tantum corporis, verum etiam animæ purgatiuum ſi aſſumpſerit gratiam Spiritus ſancti, quare igitur conſumetur? Reſpondetur quod nullum elementum tranſibit ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed omnia ſecundum quod ſunt elementa & agentia, & patientia adinuicem ſic tranſibunt, ideo quia omnis tranſmutatio potius datur actiuis qualitatibus quam paſſiuis, ad innuendum quod omnis huius tranſmutatio elementaris ceſſabit dicitur potius in gloſſa Bedæ quod ignis, & aqua ex toto conſumentur quam alia. Ignis enim eſſentialis qualitas eſt caliditas, aquæ formalis vero eſt frigiditas, reliqua vero, quia paſſiua, & ideo defectiua ſunt in meliorem faciem commutanda, quæ facies erit impaſſibilitas, tunc deficient huiuſmodi qualitates quæ ſunt actiuæ & paſſiuæ. Vnde Auguſt. 20. cap. elementorum corruptibilium qualitates quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, atque illa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt mundus in melius innouatus aptere accommodetur hominibus, & in carne in melius innouatis, *& mare iam non eſt*, id eſt ſecundum formam priorem ſui ſtatus. Vnde Auguſt. 20. de ciuit. quod dicitur in Apocalypſi, Et mare iam non eſt, vtrum de ipſo mari, vel mundo intelligendum ſit neſcio, nam nomen maris non memini me legiſſe niſi quod ſupra tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo reperitur.

*Quomodo elementa immutabuntur.*

Sed quomodo erit aqua ignibilis cum potius videatur euaporabilis per ignem? Reſpondetur quod purgatio aquæ erit ex conſumptione ſuarum qualitatum, & craſſitiei materiæ. Vnde amaritudo aquæ non remanebit, neque frigiditas, & forte ad ſubtilitatem aquarum euaporabilium perducentur, Pſalm. 121 *Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas.*

*Pſal 121.*

VERS. 2. ET EGO IOANNES.] ſequitur demonſtratio ciuitatis, id eſt congregationis bonorum & electorum, *vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem*, id eſt electorum ſocietatem perfecta charitate vnitam quantum ad corporum gloriam, quoniam corpora ſanctorum quæ ſunt corruptibilia, craſſa & ponderoſa, & obſcura, reſurgent immortalia, ſubtilia, agilia & clara, & quia hoc fiet per gloriam animarum ad corpora redundantem, ideo ſubditur, *deſcendentem de cœlo*, nam animæ beatæ deſcendent de cœlo empyreo, vt corpora reſumant. & in iudicio compareant, *à Deo paratam* dotibus animæ & corporis, ideo ſubdit, *ſicut ſponſam*, &c. Iſa.71. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me*, & quaſi *ſponſam ornatam monilibus ſuis*. In cuius figuram, Gen. 24. dicitur quod prolatis vaſis argenteis & aureis, ac veſtibus dedit Eliezer illa Rebeccæ pro munere antequam traduceretur, *ornatam viro ſuo*, ideſt prout condecet virum ſuum. Pſalm. 44 *Aſtitit regina à dextris tuis*, &c. vel *ornatam vero*, ideſt ornatum recipientem à viro, quia Deus eſt decor omnium ſanctorum, ſicut ſplendor eſt decor vitis. Vnde infra eodem cap. dicitur, *ciuitas illa non eget ſole neque luna vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam & lucerna eius eſt agnus.* Cur Ioannes loquens de ſanctorum gloria nomen ſuum apponit quod non fecit quando vidit alia? Reſpondetur quod Ioannes interpretatur gratia Dei, ad innuendum ergo quod nullus illam ciuitatem ingrediebatur, niſi haberet gratiam hic in via: non enim licitum eſt aliquē indutum ſacco palatium regis intrare. Heſter. 4. Idcirco nomen ſuum oppoſuit.

*Gloria animæ in corpus redundat.*

*Iſa. 71.*

*Gen.24.*

*Pſal.44.*

*Ioannes interpretatur gratia.*

Et patet qualiter beatus Ioannes gloriam beatorum deſcribit, concordiæ vnitatem, *ciuitatem*, munditiæ puritatem, *ſanctam*, lætitiæ charitatem & tranquillitatem, *Hieruſalem*, materiæ puritatem *nouam*, iuſtitiæ æquitatem & conformitatem, *deſcendentem de cœlo*, clementiæ dignitatem, *à Deo paratam*, pœnitentiæ claritatem & animæ formoſitatem, *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Quantum ad proximum in beatis eſt vnanimitas cordium, vniformitas actuum, vniuocitas cantum, quia bene dicitur Hieruſalem ciuitas quia ciuium vnitas, quantum ad ſecundum, ſcilicet munditiæ puritatem, ineſt puritas ſine infectione, firmitas ſine cautione, id eſt ſummitas ſine tumatione, libertas ſine coactione. 1. Machab. 10. *Ex hodierna die vſque in totum tempus Hieruſalem ſit ſancta*, ſ. quoad lætitiæ charitatem & tranquillitatem, patet quod ibi inuenit anima viſionem contemplationis, hauſtum delectationis, hæſionem firmæ tenſionis. Iſa.70. *Surge illuminare Hieruſalem quia venit lumen tuum & gloria Domini*. Sed quoad materiæ puritatem dicitur nomen quod eſt ſuo principio propinquum innouabitur meliorādo, Corpus reformabitur continuando. Vnde Luc.10. *Ecce ego noua facio omnia*, quantum ad iuſtitiæ æquitatem & conformitatem inde deſcendit radius conſilians naturam, radius continuans gratiam, radius perpetuans gloriam. Iac.1. *Omne datum optimum & omne donum*, &c. fit ciuitas electorum Dei de cœlo deſcendens per recognitionem quod quicquid boni habet, ortum habuerit à Deo, non à ſe deſcendit. Quantum ad clementiæ dignitatem, dicitur communitas electorum parata à Deo æternaliter prædeſtinando, temporaliter iuſtificando, liberaliter glorificando, ſecundum illud. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor*, &c. Quantum ad pœnitentiæ claritatem, hęc ſponſa habet pro ornamento fulcimentum virtutum, titulum dotum, iubilum laudum, eſt enim fideliſſima quantum ad thorum, firmiſſima quantum ad vinculum, fœcundiſſima, quantum ad fructum. Vnde de hac ſponſa. Oſee. 2. *Sponſabo te mihi in fide in ſempiternum.*

*In beatis maxima concordia.*

*1. Mach. 10.*

*Eximia quæ in beatis reperiuntur.*

*Iſa. 70.*

*Luc. 10.*

*Iac. 1.*

*1. Cor. 2.*

*Oſee 2.*

ET AVDIVI VOCEM.] Sequitur oſtentatio dignitatis & diuiditur in tres, deſcribitur primo celſitudo diuinæ maieſtatis. *Ego ſum Alpha & Omega*, ſecundo certitudo diuinæ eruditionis, *& dicit mihi ſcribe*, tertio multitudo repromiſſionis, *Et dicit mihi factum eſt. Audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, id eſt cohabitatio Dei cum hominibus inſeparabilis, quia beati ſuper ipſum habebunt poteſtatem per apertam viſionem, & per ſanctam fruitionem. Reperitur in ſcriptura quadruplex tabernaculum regni triumphalis, clauſtri virginalis, templi materialis, lecti ſpiritualis, primum tabernaculum eſt purum amœnitate. Num. 24. *quam pulchra tabernacula tua Iacob & tentoria tua Iſrael*, plenum fertilitate. Iſa. 33. *ſedebit populus meus in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta*, fixum æternitate. Pſalm. 26. *Vnam petii à Domino hanc requiram*. &c. *abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui*, tectum ſecuritate. Pſalm. 40. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula, protegar in velamento alarum*

VERS. 3.

*Num. 24.*

*Iſa. 33.*

*Pſal. 26.*

*Pſal. 40.*

rum

Iſa. 33. *rum tuarum*, de his quatuor, Iſa. 33. *Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam tranſiri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes ſancti eius non eiicientur, quia Salomon ibi magnificus Dominus Deus noſter.*

*Tabernaculum clauſtri virginalis. Sap. 9. Pſal. 45. Eccleſ. 24. Pſal. 18. Leuit. 28.* De tabernaculo vteri virginalis fuit mirabiliter reædificatum. Sap. 9. *Dixiſti, ædificare me templum in monte ſancto tuo ſimilitudinem tabernaculi ſancti quod præparaſti ab initio*, virtualiter ſanctificatum. Pſal. 45. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus*, perſonaliter inhabitatum. Eccl. 14. *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*, ſingulariter glorificatum. Pſalm. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, de quibus. Leuit. 28. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea.*

*Tabernaculum templi materialis. Pſal. 26. Exod. 10.* In tabernaculo templi materialis, illi pariter fœdus reformationis & reconciliationis. Vnde vocabatur tabernaculum fœderis gradus miniſtrationis. 3. Reg. *& Apoſtolica tribu Leui*, & ſequitur cultus exultationis. Pſal. 26. *circuiui & immolaui in tabernaculo eius*. Exod. 20. *Faciant mihi ſanctuarium iuxta ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi.*

*Tabernaculum lecti ſpiritualis. Pſal. 131. Gen. 18.* De tabernaculo lecti ſpiritualis, patet quod eſt diligenter præparandum, vt locus diuinæ requietudinis. Pſal. 131. *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, vigilanter obſeruandum quia locus diuinæ inuentionis. Gen. 18. *Apparuit Dominus Abraham ſedenti in oſtio tabernaculi*, ſincere excolendum quia locus ſpiritualis operationis, &c. Locus ſempiternæ protectionis, Mat. 17. *Faciamus hic tria tabernacula.*

VERS. 4. ET ABSTERGET DEVS OMNEM LACHRIMAM,] vbi nulla erit conturbatio. Bern. O fœlices lachrimæ quas benigna manus conditoris abſterget, *mors vltra non erit*, quia nulla animæ & corporis ſeparatio, *neque luctus*, qui nulla charorum amiſſio, *nec clamor*, vbi nulla violentiæ illatio, *nec dolor*, vbi omnis triſtitiæ excluſio, *quæ prima abierunt*, his enim mali ſancti modo purgantur propter quod fortunati. Vnde Luc. 16. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris*, ideo dicit Auguſt. 20. de ciuit. quis ita veſanus qui audeat affirmare in huiuſmodi mortalitatis ærumnis, non dico populum ſanctum, ſed vnumquemque ſanctorum, qui hanc ducat, vel ductutus eſt, vel duxerit vitam nullas habentem lachrymas vel dolores, cum potius quanto quiſque eſt ſanctior, & deſiderio ſancto plenior, tanto ſit eius morando fletus vberior, & quia per hoc excluditur omne malum culpæ & pœnæ, ideo dicitur, *& mors vltra non erit* &c. *quia prima abierunt*, Nam in Eccleſia militante quæ dicitur terreſtris Hieruſalem. Iſta ſunt, & erunt vſque ad iudicium.

*Luc. 16.*

*Hæc vita calamitatibus permixta.*

VERS. 5. ET DICIT QVI SEDEBAT IN THRONO.] ſcilicet Deus trinus & vnus, *Ecce noua facio omnia*, ſcilicet cœlos, elementa & corpora elementorum, vt patet ex dictis. *Et dixit mihi ſcribe*, ad informationem Eccleſiæ, & ſcribe viſum, & explana eum ſuper tabulas vt percurrant qui legent eas, hæc *verba fideliſſima*, reſpectu noſtri. Deut. 32. *Deus fidelis*, &c. Matth. 24. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, & vera reſpectu Dei, *non eſt Deus, quaſi homo vt mentiatur.*

*Deut. 32. Matt. 24.*

VERS. 6. ET DIXIT MIHI FACTVM EST,] id eſt conſummatum gaudium electorum eſt. *Ego ſum Alpha & Omega*, exponitur vt ſupra primo, *principium & finis*, expoſitio præcedentium, Alpha enim eſt prima littera Græca & Omega, vltima. Num. 23. Deus autem eſt principium effectuum à quo omnia deducuntur, & finis in quem omnia ordinantur. *Ego ſitienti*, id eſt *dabo de fonte aquæ vitæ gratis*, modo debito conſiderantI, id eſt participationem vitæ beatæ, licet enim habentes gratiam mereantur de condigno beatam vitam, tamen ipſa gratia per quam opera fiunt meritoria de condigno gratis datur; alioquin gratia iam non eſſet gratia. Rom. 11.

*Meremur ex gratia & ex Deo accept ante gloriam de condigno.*

VERS. 7. QVI VICERIT,] carnem, mundum, poſſidebit hic hæreditatem perpetuam. *Et ero illi Deus*, dans gloriam. *Et ipſe erit mihi filius*, per aſſimilationem perfectam. 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt.* Auguſt. de anima & ſpiritu propter hoc Deus factus eſt homo vt totum hominem in ſe beatificaret, & tota dilectio eſſet in illo à ſenſu carnis videtur per carnem, & à ſenſu mentis per deitatis contemplationem, hoc autem totum erat bonum hominis, vt ſiue egrederetur ſiue ingrederetur in ſuo factore paſcua inueniret, paſcua foris in carne ſaluatoris, paſcua intus in deitate creatoris.

*1. Ioan. 3.*

VERS. 8. TIMIDIS AVTEM,] poſtquam apparuit commutatio vanitatis, demonſtratio ciuitatis, oſtentatio dignitatis. Sequitur comminatio ſceleritatis, cum dicitur, *timidis autem*, timore mundano declinantibus ad peccata mortalia, & in eis perſeuerantibus, *& incredulis*, Iudæis, Sarracenis & cæteris, *& execratis*, id eſt reuertentibus ad peccata enormia poſt eorum condonationem, ſicut canis ad vomitum, *& homicidis*, facto vel voluntate deliberata, *& fornicatoribus*, per fornicationem hic comprehendit cætera carnis vitia, *& veneficis*, id eſt magis & ſortilegis, id eſt *idololatris* cultum Deo debitum tribuentibus creaturis, *& omnibus mendacibus*, mendacio periurioſo, & per hæc vitia intelliguntur omnia alia peccata mortalia, *pars illorum*, id eſt retributio, *erit in ſtagno ardenti*, id eſt in pœna gehennæ quæ dicitur mors. De timidis. Pſalm. *timuerunt vbi non erat timor*, de homicidis. Matt. 22. *Rex perdidit homicidas illos*. Incredulis quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. *Execratis*, id eſt extra communionem ſanctorum ſacrorum poſitis. Eccl. 1. *Execratio eſt peccatori cultura Dei*, fornicatoribus. Hebr. vlt. *Fornicatores & adulteros iud cabit Deus*, veneficis, Apoc. vlt. *foris canes & venefici*, idololatris. 1. Cor. 10. *neque idololatræ efficiamini ſicut quidam illorum quemadmodum ſcriptum eſt ſedit populus manducare*, & omnibus mendacibus. Rom. 3. *Omnis homo mendax, pars illorum*, &c. Pſal. 10. *Ignis ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis*, &c.

*Matt. 22. Hebr. 11. Eccle. 1. 1. Cor. 10. Pſal. 10.*

VERS. 9. ET VENIT DE SEPTEM ANGELIS] ſupra dixit vbi incipit ſeptima viſio continens ornaculum expreſſiuum vitæ cælicolarum Et continuatur ſic. Poſtquam deſcripta eſt renouatio creaturarum, hic conſequenter deſcribitur habitatio cælicolarum & diuiditur in duas, primo illam commendat à permanentia firmitatis, ſecundo ab affluentia vbertatis, Item diuiditur in tres, excitatio viſionis, ibi *veni*, &c. tranſmutatio regionis, *& ſuſtulit*, demonſtratio manſionis, *& oſtendit.*

Circa primum aduertendum quod aliqui exponunt iſtam litteram de tempore ante iudicium & etiam ante aduentum Chriſti quod videtur oſtendere ex hoc quod dicitur 22. *Qui nocet noceat adhuc, qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus iuſtificetur adhuc*. Poſt iudiciũ vero non erit tempus nec locus meriti nec demeriti, per Angelum hic introductum poteſt intelligi Innocentius Papa, tertius qui approbauit ordines fratrum minorum & prædicatorum qui dicuntur hic ciuitas Hieruſalem noua ſecundum illud. Prou. 17. *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma*, ambo enim ordines ad idem opus ſunt ordinati, ſcilicet ad prædicationem euangelij, fundamenta eius ciuitatis ſunt B. noſter Franciſcus & Dominicus horum ordinum fundatores, dicuntur tamen in numero duodenario hæc fundamenta, quia ſunt imitatores 12. Apoſtolorum, murus vero regularis per præcepta & ſtatuta portæ religionum ingreſſus quæ diffunditur ad quatuor orbis partes, nam ex omnibus mundi partibus aliqui ingrediuntur iſtas religiones.

*Hæc expoſitio non admittenda ſecundum litteram, ſed quaſi myſtica vel per aliqualem accommodationem.*

Angeli

Angeli vero in portis exiſtentes ſunt miniſtri & priores & prouinciales qui per ſe vel alios & recipiunt ad ordines venientes.

Licet autem hæc expoſitio ſaluari poſſet in aliquo ſenſu myſtico non tamen in ſenſu literali ſicut credo, primo quia dicitur hic quod Angelus hic introductus docuit Ioannem dicens. *Veni & oſtendam tibi*, quod non poteſt verificari de Innocentio Papa cum poſt Ioannem fuerit per mille annos & amplius. Item quia infra dicitur de hac ciuitate, *& templum non vidi in ea*, non ita in dictis ordinibus. Item quia dicitur, *hac ciuitas non eget ſole, neque luna*, & poſtea *nec intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium*, dicti autem ordines indigent illuminatione ſolis & lunæ, nec omnes intrantes ſunt immaculati, nec omnes beati intrantes perſeuerant in bono, ſed multi fiunt apoſtatæ & peſſimi, ſicut non inueni meliores his qui in monaſterio profecerunt, ita non inueni deteriores illis qui in monaſterio defecerunt, propter quæ & plura alia quæ poſſent induci contra expoſitionem prædictam in quantum diceretur eſſe litteralis,

*Nulli meliores quam qui in monaſterio profecerunt.*

Videtur potius exiſtimandum quod ciuitas hæc deſcripta eſt Hieruſalem ſuperna, vnde poſt præmiſſa verba de ingreſſu huius ciuitatis ſubditur, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ & agni, hi ſunt prædeſtinati qui etiam Hieruſalem ſupernam ingrediuntur & nulli alij, ideo melius dicitur hic deſcribi ſtatus Eccleſiæ triumphantis. Sed promittitur excitatio viſionis.

*Quiſnam per hunc Angelum intelligatur.*

Et venit vnus de septem Angelis, &c.] Per hunc intelligi poteſt beatus Iacobus qui ſuperius dictus eſt, *vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas*, & præceſſit beatum Ioannem in gloria propter quod ex Dei voluntate potuit ei ſecreta cæleſtia reuelare. *Veni oſtendam tibi*, id eſt Hieruſalem ſupernam quæ dicitur vxor agni modo ſpirituali, quia coniungitur ei inſeparabiliter & æternaliter, non ſic autem Eccleſia militans quę ceſſabit in fine mundi ſicut imperfectum adueniente perfecto & figura adueniente figurato, ſicut enim lex vetus imperfecta fuit & figura reſpectu nouæ legis, ſic Eccleſia militans reſpectu triumphantis cuius ſtatus omnino perfectus incipiet in generali remuneratione, & tunc enim electi ſeparabuntur à reprobis, & erunt in anima & corpore perfectè beati, reſurgent enim in corporibus glorioſis per animæ gloriam ad corpora redundantem. Eccleſiaſt. 4. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens in Domum Dei, & appropinqua vt audias.* Ioan. 3. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.*

*Eccl. 4. Ioan. 3.*

Vers. 10. Et ſuſtulit me in spiritu.] Hoc dicit ad oſtendendum quod nō vidit tunc gloriam electorum prout erit in ſe. Sed in aliquo æque repræſentante, ſcilicet in ciuitate quæ ita deſcribitur quam vidit imaginans viſione & eius figuratione intellexit. *In montem* magnanimum & altiſſimum per quem deſignatur cælum empyreum. quod ſecundum Sanctos & Doctores eſt locus bonorum & in corporalibus habet locū, & ſitum ſupremum. Ezech. 90. *Facta eſt ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc in viſionibus Dei, & adduxit me in terra Iſrael, & dimiſit me ſupra montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis.*

*Ezech. 90.*

*Beatitudo ex nouem laudatur.*

Et oſtendit mihi, &c.] Sequitur demonſtratio manſionis & diuiditur in nouem, nam primo commendatur ex aſpectus pulchritudine, ex murorum altitudine, *habebit murum*, & ingreſſus multitudine, *habentem portas duodecim*, ex ſuccurſus promptitudine, *& in portis angulos*, ex recurſus fortitudine, *& murus ciuitatis*, ex ambitus latitudine, *ipſa vero ciuitas aurum*, ex ſpiritus ſanctitudine, *& templum non vidit in ea Dominus*, ex ſtrepitus quietudine, *& portæ eius non claudentur per diem*. Dicit ergo, *deſcendentem de cælo*, quia animæ beatæ deſcendent ad corpus reſumendum, & eis gloriam communicandam, vel quia beatitudo cæleſtis non poteſt ab electis haberi, niſi prius quodammodo ad eos deſcendat in pręſenti, nam donum gratiæ per quod efficiuntur digni vita æterna, eſt quædam inchoatio & participatio gloriæ propter quod in oratione dominica ſecunda petitio eſt. *Adueniat regnum tuum*, id eſt ad nos veniat, quia non poſſumus venire ad ipſum, niſi prius ad nos veniat modo dicto.

*Niſi prius ad nos veneris Deus, ad eum venire non poſſumus.*

Habentem claritatem Dei,] nam claritas bonorum quantum ad gloriam animæ & etiam corporis eſt quædam participatio diuinæ claritatis, per quam beati ſibi conformentur. 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, & lumen eius ſimile lapidi pretioſo.* id eſt Chriſto, qui dicitur lapis pretioſus. 1. Petr. 2. *Ecce ponam in Sion lapidem ſummum angularem electum pretioſum*, in beatitudine namque cæleſti per gloriam corporis & animæ conformatur homo Chriſto ſicut membra capiti tanquam lapidi iaſpidi, *ſicut cryſtallum*, nominatiui caſus eſt, & neutri generis ſecundum acceptionem antiquorum, comparatur autem iaſpidi propter pluralitatem colorum.

*Vers. 11. 1. Ioan. 3. Chriſtus lapis pretioſus. 1. Pet. 2.*

In Chriſto autem ſunt tres naturæ, ſcilicet diuina, anima intellectiua, & corpus, tamen quia iaſpis confortat viſum, & beati delectantur in viſione Chriſti, in aſpectu ſuæ humanitatis exterius vt dictum eſt, ſicut cryſtallum quod valet contra ſitim & ardorem cupiditatis, & ſimiliter ſancti tenuerunt viam meritoriæ paupertatis.

*In Chriſto tres naturæ.*

Et habebat murum magnum et altum.] id eſt ſpiſſum, & altum per quod deſignatur ſecuritas protectionis diuinæ, quæ maximè relucet in ſtatu ſupernæ beatitudinis, quod nullus habens poteſt amittere. Vnde Eccleſia, *muro tuo in expugnabili habens portas duodecim*, quæ ſunt obſeruationes mandatorum per quas habetur ingreſſus ad beatitudinis ſtatum, Matth. 19. *Si vis ad vitam*, &c. & ideo ſunt duodecim portæ, nam obſeruatio decem præceptorum decalogi cum duobus præceptis charitatis facit ad vitam ingredi, *& in portis Angelos duodecim*, nam electorum animæ deferuntur ad cœlum per miniſterium Angelorū, Luc. 18. *Factum eſt vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, Alia littera habet in portis angulos, id eſt duodecim Apoſtolos qui dicuntur anguli, quia ſicut angulo ſecundæ lineæ conuertuntur, ſic Apoſtoli per ſuam prædicationem Iudæos, & Gentiles nexuerunt, duo præcepta, vel fidem & mores docuerunt, duo, pœnam & culpam vitauerunt, & ſeruauerunt præcepta & conſimilia propter quod à Domino fuerunt miſſi bini, Luc 10. *Et nomina ſcripta quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael*, id eſt omnium fidelium, qui indifferenter admittuntur ad regnum ſine acceptione perſonarum.

*Vers. 12. Protectio diuina ſpecialiter in beatitudine. Matt. 19. Duodecim portæ obſeruatio decalogi & duplex præceptum dilectionis. Luc. 18. Luc. 13.*

Ab oriente portæ tres.] Nam ex omnibus orbis partibus colligentur boni intrantes ianuas paradiſi, dicuntur autem portæ tres ad quamlibet orbis partem principalem, nam in fide Trinitatis ſanctæ ad gloriam cœleſtem peruenient.

*Vers. 13.*

Moraliter per orientem natiuitas intelligitur, vbi portæ tres, ſcilicet conſideratio paupertatis, nuditatis, fœditatis, per auſtrum proſperitas, vbi portæ tres, vanitas, vilitas, breuitas, & per aquilonem aduerſitas, vbi portæ tres examinans, purificans, conglutinans, per occidentem, mors vbi portæ tres cōnſideratio quod eſt illius incertum tempus, incertus modus, incertus locus, per quas conſiderationes patet ingreſſus ad fœlicitatem, Iſa. 29. *Aperite portas & ingredietur gens infinita cuſtodiens veritatem*, Vel quia aliqui intrant in paradiſum ab oriente à principio per baptiſmum, alij ab occidente conſummati per martyrium, alij ab aquilone per aſperitatem pœnitentiæ, alij ab

*Per quas portas ingreſſus ad fœlicitatem.*

ab auſtro,virtutum perfectione.

VERS.14. Isa.26. ET MVRVS CIVITATIS.] commendatur ex recurſus fortitudine. Iſa. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion ſaluator ponetur in ea murus & antemurale*, protectio diuina & aſſiſtentia Angelica,Iſa 14. *Muri tui coram te ſemper. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim*,id eſt duodecim articulos fidei, nam ſecundum Apoſtolum,Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum*,id eſt bonorum cœleſtium , quæ ſunt ſperanda. Et in hac definitione fidei accipitur ſubſtantia pro inchoatione ſiue fundamento,eo quod fundamentum eſt inchoatio domus:per fidem vero formatam inchoatur beatitudo cœleſtis in nobis , *& in ipſis duodecim nomina*,duodecim Apoſtolorum *Agni* id eſt Chriſti,dicũtur autẽ nomina Apoſtolorum in ipſis fundamentis ſcripta,quia primo publicant fidem Chriſti prædicando & pro ipſa moriendo.

Isa.14.

Heb.11.

VERS.15. ET QVI LOQVEBATVR MECVM. ] ſcilicet Angelus, *habebat menſuram arundineam auream*, ſimilem arundini in figura, quia non poteſt eſſe aurea & cum hac arundine vera,*vt metiretur ciuitatem* , quantum ad ſpatium intra muros contentum , *& portas eius & murum* , quantum ad eius altitudinem : nam habita menſura ſpatii intra murum contenti,habetur menſura longitudinis muri , nam interior pars muri & dictum ſpatium contiguantur. *Et ciuitas in quadro poſita eſt*,id eſt diſpoſita quod patet ex eo quod ſubditur, *& longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo* , quod non poteſt eſſe niſi quadrum eſſet æquilaterum, per hoc autem intelliguntur quadrata quatuor virtutum cardinaliũ,quę manent in patria ſecundum Doctores Catholicos,tamen ſecundum alios actus quam in via,nam actus prudentiæ eſt ibi nullum bonum Deo præponere , fortitudinis autem Deo fortiſſime inhærere,non pertimere moleſtias, temperantiæ vero nullo motu noxio delectari , iuſtitiæ Deo ſubditum eſſe,non contendere noxias delectationes , & ſubuenire miſeris,

*Secundum quos actus virtutes cardinales ſunt in beatis.*

ET MENSVS EST CIVITATEM. ] id eſt ſpatium ciuitatis *per ſtadia duodecim millia*,non poteſt intelligi quod iſta ſtadia decem millia contineant totum ſpatium ciuitatis & præcipuè , nam illud ſpatium oportet eſſe quadrum æquilaterum, vt dictum eſt ,12 autem non eſt numerus quadratus,numerus qui reſultat ex ductu vnius numeri in ſeipſum ſemel reſultat quaternarius numerus , nam bis duo ſunt quatuor,ter tria nouem , quater quatuor ſexdecim & ſic conſequenter per quod patet quod inter & 9. & 16.non eſt aliquis numerus quadratus , & ideo ſi ſpatium omne ciuitatis , 12.millia ſtadiorum præcipue non poteſt eſſe quadrum æquilaterum , propter quod dicendum quod iſta 12.millia ſtadia menſurant vnum latus huius quadri , & per conſequens totum ſpatium continet duodecies 12. millia ſtadia quæ ſunt in vniuerſo 144.millia ſtadia , & eſt numerus quadratus reſultans ex ductu duodenarii in ſeipſum Hic autem numerus continet nouies 16.cum igitur octo ſtadia faciant vnum milliare & duo milliaria leucam vnam.Sequitur quod prædictum ſpatium ciuitatis continet 18. millia milliariorum & nouem millia leucarum,& quodlibet latus muri. 12. millia ſtadia , quia murus ponitur hic quadratus æquilaterus,nec tamen hic computatur ſpiſſitudo muri. Sed ſuperficies interior tantum, vt patet ex prædictis, hæc autem ſecundum magnitudinem loci bonorum ſecundum quod dicitur Baruch. *O Iſrael quam magna eſt domus Dei & ingens locus poſſeſſionis eius*,&c. tamen cœlum empyreum quod eſt locus beatorum eſt quaſi incomparabiliter maius quam ciuitas hæc deſcripta nam in hoc lib. frequenter maiora per minora ponuntur vt *longitudo & altitudo,& latitudo eius* , ſcilicet ſpatii,*æqualia ſunt*,iam patet ex dictis , nam ſpatium quadrum æquilaterum,de altitudine vero quantum ad murum non fit hic mentio. Sed poſt, ſed de altitudine ſpatii quod accipitur ſecundum altitudinem montis in quo deſcribitur hæc ciuitas ſancta ſecundum quod dicitur ſupra eodem ca. & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum,& oſtendit mihi ciuitatem ſanctam &c. Sed hæc altitudo huius montis eſt duodecim ſtadiorum ſicut longitudo ſpatii & eius latitudo vt prædictum eſt,id eſt mille quingentorum , milliariorum ſeptingentarum leucarum mille.

Baruch. 3.

*Longitudo & latitudo ciuitatis ſancta*

VERS.17. ET MENSVS EST MVRVM EIVS CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR CVBITORVM MENSVRAS HOMINIS. ] id eſt accipiendo cubitum humanum qui continet pedem & dimidium ſecundum vnam acceptionem, ſ. à cubito brachii vſque ad manum,ſecundum aliam vero ,quæ habet duo pedes,ſ. à cubito brachii vſque ad ſummitatem digitorum, ex quo patet quod non accipitur hic menſura longitudinis muri ſecũdum ſuum ambitum, nec etiam ſecundum latus vnum , nam murus habens quatuor latera, & quodlibet longitudinis 144. cubitorum, non poteſt claudere ſpatium prædictum, nec etiam duodecimam eius partem,nec etiam minimam , ſcilicet vnum ſtadium quadratum : nam vnum ſolum ſtadium continet 125. paſſus & quilibet paſſus quinque pedes & per conſequens vnum ſtadium quadratum continet trecentos duodecim cubitos & dimidium ſecundum maiorem acceptionem humani vt patet ex prædictis.

Et ideo dicendum eſt quod hic accipitur menſura muri ſecundum eius altitudinem ,quæ eſt multo minor quam eius longitudo , cuius menſura accipitur ſecundum menſuram ſpatii cuius quodlibet latus eſt longitudinis 12.millium ſtadiorum,& per conſequens quodlibet latus muri quoniam coniungitur ſpatio in parte interiori vt ſupra dictum eſt propter quod hic tacetur menſura longitudinis muri, quia ſufficienter & per menſurã prædictam ſpatii continentur.

Dictum eſt ſupra quod per murum intelligitur ſecuritas beatitudinis propter quod eius altitudo dicitur centum quadraginta quatuor cubitorum, qui eſt numerus quadratus vt dictum eſt ſupra ,& ſignificat ſtabilitatem beatitudinis , ſicut corpus quadratum firmiter ſtat in quolibet latere ,propter quod etiam virtuoſus comparatur quadrato. *Menſura hominis quæ eſt Angeli*, per hoc deſignatur quod ad æqualitatem Angelorum aſſumuntur. Matt. 22 *Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo* , vel vult dicere quod ille qui ſic menſurabat apparens homo erat Angelus.

*Per murum intelligitur ſecuritas beatitudinis.*

VERS.18. ET ERAT STRVCTVRA MVRI EIVS EX LAPIDE IASPIDE.]ſicut ſupradictum eſt per murum intelligitur ſecuritas beatitudinis : per iaſpidem vero ipſe Chriſtus, propter quod murus dicitur de lapide iaſpide,nam ipſe Chriſtus eſt ſecuritas beatorum à quo non poſſunt diuertere,nec auelli,iaſpidis virtus eſt in expulſione phantaſmatum, fuga febris , per quod deſignatur quod in in bonis eſt carentia intellectualis errorum ab æſtu quoad concupiſcibile & ardoris quoad iraſcibile.Sap.3. *Qui confidunt in illum intelligent veritatem*,contra errorem, *& fideles in dilectione acquieſcent illi*,contra concupiſcentiam , *quoniam donum & pax eſt electis Dei*,contra ſuperbiam,quia inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.Prouerb.13.

*Virtus iaſpidis*

Sap.3.

*Inter ſuperbos ſemper iurgia.*

IPSA VERO CIVITAS AVRVM MVNDVM.]Hic deſcribitur ſuperna ciuitas ex rerum valore,id eſt ſocietas ciuiũ ſupernorum vnitur fluentiſſima charitate,eſt enim aurum cunctis metallis pretioſius ſecundum quod canit Eccleſia in proſa quæ attribuitur à quibuſdam Greg. & à quibuſdam Hugoni de ſancto Vict Nec languor hic,nec ſenium,nec fraus, nec terror hoſtium , ſed vna vox lætantium , & vnus ardor cordium, *ſimile vitro mundo* , id eſt ſicut vitrum quod recipit lumen non ſolum exterius ſed etiam interius,

*Beatorum inter ſe maxima concordia.*

per

per quod ſignificatur quod ſocietas bonorum læta erit per lumen gloriæ interius & exterius per gloriam corporis & animæ.

Vers. 19.

Et fundamenta mvri civitatis omni lapide pretioso ornata,] & hoc patet quod non ſumitur hic fundamentum ad ſimilitudinem illius quod in ædificiis abſconditur ſub terra, nam ibi ornamentum non habet locum ſed ſumitur ad ſimilitudinem partis inferioris ædificij, quæ tamen apparet ſuper terram. *Et fundamentum primum, Iaſpis*, ſupra dictum eſt quod duodecim articuli fidei deſignantur per iſta fundamenta. Inter autem ſex articulos pertinentes ad Chriſti deitatem primus eſt de vnitate Dei qui eſt principium credentibus tollendi varios errores gentilium ponentium plures deos, ideo per iaſpidem deſignatur qui oculos purgat, ideſt acuit & reformat, & dicitur libro de proprietatibus rerum & ibidem ponuntur proprietates ſequentium lapidum ſecundum quod inferius aſſignantur, *ſecundum ſapphirus*, ſecūdus articulus eſt de Trinitate perſonarum, eius fides augmentat corpus Eccleſiæ myſticum, quæ prius erat in vna gente modica Iudæorum ſed modo per fidem Trinitatis prædicata ſed extendit ad multitudinem gentilium conuerſorum, ideo ſignificatur per ſapphirum qui corpus humanum vegetat & integra membra conſeruat. *Tertius, calcedonius*, tertius articulus de opere creationis, quod ſoli Deo conuenit, & valet fides huius articuli contra dæmonum illuſiones, vt non adorentur ſicut creator, ideo ſignificatur per chalcedonium qui valet contra illuſiones dæmonum & virtutes conſeruat. *Quartum ſmaragdus*, quartus articulus eſt de opere ſanctificationis per gratiam, quæ curat à peccatis mortalibus, & dat verba perſuaſiua in oratione deuota, ideo ſignificatur per ſmaragdum, qui valet contra morbum caducum & in cauſis dat verbum perſuaſiuum. *Quintum ſardonix*, quintus articulus de opere reſurrectionis corporum cuius fides humilem facit & pudicum, cogitationes inferendo quod corpus nunc eſt corruptibile, ſed finaliter ad gloriam reſuſcitandum debet teneri in humili geſtu & apparatu, ratione mortalitatis præſentis & mundum ratione glorificationis futuræ propter quod ſignificatur per ſardonicem qui facit humilem & modicum. *Sextum ſardius*, ſextus articulus eſt de opere glorificationis, cuius fides in animo generat gaudium & expellit timorem, quia cogitans glorificari non timet pro Chriſto mori, ſed & aliquando gaudet. Matt. 5. *Cum vos oderint homines & exprobrauerint & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum mentientes propter me, gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*, ideo ſignificatur per ſardium qui dat gaudiū & pellit timorē, *Septimum chryſolitus*, ſeptimus articulus, pertinens ad humanitatē Chriſti eſt de Conceptione & Natiuitate eius ex virgine, cuius fides confortat naturā humanā in Conceptione Chriſti veri Dei & hominis, & valet contra timores nocturnos vitiorum eo quod nato Chriſto in noctis medio, *dixit Angelus paſtoribus nolite timere*. Luc. 2. Et ibidem ſubditur, *gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ideo ſignificatur per chryſolitum, qui confortat intellectum & per conſequens naturam humanam per intellectum ab aliis animalibus diſtinctā & pellit timores nocturnos. *Octauum beryllus*, octauus articulus eſt de paſſione Chriſti & morte eius, & ſepulturā, cuius fides inuictum reddidit in tribulationibus huius mundi. 1. Pet. 4. *Chriſto in cruce paſſo, & vos eadem cogitatione armamini*, ideo ſignificatur per beryllum qui cōtra lites inuictum reddit & mitem & benignum. *Nonum topaſius*, nonus articulus eſt de deſcenſione eius animæ ad inferos cuius fides valet contra pericula à dæmonibus inferenda, quia per hunc deſcenſum fuerunt ſpoliati & poteſtas eorum diminuta, ideo ſignificatur per topaſium qui valet contra iram & lunaticam paſſionem quæ frequenter per dæmones iratos excitantur vel augmētantur. *Decimum chryſopraſus*, decimus articulus eſt de Chriſti reſurrectione quæ eſt cauſa noſtræ reſurrectionis futuræ propter quod fides eius valet cōtra corruptionem corporis & animæ per peccatum carnale, nam omnis corruptio tolletur in reſurrectione, ideo ſignificatur per chryſopraſſum, qui valet contra lepram. *Vndecimum hyacinthus*, vndecimus articulus eſt de Chriſti aſcenſione ad cœlos in humanitate aſſumpta, cuius fides dat vigorem fidelibus, vt ipſum ſequantur tanquam membra eius, Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*, &c. Propter quod ſignificatur per hiacinthū, qui dat membris vigorem & ſalutiferum facit ſaporem. *Duodecimum Amethyſtus*, duodecimus articulus eſt de aduentu ad iudicium in quo apparebit Chriſtus in forma humanitatis glorioſa, cuius fides reddit hominē ſollicitum & vigilem vt in illo tremendo ac terribili iudicio de factis, dictis, cogitationibus ſuis poſſet reddere rationem, ideo ſignificatur per amethiſtum, qui facit vigilem & repellit malam cogitationem.

*Iaſpidis virtus & ſignificatio.* *Sapphiri virtus & ſignificatio.* *Calcedonii virtus & ſignificatio.* *Smaragdi virtus & ſignificatio.* *Sardonii virtus & ſignificatio.* *Sardii virtus & ſignificatio.* *Matt. 5.* *Chryſoliti virtus oſtenditur.* *Luc. 2.* *Berylli virtus & ſignificatio.* *Topaſii virtus & ſignificatio.* *Chryſopraſi virtus & ſignificatio.* *Iacinthi virtus & ſignificatio.* *Coloſſ. 3.* *Ametiſti virtus & ſignificatio.*

Chryſolitus eſt dictus à criſis quod eſt aurum, iſte lapis eſt auro ſimilis in colore & ſcintillas videtur emittere, qui conuenit articulo Conceptionis & Natiuitatis quando de diuitiis Trinitatis aurum pro redemptione humana attulit, quia nullus capax erat vt redimeret, qui etiam emiſit ſcintillas doctrinæ ſolidę. Beryllus in ſexangulari forma politus lucet quaſi, aqua ſole percuſſa viriditate ſimilis ſmaragdo, & eſt tantæ caliditatis vt etiam ardere faciat manum tenentis, quod conuenit articulo de paſſione Chriſti, ſcimus enim quod mors & paſſio per charitatem ardere faciunt meditantes. Topaſius quamuis ſit omnium colorum, principalem tamen habet colorem aureum & æthereum, & cum ſplendore ſolis tangitur, excedit gemmarum omnium claritatem, quod conuenit articulo deſcenſus in inferos, quando *lux orta eſt iuſtis & ſanctis corde lætitia*. Chryſopraſus eſt coloris purpurei aureis granulis diſtinctus. Et ideo dicitur chryſopraſus id eſt paſſim habēs aurum, quod conuenit articulo reſurrectionis, quando propter paſſionem Chriſtus reſurrexit honore ac gloria corona aurea coronatus. Hyacinthus cum aere mutatur in ſereno perſpicax, in nubilo obſcurus eſt, & conuenit articulo aſcenſionis, vbi poſt obſcuritatem miſeriæ in cæli ſerenitate relucet. Amethiſtus ſecundum Iſidorum purpureus eſt permixto colore violæ & roſæ, quaſdam flammas de ſe emittens, & facilis eſt ſculpturæ, & conuenit articulo aduentus ad iudicium quando Chriſtus cum paſſionis veſtigiis cum Apoſtolorum obedientia & Martyrum cœtu veniet, finalis ſententiæ flammas illuminatur, cui nullius oppoſitio vel reſiſtentia contradicet.

*Lapidum pretioſorum conuenientia cum dictis myſteriis.*

Et dvodecim portæ dvodecim margaritæ svnt per singvlas] ſupple portas. Licet autem margarita ſit nomen vnius ſpeciei, tamen hic & in pluribus locis ſacræ Scripturæ accipitur generaliter pro quolibet lapide pretioſo, quales autem ſint lapides pretioſi iſtarum duodecim portarum, non exprimitur propter quod probabiliter videtur quod ſint eiuſdem ſpeciei cum duodecim prædictis & etiā eiuſdem ſignificationis. *Et platea ciuitatis*, &c. Hic iam eſt expoſitum de quibus omnibus. Pſalm. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, &c. Vel plateæ ciuitatis ſunt ſimpliciores Eccleſiæ triumphantis, vt coniugati qui mundi ſunt à peccatis.

Vers 21

*Margarita aliquando ſumitur pro quocunque lapide pretioſo.*

*Pſal. 86.*

Et templvm non vidi in ea,] hic commendatur ciuitas ſuperna ex ſpiritus ſanctificatione, qui declaratur per ſincerum Dei cultum, pro cuius intellectu ſciendum eſt quod cultus Dei tempore veteris Teſtamenti fuit figuralis reſpectu cultus qui obſeruatur tempore noui. 1. Cor. *Omnia*

Vers. 22.

in

*in figura contingebant*. Ille cultus vero noui Teſtamenti eſt ſuo modo figuralis reſpectu cultus cæleſtis, nam militans eccleſia prout poteſt cæleſtia præconia repræſentat vt canit Eccleſia, ſupernæ matris gaudia repræſentat Eccleſia quæ repræſentatio fit in templo materiali. Et per corporalia obſequia. Status vero ſupernæ beatitudinis non eſt figuralis alicuius expectati vel non habiti. Nam clare ibi Deus videtur & principaliter habetur & veneratur, propter quod dicit beatus Ioannes *templum non vidi in ea*, quia Deus ibi non inuocatur per aliqua ſingularia. Sed in ſua præſentia, ideo ſubditur. *Dominus Deus omnipotens templum illius eſt & agnus.* Nam beati reficiuntur interius in aſpectu diuinitatis, & exterius in aſpectu humanitatis Chriſti, & ſic vtramque naturam colunt & adorant, inquantum humanitas eſt deitati coniuncta.

Et civitas non eget sole neqve lvna,] id eſt illuſtratione corporali. *Nam cla itas Dei*, &c.
Vers. 23. qua perfecte illuſtrantur electi.

Et ambvlabvnt gentes,] id eſt electi *in lumine eius*, nam omnia faciunt ex luſtratione Dei, *&*
Vers. 24. *reges terræ afferent gloriam ſuam in illam*, rex dicitur à regendo, omnia verò corporalia, & homines per homines ſanctos adminiſtrantur, & reguntur propter quod hic & in pluribus aliis ſacræ Scripturæ locis, reges terræ dicuntur Angeli: electis vero qui per eorum adminiſtrationem ad beatitudinem deducuntur, eorum gloria augmentatur.

*Quomodo gloria accidentalis Angelorum augetur.*

Et portæ eivs non clavdentvr per diem,] hic extollitur ſumma quietudo. Nam à tem- Vers 25.
pore paſſionis Chriſti per quam apertæ ſunt ianuæ cæli, manent & manebunt apertæ. Nam ibi ſtatim recipiuntur animæ purgatæ, quod ſignat pacis quietudinem quando ciuitas non clauditur contra hoſtes, dicitur autem tempus à dicta paſſione, quia tunc patribus in limbo detentis data fuit hodie gloria propter quod dixit Chriſtus latroni pendenti in cruce, *hodie mecum eris in paradiſo*. Luc. 23. *Nox enim* Luc. 23.
*non erit illic*, quaſi dicat, portæ de cætero non claudentur, quia dictum quod non claudentur per diem.

Et afferent,] ſcilicet Angeli, *gloriam & honorem gentium in illam*, modo prædicto, *nec intrabit in* Vers. 26.
*illam aliquod coinquinatum*, vitio carnis, *aut abominationem faciens*, id eſt peccatum contra naturam, *& mendacium* id eſt hypocriſim, quæ eſt mendacium in facto, & vt excludatur omne aliud peccatum ſubditur, *niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ*, id eſt in diuina Hypocrita mendax.
prædeſtinatione, ſic etiam dicitur liber agni, id eſt Chriſti, inquãtum eſt vnus Deus cum patre, nec mirum ibi enim eſt vt habetur Sap. 7. *Vapor virtutis Dei & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera*, & ideo, *nihil coinquinatum in illam concurrit, candor enim eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis & imago bonitatis illius*, cuius nos participes efficiamur.

# SYNOPSIS CAPITIS VIGESIMI SECVNDI.

*Lignum vitæ fluuio aquæ viuæ irrigatum ſingulis menſibus reddit fructum ſuum, nec maledictum, nec vlla nox eſt in ciuitate: Angelus autem que hæc cito ventura Ioanni oſtendebat, non vult ab eo adorari dicitque iuſtos in ciuitatem intraturos, impios autem foras eiiciendos: denique commendat ſuam Apocalypſim, acerriméque comminatur, neque illi quidquam, vel addere, vel detrahere quis præſumat.*

## CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM

1. Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei & Agni.

2. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni, ad ſanitatem Gentium.

3. Et omne maledictum non erit amplius, ſed ſedes Dei, & Agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi.

4. Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.

5. Et nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

6. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſsima ſunt, & vera Et Dominus Deus ſpirituum prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis, quæ oportet fieri cito.

7. Et ecce venio velociter: Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius.

8. Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc: & poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.

9. Et dixit mihi: Vide ne feceris: con-

m ſer

ſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora.

10. Et dicit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope eſt.

11. Et qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.

12. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

13. Ego ſum *Alpha*, & *Omega*, primus & nouiſsimus, principium, & finis.

14 Beati, qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.

16. Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina.

17. Et ſpiritus & ſponſa dicunt: Veni: & qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.

18. Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

19. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

20. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine Ieſu.

21. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

---

# EXPOSITIO VIGESIMI SECVNDI CAPITIS.

VERS. I.

ET OSTENDIT MIHI Poſtquam deſcripta eſt renouatio creaturarum, deſcribitur habitatio cælicolarum & cõtinuatur ſic, poſtquam commendauit beatus Ioannes illam à permanentia firmitatis, hic illam commendat ab affluentia vbertatis. Et diuiditur in duas, Prima eſt cæleſtis conuiuij, ſecunda eſt exercitij conuiuarum. Quoad primum ſciendum eſt, quod refectio bonorum intelligitur à nobis per ſimilitudinem corporalium: ad refectionem vero corporis duo requiruntur, ſcilicet cibus, & potus. Et ideo primo de potu perſequitur dicens. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ*, per quem intelligitur Spiritus ſanctus. Vnde Ioan. 7. *Qui credit in me ſicut* dicit ſcriptura *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ* quod exponens Euangeliſta dicit, & ſubdit. *Hic autem dicit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum*, ſpiritus autem ſanctus cui appropriatur bonitas, & ſuauitas reficit bonos per modum dulcis potus. Ideo ſignatur per fluuium aquæ viuæ, id eſt dantis vitam gloriæ.

*Ad refectionem, duo requiruntur, cibus & potus.*

*Ioan.7.*

*Spiritui ſancto bonitas appropriatur.*

SPLENDIDVM TANQVAM CRISTALLVM] ratione perpetuationis, cryſtallus enim eſt lapis fulgidus claritate, frigidus qualitate, ſolidus firmitate, limpidus claritate, & eſt illud flumen perſpicuum contemplatione, perpetuum quietatione, conſpicuum irrogatione, præcipuum oblectatione, Pſalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, *procedentem de ſede Dei Patris & Agni*, nam Spiritus ſanctus à Patre, Filioque procedit, Pſalm. 35. *Quoniam apud te eſt Spiritus vitæ.*

*Pſal.45.*

*Pſal. 35.*

VERS.2.

IN MEDIO PLATEÆ EIVS] ad reficiendum totum conſortium beatorum, & hic bene patet beatorum fœlicitas, *Oſtendit mihi fluuium*, fœlicitatis perẽnitas, *aquæ viuæ*, perennitas, perpetuitas *ſplendidum* præclaritatis ſtabilitas *tanquam cryſtallum*, ſtabilitatis tranquillitas, *procedentem de ſede Dei & Agni*, tranquillitatis ſecuritas *in medio*, ſecuritatis communis charitas; *plateæ eius* ſupra, *& vincẽti dabo edere de ligno*.

ET EX VTRAQVE PARTE FLVMINIS] id eſt hinc & inde *lignum vitæ*, id eſt Chriſtus qui ſecundum deitatem eſt vbique, ſicut & Spiritus ſanctus, *afferens fructus duodecim*. Qui etiam dicuntur fructus ſpiritus, Galat. 5. Nam indiuiſa ſunt opera Trinitatis, & per conſequens Filij & Spiritus ſancti, ſciendum tamen quod iſti fructus aliter habentur in via per gratiam, aliter in patria per gloriam, ſicut dictum eſt de quatuor virtutibus cardinalibus, capite præcedenti, ſicut ſunt actus viatoris & comprehenſoris.

*Galat. 5.*

*Opera Trinitatis ſunt indiuiſa.*

Primus ergo fructus vt dicitur, Galat. 5. eſt charitas, qui in patria eſt in Deum viſum totaliter per amorem transformari. Secundus eſt gaudium, qui eſt in Deo viſo delectari Tertius pax, id eſt in ipſo totaliter quietari. Quartus patientia, qui in via eſt in aduerſis non frangi, in patria vero, vbi nulla eſt aduerſitas, in Deo firmiter ſtabiliri. Quintus eſt benignitas, id eſt bona igneitas quæ eſt in beatis ad amorem proximi inflammari quantum ad affectum. Vnde in eis eſt vnus ardor cordium, vt habetur in proſa. Supernæ matris gaudia. Sextus eſt bonitas, id eſt diffuſio proprij boni ad proximum ſecundum effectum, nam bonum eſt ſui diffuſiuum: bonum autem vnius beati redundat in alterum, nam gaudet de alterius bono, ſicut de ſuo proprio. Septimus eſt longanimitas quæ eſt æquanimis expectatio boni futuri, animæ vero beatorum, & æquanimiter expectant gloriam corporum, & poſt reſurrectionem æquanimiter expectabunt perpetuitatem ſuæ beatitudinis. Octauus eſt manſuetudo, quæ in via eſt iræ moderatio, ſed in patria non habet locum ira quantum ad ſuum materiale quod eſt aſcenſio ſanguinis circa cor, ſed quantum ad ſuum formale, quod eſt appetitus iuſtæ vindictæ habet ibi locum, quia beati ibi punitionem appetunt obſtinatorum peccatorum ſecundum illud Pſalm. quadrageſimo ſeptimo. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*, &c. Et quoniam appetitus iſte moderatus eſt in bonis ſecundum regulam diuinæ iuſtitiæ. Ideo ſecundum hoc eſt ibi manſuetudo. Nonus eſt fides quæ ſi accipitur vt eſt virtus Theologica non eſt in patria cum ſit de non apparentibus, Hebræorum vndecimo. Sed ei in patria

*1. fructus Spiritus ſancti charitas.*

*2. gaudium.*

*3. pax.*

*4. patientia.*

*Sextus bonitas.*

*Septimus longanimitas.*

*Octauus manſuetudo.*

*Pſal.47.*

*Nonus fides. An fides remanebit*

*in patria.* tria ſuccedit viſio clara, ſi autem accipiatur fides pro fidelitate ſic eſt maximè in beatis. *Decimus modeſtia.* Decimus eſt modeſtia quæ excellenter eſt in patria, nam vires inferiores animæ ſunt omnino ſuperioribus ſubiectæ. *Vndecimus continentia.* Vndecimus eſt continentia, eſt autem continens qui concupiſcentias inordinatas patitur, ſed ab eis non deuincitur, ſed contra paſſiones ſe fortiter tenet, huiuſmodi vero concupiſcentiæ non ſunt in patria, propter quod non eſt ibi continentia, quantum ad concupiſcentias; pati tamen eſt ibi quantum ad non deuinci. *Duodecimus caſtitas.* Duodecimus eſt caſtitas quæ prout importat munditiam eſt in patria. Nam in ea non intrat aliquid coinquinatum, vt dictum eſt ſupra.

Per menses singvlos reddens frvctvm svvm.] Menſis apud Hebræos incipit à prima lunatione propter quod nouitatem deſignat per ſingulos intelligitur continuatio: & ſic per menſes ſingulos intelligitur æternitas huius fructus, quia ſemper manet in ſua nouitate & ſua duratione, & hoc modo dicitur Iſaiæ vltimo. *Erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato.*

Et folia ligni, ad sanitatem gen-
*Sap. 16.* tivm.] Sapientiæ decimo ſexto, *Non herba, neque malagma ſanauit eos*, &c. *Beatitudinis encomia.* Per folia intelliguntur verba, etiam ſecundum communem vſum loquendi, ergo folia ligni ſunt ad ſanitatem gentium. Nam per prædicationem Euangelij, & cæleſtis gaudij gentes per orbem conuerſæ ſunt, & diſpoſitæ ad illud conuiuium, vbi erit ſanitas ſine ægritudine, memoria ſine obliuione, ratio ſine errore, voluntas ſine perturbatione, impaſſibilitas ſine corruptione, claritas ſine obfuſcatione, ſatietas ſine eſurie, ſcientia ſine hæſitatione gaudium, ſine triſtitia, pax ſine timore, deſiderij complementum, laus ſine intermiſſione,
*Pſal. 33.* Pſalmo trigeſimo tertio, *Guſtate*, &c Pſalm. trigeſimo.
*Pſalm. 30.* *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti?* &c.

Vers. 3. Et omne maledictvm] poſtquam patuit cæleſtis conuiuij miniſterium epularum, ſequitur eiuſdem exercitium conuiuarum, vbi ſciendum, quod *In conuiuiis ſolent homines linguas ſuas ad blaſphemias relaxare.* in conuiuiis carnalibus ſolent homines relaxare linguas ſuas ad blaſphemias & conuitia propter quod diues epulo poſitus in inferno magis cruciabatur in lingua, Lucæ decimo ſexto, & Iob primo. *Cum tranſiſſent in orbem dies conuiuij filiorum Iob, mittebat ad illos, & ſanctificabat eos offerenſque holocauſta per ſingulos, dicebat ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*, id eſt maledixerint, vel blaſphemauerint, illud autem remouetur à cæleſti conuiuio.

Et omne maledictvm non erit in ea amplivs] ſed gratiarum actio, & vox laudis, *& ſedes Dei, & Agni in illa erunt*, nam ibi maxime relucet eorum maieſtas, Angeli ſancti, & Beati, *ſeruient illi*, exequendo quicquid placitum eſt ei.

Vers. 4. Et videbvnt faciem eivs] clare & aperte, *& nomen eius in frontibus eorum*, id eſt manifeſte parebit omnibus qui ſerui eius.

Vers. 5. Et vox vltra non erit, &c.] Hoc ſupra expoſitum eſt, hic tamen repetitur ad maiorem aſſertionem, & ampliorem mentis impreſſionem. Et quia ſeruire Deo regnare eſt, ſubditur, *Et regnabunt in ſæcula ſæculorum*, id eſt æternaliter à parte poſt, & bene tangitur in hac parte exceſſus benedictionis. *Et omne maledictum*, &c. amplexus inditionis, *& ſedes Dei & Agni* affectus conditionis, *& ſerui eius*, aſpectus contemplationis, *& lucebit facies eius*, titulus conſignationis. *& nomen eius in frontibus eorum.* Radius conſolationis, &c. Cumulus ſublimationis. *Et regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Danielis ſeptimo. Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni quæ eſt ſubter omne cœlum debetur populo ſanctorum altiſſimi, ſupra vigeſimo, regnabunt cum eo mille annis, id eſt in æternum infinitum ponendo. Vers. 6.

Et dixit mihi hæc verba verba fidelissima.] Hæc eſt tertia pars principalis huius libri, & *Epilogus coarctatus de tribus.* continuat ſic. Poſtquam apparuit prologus valde gratus dialogus vel tractatus, hic ſubmittitur epilogus: & diuiditur in tres. Prima eſt dulcis commendatio ſanctorum, ſecunda breuis recitatio præſcriptorum *qui nocet*, tertia fortis confirmatio credendorum *conteſtor enim.* Item prima in duas, primo commendatur per clientulum ſpiritualem, ſecundo per diſcipulum virginalem. *Et ego Ioannes.* Item diuiditur in duas in teſtimonium ante miſſum, & patrocinium repromiſſum. *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ.*

Et dixit mihi] Angelus ſupple, *hæc verba*, à te præſcripta *fideliſſima, & vera ſunt.* Nam à prima veritate proceſſerunt. Matthæi quinto. *Iota vnum aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant*, &c. *Matt. 5.* Ideo ſubditur, *Et Dominus Deus ſpirituum prophetarum.* Lucet enim vnus Spiritus ſanctus, vt tangat mentes omnium prophetarum cum effectus eius multi & varij ſunt in mentibus ipſorum. *Miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis per Ioannem quæ oportet fieri cito*, quia ſunt præordinata à Deo, cuius ordinatio non poteſt fruſtrari.

Ecce venio velociter] ad ipſa implendum, in quo patet veritas hic reuelatorum, 2. Petr. Vers. 8. *2. Pet 1.*
1. *Non enim voluntate humana allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, &c. *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius* firmiter credendo, viriliter exequendo, Luc. 11. *Beati qui cuſtodiunt illud.* *Luc. 11.*

Vers. 9. Et ego Ioannes qvi avdivi, &c.] hic commendatur hæc ſcriptura per diſcipulum virginalem, & diuiditur in tres, in obſequium humilitatis, litigium firmitatis, *& dixit mihi vide ne feceris*, conſilium neceſſitatis, *& dixit mihi ne ſignaueris*, *Et ego Ioannes* qui ad huc viuens in terris, fui maior homine, par Angelis, propter quod renuit Angelus recipere reuerentiam, quamuis voluit exhibere, cum dicitur. *Ioannes Angelis comparatus.* *Et poſtquam audiſſem cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli* qui mihi hæc oſtendebat, &c. Vnde Auguſtinus. Angeli volunt nos ſacrificare, ſed ei cuius, & ipſi ſacrificium eſſe volunt, ſcilicet Dei, cuius æternitate firmi ſunt, & veritate certi, & munere ſancti, *& ego Ioannes*, qui mihi ſimili ſoleo vobis dicere, in quo eſt gratia, & ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis, Matth. 10. Simile, Daniel 10. *Audiui vocem ſermonum eius, & audiens, iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus terræ hærebat.* *Matth. 10.* *Dan. 10.* *Ezech. 2.* Ezech. ſecundo. *Vidi & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis*, &c.

Et dixit mihi, vide ne feceris] ſic dixit Petrus Cornelio, vt habetur, Actuum decimo, *Factum eſt cum intus eſſet Petrus obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit, ſed Petrus leuauit eum dicens. Ego ipſe homo ſum ſicut & tu.* *Angeli cur renuunt adorari ab hominibus.* Ideo dixit Angelus *conſeruus tuus ſum*, id eſt ſeruus illius Dei cuius & tu, *& fratrum tuorum prophetarum*, id eſt Prædicatorum. Dicit gloſa, *& eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius*, ſeruant dico memoriæ imprimendo, & opere adimplendo, cui ſimile habetur ſuperius. *Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dixit mihi vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu* Deum adora non me vel aliam creaturam, Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſeruies*, in ſcripturis neſcio *Matth. 4.* vtrum, vel facile poteſt inueniri aperte Angelos Deos dictos, ſed ſi omnino nunquam in diuinis eloquiis inuenitur, ea mihi promptiſſimè cauſa occurrit ne ab hominibus putarentur colendi.

Vers. 10. Et dixit mihi ne signaveris, &c.] Ibi tangitur conſilium neceſſitatis, *ne ſignaueris*, id eſt non

occultes omnino antidotum verborum propter quod in pluribus locis ponuntur aliqua ſatis plane, ex quibus aperitur via ſtudioſis, ad alia intelligenda, *Tempus enim prope eſt* ſupple implorationis præſcriptorum, & ſecundum gloſſam tempus prope eſt in quo oporteat acquirere fratres, veniet enim tempus, quo ingruente tribulatione, perſecutionem non poterunt fratres acquirere ſimilem, *Iſai.8.* Iſaiæ octauo. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis*, id eſt vt homines poſſunt intelligere, *Eccl 9.* Eccleſiaſt. nono. *Galat.8.* *Tempus prope eſt notatur intellectum.* *Quodcunque poteſt manus tua inſtanter operare*, ad Galat. octauo. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, vel tempus prope eſt, quo hic debent impleri, *1.Ioan.2.* primæ Ioannis ſecundo, *Filioli mei iam nouiſſima hora eſt*, *Iac.5.* *Iſa.46.* Iſa quinto, *Ecce Iudex in ianuis aſſiſtit*, & propter hoc oportet, vt electi ad Dominum conuertantur, Iſaiæ quadrageſimo ſexto, *Propè feci iuſtitiam meam, non elongatur, & ſalus mea non morabitur.*

*Verſ.11.* Qui nocet] ſequitur breuis recitatio præſcriptorum ſcilicet, diſtinctio viatorum, ſolutio meritorum, *ecce venio cito*, ſubſcriptio magnorum, *Ezech.23.* Ezechiel. 23. *quæ attrita eſt adulteris, nunc fornicabitur in fornicatione ſua* vel ſicut dicitur in gloſſa peccata puniuntur peccatis, iuſto Dei iudicio, patet ex præcedentibus, *Peccata peccatu puniuntur.* quod actum eſt de diſtinctione electorum & reproborum, ideo dicitur, *qui nocet* peccando contra proximum, *noceat adhuc*, id eſt nocebit, itaque ponitur hic optatiuum pro indicatiuo, & loquitur de reprobis præſcitis, qui moriuntur in peccato mortali, *& qui in ſordibus eſt* peccando in ſeipſum. *Sordeſcat adhuc*, id eſt ſordeſcet, *& iuſtus* rectè viuendo ad proximum *iuſtificetur adhuc*, id eſt iuſtificabitur, & loquitur de iuſtis prædeſtinatis, qui decedunt in gratia finali, *& ſanctus*, viuendo mundè ad ſeipſum. *Sanctificetur adhuc*, id eſt laboret vt ſanctior fiat, quia *Prou. 4.* ſcribitur, Prouerbiorum quarto, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, creſcit vſque ad perfectum diem.* Ad Philipp. tertio. *Sequor ſi quomodo comprehendam in quo & comprehenſus ſum.*

Poteſt hæc littera continuari ex præcedenti, cum dictum eſt, ne ſignaueris verba libri huius vt boni proficiant per doctrinam & mali excutere ſe nequeant per ignorantiam, ſed quia poteſt obiici Angelo in contrarium quod mali inde non corriguntur, immo deteriores efficiuntur, & ex hoc magis bonos perſequuntur propterea dicit Angelus non eſſe ex hoc ceſſandum, quia iuſtum eſt, vt mali ſordeſcant in peccatis, vt iuſtius puniantur, & etiam dum viuunt exerceant bonos, vt melius habeant, & iuſtius remunerentur, quaſi dicat. *Si mali non corriguntur, non ceſſandũ à correctione eorum.* Et ſi mali propter libri apertionem non eſſent bonos perſequi, nec reſiliant à ſordibus peccatorum, nihilominus tamen veritas debet prædicari, nam ex hoc proficiunt boni & manifeſtatur iuſtitia Dei.

*Verſ. 12.* Ecce venio cito] apparuit diſtinctio viatorum, ſequitur ſolutio meritorum, & primo agit, de bonorum retributione, de malorum proſtitutione. Foris autem canes. Dicit ergo, *Ecce* *Iſa. 51.* *venio cito*, vnde gloſſa vere tempus breue eſt. Iſa. 51. *Cito veniet gradiens ad aperiendum, & merces mea mecum eſt*, ad retribuendum, & dicit merces mea, quia quod homo facit meritorie hic à Deo *Phil.2.* *Iſa. 61.* *Eccleſ.11.* eſt. ad Philipp.2. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere*, & ſimile. Iſa.61. *Ecce ſaluator tuus venit: & merces eius cum eo.* & Eccleſ. 11. *Benedictio Dei in mercedem iuſti, feſtina reddere vnicuique ſecundum opera ſua*, hic dicitur quia vni plus, *Pſalm.61.* vni minus redditur ſecundum illud. Pſalm. *Duo hæc audiui quia poteſtas Dei eſt & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique*, &c. Cuius cauſam aſſignat dicens.

Ego svm Alpha et Omega,] id eſt *Verſ.13.* cauſa effectiua & finalis omnium ſicut Alpha eſt prima littera Græca & Omega vltima, *beati qui lauant ſtolas ſuas*, aquis pœnitentiæ in præſenti. *Pſal.6.* Pſalm. 6. *Vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ*, id eſt vt in futuro fruantur ipſo Chriſto, nam deitate reficiuntur beati interius, & eius humanitate exterius, *& per portas intrent in ciuitatem*, id eſt per obſeruationes mandatorum intrent ad vitam æternam, vel per portas, id eſt per fidem, ſpem, charitatem, portæ Hieruſalem ex ſapphiro, & ſmaragdo ædificantur, per ſmaragdum qui habet virorem excellentem ſignificatur fides, per ſapphirum opera fidei, ſapphirus enim percuſſus radiis ſolis ardentem emittit ſplendorem, & ſic faciunt opera meritoria ex fidei & gratia procedentia. Matt. 5. *Matt.5.* *Sic luceat lux veſtra.*

Foris avtem canes, id eſt guloſi & detractores contra bonos latrantes, *Verſ.15.* *Cane guloſus notatur.* *& venefici*, & inuidiæ veneno percuſſi & pleni, *& impudici*, ſeipſos inficientes, *& homicidæ*, corporales & ſpirituales vel poſt pœnitentiam ad vomitum redeuntes. 2. Pet. 2. *2. Pet.2.* *Contigit eis illud veri prouerbij canis reuerſus ad vomitum & ſus lota in volutabro luti, & idolis ſeruientes*, quod eſt peccatum contra Deum, *& omnis qui amat & facit mendacium*, ille amat mendacium qui delectatur mendacium proferendo, vel mendaces placabiliter audiendo, ſicut ſunt multi principes & prælati qui *Quis mẽdax.* libenter audiunt adulatores: ille autem facit mendacium qui illud inuenit vel inuentum ab aliis libenter diſcit, vt hiſtriones, adulatores, detractores. Sed hypocryta facit mendacium. Nam hypocriſis eſt *Hypocriſis mendacium in facto.* mendacium in facto. De primo, Sap. 1. *Qui mentitur occidit animam.* Prou. 29. *Princeps qui libenter au-* *Sap.1.* *Prou. 29.* *dit verba mendacij habebit omnes miniſtros impios*, tales erunt fortes expoſiti procellis pluuiarum & grandinum & turbinibus ventorum, ſecundum illud Exod. *Exod 9.* 9. *Grando & ignis mixta pariter ferebantur & percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumentum*, ſic patet ſolutio meritorum, quoniam peccatores foris ſtabunt, ſed ſicut habetur Matth. 7. *Qui facit volun-* *Matt. 7.* *tatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum*, cuius participes nos efficiat in ſecula ſeculorum. Amen.

Ego Iesvs misi Angelvm mevm testificari vobis hæc in ecclesiis, &c.] *Verſ.16.* Supra diuidebatur, contra illam partem. Qui nocet noceat adhuc, vbi poſtquam patuit dulcis commendatio ſecretorum, ponitur breuis recitatio prædictorum, & continuatur ſic. Poſtquam citata eſt diſtinctio viatorum, ſolutio meritorum, conſequenter hic ſubditur ſubſcriptio magnorum, *vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Matth. 18. *Matth.18.* Vt quis nolit credere teſtimonio Angeli aſſerentis hæc verba fideliſſima & vera ſunt, & teſtimonia diſcipuli perhibentis. Et ego Ioannes qui audiui & vidi. Hic ſaltem credatur auctoritate Dei & hominis Ieſu Chriſti. Et diuiditur in duas, quarum, prima, auctoritas delegantis, ſecunda ſonoritas minitantis, &c. Ideo dicit *& ego Ieſus*, redemptor & ſaluator omnium ſpes eorum, laborantium fortitudo, auxiliator, dulce ſolatium, triumphantium corona, & vnica ſpes, & lætitia omnium ciuium ſupernorum, inclyta proles Dei ſummi, fructuſque benedictus vteri virginalis, *Chriſti Domini encomia.* fons vberrimus omnium gratiarum, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.

Misi Angelvm mevm,] vt dominator omnium cæleſtium, terreſtrium & infernorum, *teſtificari vobis in eccleſiis*, per orbem vniuerſum ſupple punitionem malorum & præmiationem bonorum. Ecce quod veritas teſtificatur dicens. Ioan. 14. *Ego* *Ioan.14.* *ſum via, veritas, & vita*, qui eſt filius vnigenitus naturaliter, primogenitus æternaliter, genitus perſonaliter,

*Ego*

*Ego ſum radix & genus Dauid*, id eſt de radice Ieſſe
ſicut & Dauid, & de genere eius quantum ad huma-
Iſa. 11. nitatem, ſecundum quod dicitur. Iſa. 11. *Egredietur
virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet*,
Chriſtus Dominus ſtella ſplendida & matutina. &c. Qui flos eſt Chriſtus ſecundum ſenſum littera-
lem, ſicut rami florent beneficio radicis virorem
illis communicantis. Sic beati participant beatitu-
dinem per Chriſtum, *qui eſt ſtella ſplendida & matu-
tina*, quantum ad diuinitatem illuſtrans *Omnem ho-
minem venientem in hunc mundum*. Ioan. 1. *Splendida*
propter gloriæ claritatem, *matutina* propter perpe-
tuam nouitatem. *Ego ſum radix* vt principium crea-
tionis & medium, creationis præcedens ramos &
illis influens virtutem, *quoniam in ipſo viuimus,
Act. 17. mouemur, & ſumus*. Act. 17. *Et genus Dauid* quoad
conſortium conuerſationis. Matth. 22. *Quid vo-
bis videtur de Chriſto cuius filius eſt? dicunt, ei Da-
Matt. 22. uid*. Matth. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij
Matt. 1. Dauid*.

Stella ſplendida & matutina vt indicium directio-
nis & vt ſpeculum verificationis. Num. vigeſimo-
quarto. *Orietur ſtella ex Iacob & exſurget homo in Iſ-
Num. 24. rael*. Iſa. nono. *Populus qui ambulabat in tenebris vi-
Iſa. 9. dit lucem magnam*, ſupple in patria tenebras mun-
danæ miſeriæ & luctus & lucem diei perpetuæ in
iudicio inchoantem. Eccleſiaſt. 51. quaſi *Stella ma-
Eccl. 51. tutina in medio nebula*, & dabo illi ſtellam matu-
tinam, ecce quod in his deſcribitur, auctoritas
delegimus.

Verſ. 17. ET SPIRITVS ET SPONSA,] ſequitur ſo-
notitas minitantis, *dicunt veni*, & ſpiritus ſupple
ſanctus dixit Chriſto, *veni* ſupple, *ad iudicium*, &
ad iuſtos præmiandum, quod dupliciter poteſt in-
telligi, vno modo quia facit iuſtos hoc dicere, qui
præmiari deſiderant à iudice Chriſto, eo modo lo-
quendi quo dicitur. Ioannis octauo. *Spiritus poſtulat
Ioan. 5. pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt poſtulare
facit ſecundum omnes expoſitores catholicos, alio
modo, quia ſicut filius miſſus fuit in mundum à Pa-
Iſa. 48. tre & Spiritu ſancto ſicut in perſona eius dicitur. Iſa.
48. *Miſit me Dominus & ſpiritus eius*, ſic in aduentu
ad iudicium mittetur à Patre & Spiritu Sancto, *&
ſponſa*, id eſt eccleſia militans quæ deſiderat con-
iungi Eccleſiæ triumphanti quod fiet in iudicio
finali.

ET QVI AVDIT,] à ſpiritu per inſpiratio-
nem & ab eccleſia per prædicationem: dicat
deſiderando ſecundum aduentum Chriſti. Vnde
Luc. 21. Luc. 21. Dicit ſaluator loquens de eius aduentu ad
iudicium, *his autem fieri incipientibus leuate capita
veſtra*, id eſt exhilarate corda veſtra, vt exponit Gre-
gorius, *quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et qui
ſitit*, deſiderando gloriam, *veniat* per gratiam, *&
qui vult accipiat aquam vitæ*, id eſt gloriam quæ eſt
vita animæ gratis, nam habetur per Chriſti me-
ritum in baptiſmo dummodo non ponatur ob-
ſtaculum.

Ioan. 3. Alia littera habet ſponſus, id eſt Chriſtus Ioannis
Cant. 4. tertio. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*, & ſponſa, id eſt
eccleſia. Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*,
&c. *Dicunt veni*, dicit gloſſa ad notitiam huius libri
ſimile Sapient. 9. *Sapientia miſcuit vinum & poſuit
menſam. Et miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem,
& ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad
me, & inſipientibus locuta eſt, venite comedite panem
& bibite vinum quod miſcui vobis*, ſapientia, id eſt
filius Dei ſponſus Eccleſiæ militantis, mittit ancillas
ſuas, id eſt prædicatores, proponit menſam ſacræ
Scripturæ, miſcet vinum, id eſt intelligentiam ſcri-
pturarum quæ dicitur mixta propter ſenſus, hiſto-
ricos, allegoricos, anagogicos, tropologicos, vo-
care autem ad bibendum, eſt fideles inuitare ad in-
telligentiam veritatis ſcripturarum, *& qui audit*, id eſt
intelligit ſupra, *& qui habet aures audiendi audiat*, id
eſt intelligat & dicat alteri veni ad intelligendum ſi-
cut & ego intelligo quaſi dicat non abſcondat quod
intelligit ſed communicet aliis iuxta illud Sap. 6. Sap. 6.
*quam ſine fictione didici & ſine inuidia communico*, &c.
*Et qui ſitit veniat*, non enim datur reuelatio viſionis
niſi deſideranti. Dan. 9. *Ego veni vt indicarem tibi*, Dan. 9.
*quia vir deſideriorum es, qui ſitit* affectu, *veniat* affe-
ctu ad intelligendum cum profectu. Ioan. 7. *Si quis ſi-* Ioan. 7.
*tit veniat ad me & bibat*, & ne quis retrahatur pro-
pter addiſcendi vel intelligendi laborem dicit, *& qui
vult*, quaſi dicat ſola voluntas ſufficit, quia influen-
tia iſtius ſcientiæ eſt à Deo qui gratis dat ſecundum
illud Iacob. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia poſtu-* Iac. 1.
*let à Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat
& dabitur ei: poſtulet autem in fide nihil hæſitans & acci-
piat aquam vitæ*, de qua ſupra oſtendit mihi fluuium
aquæ viuæ. *gratis* gloſſa, in pretio meritorum: contra
ergo vita æterna non cadit ſub merito. Reſpondeo
concedendo conſequens, quantum ad radicem me-
riti quæ eſt gratia ſiue charitas, &c. Iſa. 55. *Omnes ſi-* Iſa. 55. Quomodo vita æterna cadat ſub merito.
*tientes venite ad aquas & qui non habetis argentum pro-
perate, emite & comedite*. Et ſtatim in eodem, ſequitur,
*venite emite abſque vlla commutatione vinum & lac*,
ſpiritualis enim intelligentia dicitur vinum, quia in-
ebriat, & lac, quia nutrit & cibat. *Conteſtor*. Iſta pars
ſupra diuidebatur contra iſtam *& dixit mihi, hæc ver-
ba fideliſſima & vera*, vbi incipit epilogus coar-
ctatus & continuatur ſic, poſtquam patuit dulcis
commendatio ſecretorum, breuis recitatio prædi-
ctorum, ſequitur finaliter fortis confirmatio creden-
dorum & diuiditur in quatuor, quorum primum
comminatio ſententiæ ferentis, ſecundum replicatio
ſcientiæ prohibentis, dicit qui teſtimonium, ter-
tium præſtolatio potentiæ decernentis veni Domi-
ne, quartum occupatio clementiæ diligentis, gratia
Domini noſtri. *Conteſtor*, quaſi dicat Angelus, Ieſus
Chriſtus, Trinitas, eccleſia, conteſtati ſunt mihi,
hoc opus commendando, illud & finaliter, *conteſtor*,
id eſt cum prædictis illud commendandum eſſe te-
ſtor, *omni audienti verba prophetiæ*, huius vel conte-
ſtor, id eſt ſub atteſtatione dico omni audienti, &c.
*Si quis appoſuerit ad hæc*, ſupple aliqua diſcrepantia
ſicut faciebant hæretici qui tempore illo addebant
aliqua diſcrepantia ab Euangelij veritate, & aliqua
diminuebant de eius veritate, dicens Chriſtum ante
Mariam non fuiſſe, per hoc tamen non interdi-
citur quando exponuntur aliqua quæ faciunt ad de-
lectationem & intelligentiam totius ſacræ Scri-
pturæ, & ſic fecerunt Doctores ſancti de quibus.
Eccleſiaſt. 24. *Qui elucidant me vitam æternam habe-* Ecclef. 24.
*bunt*.

Aliud enim eſt exponere aliud apponere, expone- Quomodo intelligitur ſi quis appoſuerit ad hæc &c.
re enim eſt extra ponere, id eſt manifeſtare extra quod
intra eſt, ſed qui apponit ponit aliud, ſcilicet quod
ibi non eſt. Ideo debet ſic intelligi. *Si quis appoſuit
ad hoc aliquid* contrarium vel aliud quod errorem in-
ducat, *apponet Deus ſuper illum plagas*, &c. Deuter. Deut. 2.
2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor neque au-
feretis ex eo*. Iſtæ plagæ apparuerunt. cap. 15. & 16.
de Angelis habentibus ſeptem phialas, id eſt ſeptem
plagas, &c. 17. de damnatione Antichriſti, & 18. &
19. in parte de damnatione Babilonis, & in 19. in fine
de damnatione diaboli propter hoc dicitur Eccleſiaſt. Eccl. 4.
3. *Non poſſumus eis quicquam addere vel auferre quæ
fecit Deus vt timeatis*.

ET SI QVIS DIMINVERIT AVFERET Verſ. 19.
DEVS PARTEM EIVS DE LIBRO VITÆ,]
ergo deleri poteſt qui ſcriptus eſt. Reſpondetur
concedendo de ſcriptis ibi, tantum ſecundum præ-
ſentem iuſtitiam. Iſa. 26. *Tollatur impius ne videat glo-
riam Dei*.

DICIT QVI TESTIMONIVM PERHIBET,] Verſ. 20.

ſcilicet Chriſtus,*etiam venio cito*, ad iudicium cuilibet in morte, nam qualis vnuſquiſque inuenitur in morte, talis præſentabitur in iudicio. Deut. qualis generaliter erit veniet coram omnibus ad iudicium in generali reſurrectione, hæc replicatio ſcientiæ perhibentis. Pſalm. 92. *Quia teſtimonia credibilia facta ſunt nimis*, & vult dicere Angelus vbi Ioan. Non ſolum ego ſed & Chriſtus anathematizat mecum omnes hanc prophetiam peruertentes, *amen*. Verbum eſt Apoſtoli confirmantis verba Domini, & ad impletionem eorum optantis veni Domine Ieſu.

Sequitur ſupplicatio potentiæ punientis vel corrigentis vel præſtolatio potentiæ decernentis, *veni*, ad puniendum illud ſcelus ſi contingat illud com-
Iſa. 35. mitti. Iſa. 35. *Ecce Deus noſter adducet retributionem vltionis, ipſe veniet & ſaluabit nos.*

VERS. 21. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, &c.] Gratia imperfecta in via & perfecta in gloria vel patria vt de eius plenitudine accipiamus gratiam, pro gratia eius. Ioan. 1. *Domini noſtri*, cum eſſet Dominus dedit ſe nobis vt per eum gratiam haberemus de quo ſupra 19. *Habet in veſtimento & fæmo-* Ab c 19.
*re ſuo ſcriptum Rex regum & Dominus dominantium*, Chriſti diuina virtus & potentia
Dominus cuius nunquam fallitur ſua prouidentia, cuius nunquam vincitur ſua omnipotentia, cuius nunquam flectitur ſua iuſtitia, cuius nunquam minuitur ſua ſufficientia. Iſa. 20. *Dominus legiſer noſter* Iſa. 20.
*Dominus rex noſter*, & quod ille Dominus ſit noſter, Iſa. 9.
patet Iſa. 9. *Filius datus eſt nobis*, propter quod in orationibus noſtris & obſecrationibus dicimus per Dominum noſtrum, quaſi dicentes quia noſter es. *Ieſu*, id eſt ſaluatoris. Act. 4. *Non eſt aliud nomen ſub* Act. 4.
*cœlo datum hominibus*. &c. *Chriſti*, id eſt vncti oleo miſericordiæ & charitatis. Cantic. primo. *Oleum effu-* Cant. 1.
*ſum nomen tuum.* Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me eò* Iſa. 61.
*quòd vnxit me ad annunciandum manſuetis, miſit me vt mederer contritis corde cum omnibus vobis*. Ecce charitas adoptantis qui cunctis fidelibus ſalutem exoptat.
1. Theſſ. 5. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum om-* 1. Theſſ. 5.
*nibus vobis.* Amen.

INDEX

# INDEX
# RERVM MEMORABILIVM
## *QVÆ IN*
## QVINTO TOMO
### *D. Bernardini continentur.*

### A

ABrahæ diebus completa ſunt ſeptem. 32
Acedia quid. 110
contra acediam exempla. ibid.
Acediæ effectus. ibid.
Acediæ ſpecies quot. ibid.
Adoranda eſt tantum vna deitas & quare. 100
Adorantis animus qualis debet eſſe. ibid.
Adorare quid. 78
Adoratio duplex mentalis & vocalis. 58
Adorationis mentalis & vocalis ſunt decem gradus. ibid.
Adorationis cultus & modus quis. 100
Adorationis fructus eſt interminabilis & quare. 101
Aduerſariorium contra Eccleſiam duplex conflictus. ibid.
Adulterium quid. 107
Æmulatio multiplex eſt. 34
Æternitas quid 6
Æternitatis reſpectu omne tempus eſt breue. 3
Affectuum diuerſitas poteſt dici prælium. 84
Afflictio non eſt danda afflicto. 15
Agnus dicitur Chriſtus & quare. 58
Alarum varia ſignificatio. 85
Alæ iuſtitiæ duæ ſunt & quæ. 85
Alleluya cantatum ab electis quid denotat. 120
Altare vnde dictum. 61
Altare eſt crux. 61.62
Altaria duo erant in tabernaculo Moyſi. 49
Altitudo Sathanæ quid. 24
Ambitio quid. 108
Amen quid interpretatur. 6
Amen tripliciter ſumitur. 33
Amethiſti virtus & ſignificatio. 131
Amor diuinus quid operatur. 22
Amor Chriſti omnibus rebus eſt præferendus. 84
Angeli dicuntur prædicatores & quare. 61
Angeli cur renuunt adorari ab hominibus. 174.d.1
Angeli dicunt nos fratres & quare. 84
Angeli dicuntur Patres veteris Teſtamenti. 42
Angeli quatuor vniuerſitatem dæmonum ſignificant. 52
Angeli deſignant Epiſcopos. 13
Angeli officium quale. ibid.
Angelorum gloria accidentalis quomodo augetur. 133
Angelus cur eſt prælatus. 30
Angelus magni conſilij eſt Chriſtus. 3
Angelus quis miſſus eſt ad Ioannem. ibid.
Anguli quatuor terræ reprobos deſignant. 53
Anima quid. 77
Anima inuitatur ad Dei familiare colloquium. 36
Anima ſopitis ſenſibus ad cœleſtium contemplationem eleuatur. 9
in Anima contemplante quatuor ſunt, ſcilicet contemplationis limpitudo, cordis humiliatio, carnis maceratio & intentionis rectitudo. 12
Animarum rectores deſignantur per Angelos. 13
Animæ ſanctorum hic & in præſenti viuunt. 125
Animæ ſanctorum non expectato vltimo iudicio viſione Dei fruuntur. ibid.
Animæ damnatorum in æternum cruciabuntur, & error Origenis. ibid.
Animæ damnatorum denuo corpora ſua informabunt. ibid.
Animæ gloria in corpus redundat. 128
Animæ clamor quid. 49
Animalia quatuor deſignant Euangeliſtas, prædicatores & prædicationem. 38
Antichriſti finis infœlix. 88
Antichriſti mira & tyrannica nominatio. 89
Antichriſti præcurſores ſunt ſimiles ſerpentibus. 69
Antichriſti ſectatores omnia ad libitum operabuntur. 88.90
Antichriſti mirabilia magna ad homines decipiendos. 89
Antichriſti imago loquetur & quomodo. ibid.
Antichriſti charactere vendentes notabuntur. ibid.
Antichriſti blaſphemiæ quæ. 88
Antichriſto cui Deus tantam poteſtatem permiſit. ibid.
Antichriſtum beſtia deſignat. ibid.
Antichriſtus quot annis regnabit. 75
Antichriſtus ex tribu Dan. 76
Antichriſtus hypocrita. ibid.
Antichriſtus , & eius Pſeudoprophetæ æternæ pœnæ ſunt deſtinati. 123
Antichriſtus purus homo & quomodo. 89
Antichriſtus varia habet nomina. ibid.
Antichriſtus eſt puteus malitiæ. 67
Antichriſtus quæ efficiet. 88
Antichriſtus eſt omnium peſſimus. 113
Antichriſtus finget ſe eſſe mortuum arte magica. 87
Antichriſtus ex tribu Dan naſcetur. 56
in Apocalypſi cur Ioannes nomen ſuum ponit. 4
Apocalypſim cur Ioãnes non ſuam eſſe dicit ſed Ieſu Chriſti. 2
Apocalypſis quomodo vocatur prophetica doctrina. 3
Apocalypſis reuelatio interpretatur. 2
Apoſtoli ſunt duces præcipui Eccleſiæ. 81
Apoſtolis eſt illuminata Eccleſia. ibid.
Apoſtolis quæ aſſignatæ prouinciæ ad prædicandum. 81
Aquila myſtice deſignat iuſtitiam. 84
Arca myſticè Chriſtum vel B Virginem deſignat. 79
Arcus myſtice quid deſignat. 146
Armagedon interpretatur mons furis. 109
Arrogantia quid. 108
Aſia duplex, ſcilicet maior & minor. 4
Auari proprietates. 125
Auaritia quid. 109
Auaritia per Euphratem deſignatur. ibid.
Auaritia eſt deteſtanda & quibus de cauſis. ibid.
Auaritiæ mala. ibid.
Auaritiæ tres ſpiritus immundi. ibid.
Auaritiæ damna quæ. 110
Auaritiæ tres ſunt ſpiritus immundi. 28
Audiens prædicationes tria debet habere, ſcilicet intelligere fideliter, retinere memoriter, complere efficaciter. 4
Aureola cur Virgini, Martyri, & Doctori. 92
Aurichalco cur inferiores qui ſunt in Eccleſia comparantur & non auro. 11

Autum

Aurum charitatem vel ſapientiam deſignat. 34
Azer interpretatur atrium vel beatus & ſignificat fidem vel ſpem. 56

B

Babylon cur miſere perit & damnatur. 150
Balaam vorator interpretatur. 21
Baptiſmus per mare deſignatur. 38
Beati cur ſancti cum moriuntur. 97
Beati quomodo participes Dei. 32
in beatis virtutes cardinales ſecundum quos actus ſunt. 131
in Beatis maxima concordia. 128.535
in Beatis quæ eximia reperiuntur. 128
in Beatitudine protectio diuina ſpecialiter relucet. 130
in Beatitudine quænam ſunt. 77
Beatitudinis deſcriptio. 59
Beatitudinis encomia. 173
Beatitudinis ſecuritas per murum intelligitur. 131
Beatitudo ex nouem laudatur. 130
Beatitudo tria operatur, ſcilicet illuminato intellectu inueſtigat, deuoto affectu ſuſtinet, & effectu adimplet. 3
Beatorum gloria quibus notatur. 121
Beatorum ſtatus quis. 125
Beniamin interpretatur filius dextræ & ſignificat perſeuerantiam. 57
Berilli virtus & ſignificatio. 132
Beſtia deſignat Antichriſtum. 88
Blaſphemiæ Antichriſti. ibid.
Bilibres tres hordei quid ſignificant. 48
Bilibris quid. ibid.
Boni per ſtellas deſignantur multiplici de cauſa. 51
Boni oppreſſio quid. 108
Bonitas Spiritui ſancto appropriatur. 172

C

Calcedonij virtus & ſignificatio. 132
Calculus deſignat corporis glorioſi impaſſibilitatem. 22
Candelabra aurea deſignant Eccleſias vel prædicatores. 10.
Candelabrum iuſtos myſtice deſignat. 75
Candor animi per lanam deſignatur & per niuem. 11
Canis guloſum denotat. 175
Canticum nouum de Maria quod & quale. 43
Canticum nouum erit poſt reſurrectionem. 91
Canticum Virginum quale erit. ibid.
Cantus Chriſti ſex vocibus conſtat. ibid.
Capilli deſignant ſanctos. 55
Caput Chriſtum denotat. ibid.
Carcer quid ſignificat. 19
Caro poteſt dici ſpelunca & qua de cauſa. 50
Caſtitas corporis & mentis debent eſſe ſinuicem. 92
Charitas per aurum ſignificatur. 34
Charitas per Manaſſem aut Nephtalim deſignatur. 56
Charitas dicitur multipliciter. 17
Charitas Chriſti eſt lignum vitæ. 18
Charitate ſublata omnis virtus nihil eſt. 17
Charitatis tres gradus. 19
Charitatis prærogatiua & encomia. 17
Charitatis quis progreſſus. 23
Chriſti ingreſſus in animam deſcriptio. 34
Chriſti amor omnibus rebus præferri debet. 84
Chriſti miſericordia quæ & quanta. 85
Chriſti poteſtas electis promittitur. 25
Chriſti dominium per quatuor probatur. 76
Chriſti laudes ad ſeptem dona Spiritus ſancti referuntur. 58
Chriſti Domini encomia. 175
Chriſtus Dominus ſtella ſplendida & matutina. 175
Chriſti diuina virtus & potentia. 177
Chriſti encomia 44
Chriſti ſanguis eſt medicina efficaciſſima 43
de Chriſti aduentu cur Scriptura loquitur in ſingulari, & non in plurali. 42
Chriſti varia eloquia. 6
Chriſti duplex aduentus. 6
Chriſti mors eſt cauſa reparationis. 13
Chriſti maieſtas quænam à D. Ioanne viſa. 12
Chriſti Domini maieſtas quæ. 7
Chriſti Cantus ſex vocibus conſtat. 92
Chriſti corpus eſt manna & qua de cauſa. 22
Chriſti deſcenſus qualis. 124
Chriſti deſcenſus fuit præmonſtratus. 71
Chriſti deſcenſus ad B. Virginem fuit copioſus. ibid.
Chriſti pedes ſunt prædicatores. 71.78
Chriſto quænam debentur. 88
Chriſto quænam Virgo eſt gratiſſima. 93
Chriſto triplex debetur corona, ſcilicet iudicialis ſententiæ, perſonalis excellentiæ & vniuerſalis præſidentiæ. 47
Chriſto multa debentur & quare. 58
Chriſto cur gloria & imperium. 6
in Chriſto tres naturæ. 130
in Chriſto duorum lapidum colores ſignificant duplicem naturam, ſcilicet diuinam & humanam. 17
Chriſtum quomodo pueri ſine baptiſmo decedentes videbunt. 7
Chriſtum quomodo reprobi poterunt videre. ibid.
Chriſtus eſt principium creationis, recreationis, & glorificationis. 32
Chriſtus eſt veritas. 33
Chriſtus eſt principium. ibid.
Chriſtus cur dicitur veritas. ibid.
Chriſtus eſt principium omnis creaturæ. ibid.
Chriſtus multifariam ingreditur conſcientiam. 35
Chriſtus Angelus magni conſilij. 3
Chriſtus eſt deſiderabilis ratione beneficij, & terribilis ratione extremi iudicij. 4
Chriſtus cur primogenitus mortuorum. 5
Chriſtus cur Princeps regum terræ. ibid.
quod Chriſtus dilexit nos prius, ideò ipſum diligere debemus & quare. ibid.
Chriſtus nos lauat quintuplici lauacro, ſcilicet ſalutaris gratiæ baptiſmatis regenerationis, pœnitentialis compunctionis, ſapientialis inſtructionis & pœnalis afflictionis. 6
Chriſtus ſanguine ſuo nos lauit ſex vicibus. 6
Chriſtus cur Leo dicitur in natiuitate, prædicatione, reſurrectione, & iudicio. 42
Chriſtus eſt de genere Dauid. ibid.
Chriſtus verum corpus habuit. 43
Chriſtus ſtat & occiſus eſt multis modis. ibid.
Chriſtus aſcendit ſuper omnem creaturam & multiplici ratione. 54
Chriſtus quale fuit ſignum in incarnatione, conuerſatione, miraculorum operatione, paſſione, reſurrectione, aſcenſione, Spiritus ſancti miſſione, & in omnium examinatione. 55
Chriſtus eſt mercator emptor & redemptor. 55
Chriſtus eſt ſtella matutina. 25
Chriſtus ſex virtutibus totum mundum illuminat, ſcilicet humilitate, mititate, charitate, largitate, innocentia, & patientia. ibid.
Chriſtus ad quid ſe dedit. 25
Chriſtus dicitur Angelus aſcendens ab ortu ſolis. 35
Chriſtus dicitur Angelus ob tria officia, ſcilicet prolocutoris, propugnatoris & mediatoris. 54
Chriſtus aſcendit ſuper carnem, ſuper mortem, & ſuper orbem. ibid.
Chriſtus quomodo aſcendit ab ortu ſolis. ibid.
Chriſtus habuit ſignum Dei viui. ibid.
Chriſtus cur dicitur ſimilis filio hominis. 10
Chriſtus cur veſtitus podere. ibid.
Chriſtus cur ſemper eſt in medio. ibid.
Chriſtus eſt primus & nouiſſimus. 13
Chriſtus eſt viuens & vita. ibid.
Chriſtus cur cicatrices retinuit in corpore. 7
Chriſtus quomodo principium & finis. 8
Chriſtus eſt omnipotens. ibid.
Chriſtus cur dicitur alpha & omega. ibid.
Chriſtus quomodo vicit mundum, carnem & dæmonia. 35
Chriſtus myſtice eſt cœli oſtium. 37
Chriſtus ſoli comparatur. 11
Chriſtus lucet triplici radio. ibid.
Chriſtus deſignatur per caput. 11
Chriſtus in medio temporum natus & cur. 55
Chriſtus tribus vicibus orauit, ſcilicet vt nobis à peccatis præteritis veniam, à præſentibus gratiam, & à futuris tutelam impetraret. 62
Chriſtus fuit legatus ad conſolationem Eccleſiæ & qua ratione. 71
Chriſtus deſcendit multifariam. ibid.
Chriſtus quo fine incarnatus. ibid.
Chriſtus eſt arca myſticè. 80
Chriſtus eſt templum myſtice per multa apertum & declaratum. 79
Chriſtus eſt Agnus mitiſſimus, manſuetiſſimus, victorioſiſſimus. 59
Chriſtus dicitur thuribulum. 61
Chriſtus eſt aduocatus noſter. 62
Chriſtus eſt Agnus mitiſſimus, manſuetiſſimus, virtuoſiſſimus, glorioſiſſimus & potentiſſimus. 113.554
Chriſtus dicitur ſedere, ſtare & ambulare quomodo. 91
Chriſtus cur dicitur ſimilis filio hominis. 97
Chriſtus ſepties ſanguine eſt aſperſus. 122
Chriſtus cur in primo aduentu dæmonem non ligauit in abyſſum inferni. 124
Chriſtus ſemper fuit pauper. 19
Chriſtus quibus redditur admirabilis. 88
Chriſtus liber vitæ. 126
Chriſtus eſt lapis pretioſus. 130
Chriſtus quomodo regnat in regno ſcripturæ, animæ & gloriæ. 78


Chriſtus

# Index rerum memorabilium.


Chriſtus bonis & malis quomodo apparebit in extremo iudicio. 7
Chriſtus quadruplici corona coronatus eſt, ſcilicet carnea, ſpinea, gemmea & aurea. 47
Chriſtus ab omni peccato immunis. 44
Chriſtus dicitur agnus & quare. 58
Chriſtus à culpa immunis. ibid.
Chriſtus ad quid venit in mundum. 23
Chryſoliti virtus & ſignificatio. 132
Chryſopraſi virtus & ſignificatio. ibid.
Ciuitas Paradiſi qualis. 32
Ciuitas mundi bona videtur mundi habitatoribus. 49
Clamor animæ quid. ibid.
Claues templi myſtici quæ. 79
Clauis Dauid eſt plenitudo ſcientiæ & ſapientiæ. 30
Clauis Dauid incarnatio Filij Dei dicitur. 17
Clauis Dauid dicitur gratia ſpiritualis. ibid.
Clauis multipliciter dicitur. ibid.
in Cœlo nec ſitis nec fames. 59
Cœlum myſticè dicitur ſacra Scriptura. 36
Cœlum & liber inuolutus myſtice quid ſignificant. 50
Cœlum deſignat myſticè ſolitudinem. 83
Cœlum ſcripturam myſtice deſignat 76
Cœna triplex myſticè, ſcilicet gratiæ, Euchariſtiæ & gloriæ. 35
Cœna Euchariſtiæ cur inſtituta. ibid.
Compaſſio per tribum Simeon deſignatur. 57
Confeſſio ſex requirit & quæ. 56
Conſcientiæ examen quotidie faciendum. 33
Conſilium quid. 34
Conſilium quinque commendant. ibid.
Conſilium quatuor attendit, ſcilicet facile, expediens, certum & tutum. 27
Coniunctio myſtica triplex, ſcilicet Dei & hominis, maternitatis & virginitatis, fidei & cordis humani. 43
Contemplatio per Iſſachar ſignificatur. 57
in Contemplatione quatuor requiruntur. 38
Contemptus quid. 108
Contentio quid. ibid.
Contritio per Ruben deſignatur. 56
Contritionis virtus quæ. ibid.
Contumelia quid. 107
Contumacia quid. ibid.
in Conuiuiis homines ſolent linguas ſuas ad blaſphemias relaxare. 173
Corona eſt proprie regum. 19
Corona triplex redditur animæ fideli ibid.
Corona quæ debetur obedientiæ, iuſtitiæ & patientiæ. ibid.
Corona dupliciter dicitur. 31
Corona bona quadruplex, ſcilicet ſpinea, lapidea, aurea & ſynderea. 32
Corona mala quadruplex. ibid.
Coronam accipere ab aliquo dicitur dupliciter. 31
Corporis glorioſi quatuor ſunt dotes. 22
Cornua ſeptem dæmonis deſignant myſtice ſeptem genera tentationum, vel reprobos vniuerſos. 82
Cornua regiam poteſtatem deſignant. 43
Crapula quid. 106
Creationis beneficium eſt maxima gratiarum actione dignum. 78
Cruce Domini plurima ſunt commutata. 76
in Cruce omnis ſcientia poteſt adipiſci. 54
Crucis encomia. 54
Crucis ſignum per Thau repræſentatur. 67
Crucis virtus quæ. ibid.
Crucis encomia. 76
Crux ex quibus lignis eſt compoſita. ibid.
Crux Chriſti dicitur clauis. 30
Crux eſt altare. 61
Crux eſt ſignum Dei viui. 53
Cuſtos quatuor vigilias debet obſeruare. 27
Cythara eſt mortificationis typus. 43. 92

D

Damnatio æterna eſt vinum mixtum. 95
Damnatorum pœnæ quæ. 71
ex Dan tribu naſcetur Antichriſtus & quare non fit mentio duodecim millium ſignatorum. 56
Dæmon æreus dicitur & cur. 106
Dæmones vniuerſi per quatuor Angelos ſignificantur. 52
Dæmones comparantur ranis & quare. 105
Dæmones an præſint hominibus. 98
Dæmonis deſcriptio myſtica quæ. 82
Dæmonis cornua ſeptem deſignant myſtice ſeptem, genera tentationum vel vniuerſos reprobos. ibid.
Dæmonis malitia quæ. 84
Dæmonis plura nomina. 124
Dæmonum inuidia quæ aduerſus homines. 83
Decalogi præceptorum expoſitio. 86
Decalogus quid & vnde. 85
in Dei facie tria apparent, ſcilicet decor venerabilis, amor admirabilis, dulcor deſiderabilis. 12
Dei dextera quadruplex dicitur eſſe. 12
Dei Filij nomen ob triplicem operationem innoteſcit. 16
Dei nomen eſt admirabile, & qua ratione. ibid.
Dei nomen eſt venerandum tripliciter. ibid.
Dei nomen eſt amabile & qua de cauſa. ibid.
Dei nomen eſt terribile & qua ratione. ibid.
Dei nomen eſt terribile quibus, & quibus vtile. 16
Dei mater mulier dicitur & quomodo. 85
Deitas vna tantum eſt adoranda. 100
Deo cur laus, gloria & virtus. 120
Deus procedit more medici. 16
Deus eſt ſcrutator cordium. 24
Deus retat multipliciter. 31
Deus flagellat hominem quinque de cauſis. 34
Deus ſedet in prælatis. 36
Deus quos amat caſtigat. 34
Deus ſpecialis protector Eccleſiæ. 70
cur Deus tanquam poteſtatem permittit Antichriſto. 88
Deus plura permittit exigentibus hominum peccatis. 89
Deus cur permittit malos. 98
Deus niſi ad nos venerit prius, ad eum venire non poſſumus. 130
Deus cur permittit impios exaltari. 118
Deus quomodo obdurat. 124
Deus quadraginta annos dedit ad pœnitendum & quadraginta dies dabit poſt mortem Antichriſti vſque ad iudicium. 60
Deprauatio quid. 109
Deſidia quid. 110
Deſcenſus Chriſti qualis. 124
Detractio filia inuidiæ. 108
Detractio quid. 109
Detractio gladius triceps. 108
Detractio comparatur ſerpenti. ibid.
Detractio vix emendatur. ibid.
Detractores ſunt ſcorpiones. 67
aduerſus Detractores qui de omnibus male iudicant quid dicitur. 47
Detractorum tria genera. 109
Deuotio dicitur phiala. 43
Dextera Dei dicitur eſſe quadruplex. 12
Diaboli ſedes inuidia. 108
Diaboli regnum ſunt inuidi. ibid.
Diabolus ipſa mors dicitur. 126
Diabolus regnat in mundo per quid. 77
Diabolus quomodo dicitur princeps huius mundi. ibid.
Diabolus dicitur mons & quare. 63
Diabolus dicitur ſtella. 67
Diabolus quomodo dicitur in terram cecidiſſe. ibid.
Diabolus quomodo rex dicitur 63
Diabolus cur triplici idiomate ſcribitur. 68
Diabolus quanto opus eſt melius tanto illud deſtruere conatur. 82
Diabolus per mortem deſignatur. 13
Diabolus auctor mortis. 48
Diabolus ante aduentum Chriſti potens erat, nunc debilis. 113
Diabolus conatur impedire prædicatores ne prædicent. 53
Diabolus tentat pluries ſecundum noſtras affectiones. 69
Diabolus nihil poteſt niſi cum permiſſu. 124
Diebus feſtis orationi præcipue vacandum. 9
Diei dominicæ prærogatiuæ. ibid.
Diei extremi iudicij terribilis deſcriptio. 94
Dies iudicij magnus vocatur. 105
Diſcordia quid. 107
Doctores ſtellis comparantur. 13
Doctores deſignantur per oculos. ibid.
Doctores ſoli comparantur. 67
Doctori cur aureola debetur. 92
Doctrina peruerſa eſt fumus inferni. 67
Doctrinæ falſæ ſuor inſipidæ. 76
Dolus quid. 110
Dominus Ieſus Angelus eſt magni conſilij & deſcribitur. 115
Dominus ſtat & pulſat ſex modis 34
Dominus regnat tripliciter, ſcilicet per potentiam, regiminis gubernationem, & per euacuationem omnis alterius poteſtatis. 119
Draco ſitit ſanguinem Elephantis & quo modo eum ſuggere nititur, myſtice quid deſignat. 82
Draco infernalis quomodo vincitur. ibid.
Draco habens ſeptem capita quid deſignat. 102

## E

EBrietas quid, eaque deteſtanda. 107
Eccleſia militans cœlo comparatur ob multa. 36
Eccleſia per mare deſignatur. 38
Eccleſia eſt thronus Dei. 43
Eccleſia eſt duodecim Apoſtolis illuſtrata. 81
Eccleſia monti Sion comparatur. 91
Eccleſia deſignatur per cœlum. 94
Eccleſiam mali tripliciter perſequentur. 106
Eccleſiam quatuor gentes conatæ ſunt expugnare. 87
contra Eccleſiam duplex aduerſariorum conflictus. ibid.
Eccleſiarum ſeptem numeratione quænam intelliguntur. 4
Eccleſiaſtico viro tria ſunt neceſſaria, ſcilicet natura, exercitium & diſciplina. 10
Eccleſiaſticorum quorundam luxus reprehenditur. 117
Eccleſiæ oblatio per quinque declaratur. 69
Eccleſiæ ſpecialis protector eſt Deus. ibid.
Eccleſiæ perſecutores principales principes qui, & quot. 87 102
Eccleſiæ deſcriptio. 81
Eccleſiæ duces præcipui ſunt Apoſtoli. ibid.
Eccleſiæ candelabris aureis deſignantur. 10 13
Eccleſiis ſeptem cur tantum ſcribit Ioannes. 4
*Ecce Agnus Dei*, &c. eius encomia. 43
Elatio quid. 108
Electi Dei per populum Iſraeliticum deſignantur. 56
Elementa omnia in melius mutabuntur in fine mundi. 127
Elementa duo conſumentur. 123
Elementa quomodo immutabuntur. ibid.
Epheſus interpretatur voluntas mea vel conſilium. 10
Epheſus eſt Eccleſia Metropolis Aſiæ. 15
ex Ephraim tribu cur non duodecim millia ſignati. 56
Epiſcopi per ſtellas denotantur & qua de cauſa. 11
Epiſcopi Angeli dicuntur & quare 13
Epiſcoporum munus eſt eleemoſynas dare & qui non facit fur eſt. 23
Epiſcopus qualis debet eſſe. 21
Equus albus myſticè quid deſignat. 45
Equus rufus myſtice quid deſignat. ibid.
Equus niger myſtice quid deſignat. 47
Equus pallidus myſtice quid deſignat. 49
Etymologiæ ſeptem Eccleſiarum quibus ſcribebat Diuus Ioannes varias Eccleſiæ prærogatiuas denotant. 10
Euangelia ſcripta ſunt Hebraicè, Græcè & Latinè. 68
Euangeliſtæ quatuor deſignantur per quatuor animalia Apocalypſeos. 38
Euangelium cur æternum dicitur. 94
Euchariſtia dicitur manna & qua ratione. 22
Euchariſtia Memoriale mirabilium Dei. 35
Euchariſtiæ efficacia. 18
ad Euchariſtiæ dignam ſumptionem quinque requiruntur. ibid.
Euchariſtiæ cœna cur inſtituta. 35
Euomi à Deo quid eſt. 33
Euphrates mundi amatores deſignat. 69
Euphrates deſignat auaritiam. 109
Euphrates creſcens vel frugifer vel puluerulentus interpretatur. ibid.
Excommunicatio non debet fieri ſine neceſſitate. 33
Exhortatio eſt duplex. ibid.
in Exordiis beneuolentia auditorum captanda. 2
Exordium quid. ibid.

## F

in FAcie Dei tria videntur, ſcilicet decor venerabilis, amor admirabilis, dulcor deſiderabilis. 12
Fecit nos regnum & ſacerdotes variè exponitur. 6
Fidei conditiones ſunt quatuor, ſcilicet quod ſit vera, firma, pura & ſyncera. 23
Fideles quomodo ſignantur. 55
Fidelitas triplex, ſcilicet diſpenſationis, dilectionis, & deſponſationis. 19
Fidelium multitudo eſt innumerabilis. 57
Fides per Aſer deſignatur. 56
Fides quî differt ab opinione & intellectu. 27
Fides quid. 23
Fides an remanebit in patria. 173
Fides ſine operibus eſt mortua. 23
Fides per opera cognoſcitur. ibid.
Filius Dei multis nominibus appellatur. 20
Filius Dei cur potius dicitur teſtis quam pater. 5
Finis mundi cur appellatur myſterium. 72
Fletus myſticus quatuor modis efficitur. 60
Fons ſpiritualis ſapientiæ eſt verbum 59
Fontes ſunt diuerſi ſecundum diuerſa merita. ibid.
ad Fontes quatuor requiruntur. ibid.
Fornicatio quid. 24. 107
Fornicatio eſt fugienda. 70
Fornicatio quadruplex. 24
Fornicationis incitamenta quæ. ibid.
Fornicationis indicia quæ. ibid.
Fornicationis damna quæ. ibid.
Fortitudo deſignatur per Zabulon 57
Fortitudo vt eſt donum Spiritus ſancti quî differt à fortitudine cardinali. 27
B. Franciſci pœnitentia & aliæ prærogatiuæ. 75
B. Franciſci cum Helia comparatio. ibid.
B. Franciſco datur ſingulare priuilegium. 22
Beato Franciſco quandonam nomen Chriſti eſt datum. ibid.
B. Franciſcus Martyr fuit per Chriſti & proximi compaſſionem. 20
B. Franciſcus eſt fidelis legatus. 55
Frater obligatur fratri ob rationes vndecim. 60
Fratres appellantur ab Angelis. 84
Fratris veri quæ conditiones. 9
Furor quid. 107

## G

GAbriel Angelus ſcripſit nomen Domini & quomodo. 120. 121
Gad ſuccinctus interpretatur & deſignat ſatisfactionem. 56
Gloria animæ in corpus redundat 128
Gloria accidentalis Angelorum quomodo augetur. 135
in Gloria beatorum eſt multitudo, magnitudo, longitudo & latitudo. 59
Gloria inanis quid. 108
Gloria beatorum quibus notatur. 120
God interpretatur tectum. 24
Gratia quid. 4
Gratia quotuplex. ibid.
Gratiarum actionis vtilitas. 78
Gratiarum actione maxima dignum creationis beneficium. ibid
Gratiarum actiones ſunt Deo maximæ agendæ. ibid.
Gratiæ amiſſio mors eſt animæ. 27
Gratiæ effectus qui. 35
Gula & luxuries ſe inuicem ſequuntur. 21
Gula quid. 106
Gula habet decem filias. ibid.
Gulæ mala quæ. 107
Guloſus denotatur per canem. 175

## H

HEbdomadæ quot completæ antequam Chriſtus pateretur. 44
Helias & Henoch cur inſepulti manebunt. 76. 77
Helias & Henoch reſurgent glorificati. ibid.
Helias & Henoch cur duo teſtes dicuntur. 75
Helias & Henoch quot annis prædicabunt in fine mundi. ibid.
Helias & Henoch ad quid ſunt reſeruati. 76
Helias & Henoch quomodo ab Antichriſto vincentur. ibid.
Helias Abbas tria ſuper omnia timebat & quæ. 4
Heliæ comparatur beatus Franciſcus. 76
Henoch & Helias à quibus commendantur. 75
Hierarchiæ Angelicæ quot & quales. 83
Homicidium quid. 107
Homini omnia famulantur. 78
Hominibus an præſint dæmones. 98
Hominum triplex ſtatus. 90
Homo figuratur vaſi figuli. 25
Homo eſt omnis creatura & cur. 38
Homo vacuus quis. 28
Hora mortis nihil incertius & cur. 4
Horam vltimam Deus voluit eſſe occultam & cur. 28
Hordeum quid. 47
Hordeum quid myſtice deſignat. 48
Humanitas Chriſti per thronum deſignatur. 5
Humanitas Chriſti ſoli comparatur. 11
Humilitas quid. 30
Humilitatis gradus duodecim. ibid.
Humilitatis triplex gradus. 29
Hypocrita lucet ſed non viuit. 26. 27
Hypocritarum finis peſſimus. 117
Hypocritæ quales. 48
Hypocritæ per equum pallidum deſignantur. 49
Hypocritæ deſcriptio. 68
Hypocriſis eſt mendacium. 133
Hypocriſis difficile cognoſcitur. 104
Hypocriſis quid. 108

Iacinthi

# Index rerum memorabilium.

## I


IAcinthi virtus & ſignificatio. 132
Iactantia arguenda quando mala. 54
Iaſpides virtutes & ſignificatio. 131
Iaſpis & eius proprietas. 57
Idolatria ceſſauit in aduentu Domini. 125
Ieſus interpretatur Saluator. 5
Ieſus encomia. ibid.
Ieſus eſt in medio Eccleſiarum. 15
Ieroboam fuit primus qui filios Iſrael induxit ad idololatriam. 56
Iezabel quæ fuit. 23
Ignauia quid. 110
Ignorantia non excuſat. 34
Imago Antichriſti loquetur & mouebitur quomodo. 90
Immoderantia quid. 106
Impatientia quid. 107
Impij fœlices ſunt & proſperi. 68
Impij equis ferocibus comparantur. ibid.
Impiorum concordia aduerſus iuſtos. ibid.
Impius cur Deus permittit exaltari. 118
Impius eſt carcer dæmonis. 125
Improuidentia quid. 110
Imprudentia quid. 107
Inabſtinentia quid. ibid.
Inceſtus quid. 107
Incircumſpectio quid. 110
Inferni deſcriptio. 96
Inferni miſeria quæ. 24
Infernus deſignat filios perditionis. 23
Infernus deſignatur per mare. 100
Ingratitudo quid. 108
Iniuria quid. 107
Inhoneſtas quid. ibid.
Inobedientia quid. 108
Inquietudo quid. 109
Inſolentia quid. 108
Inſulæ quæ mouebuntur quid myſtice deſignant. 50
Intellectus quid. 28
Intellectus duplex, ſcilicet practicus & ſpeculatiuus. 27
Intellectus qui differt ab opinione & fide. ibid.
Interfectio duplex. 47
Inuentio mali quid. 109
Inuerecundia quid. 107
Inuidia quid. 108
Inuidia dæmonum quæ aduerſus homines. 83
Inuidia quid. 109
Inuidia ſedes diaboli. 108
Inuidia ſibi ipſi infœlix. ibid.
ex Inuidia quæ mala procedunt. ibid.
Inuidia vnde. 109
Inuidiæ ſpecies quot. ibid.
Inuidiæ remedia quæ. ibid.
Ioannes cur Apocalypſim Ieſu Chriſti dicit non ſuam. 2
Ioannes interpretatur gratia. 128
Ioannes Euangeliſta comparatus Angelis. 135
Diuus Ioannes Euangeliſta aquila dicitur & cur. 38
Ioannes cur nomen ſuum ponit in Apocalypſi. 4
Ioannes cur cur ſcribit tantùm ſeptem Eccleſiis. ibid.
Ioannes quare pacem & gratiam deſiderat. ibid.
Ioannes varias oppugnat hæreſes. 5
Ioannes cur non debuit timere. 12
Ioannes raptus eſt in extaſi. 37
Ioannes quid vidit. 3
ad Ioannem quis Angelus eſt miſſus. ibid.
Ioanni plura ſunt manifeſtata vt aliis aperiret. ibid.
Ioannis triplex prærogatiua, ſcilicet præuia electione ſapientiæ infuſio, & fidelis acquiſitio. 3
Ioannis encomia. 4
Ioſeph augmentum interpretatur & deſignat ſapientiam. 57
Ira per mare deſignatur. 107
Ira duplex. ibid.
Ira quid. ibid.
Ira habet duodecim filias. ibid.
Iræ quinque ſunt mala. ibid.
Iridis generatio Mariam parientem & Chriſtum naſcentem ſignificat. 37
Iridis deſcriptio Virgini Mariæ accommodatur. ibid.
Iridis fructus Virgini Mariæ accommodatur. 37
Iris quid. 78
Iris ante iudicium per annos quadraginta non apparebit. ibid.
Iris myſtice eſt Virgo Maria. 37
Iris ſignificat Verbum carnem factum. ibid.
Iſraeliticus populus electos ſignificat. 56
Iſſachar interpretatur merces, & ſignificat contemplationem. 37
Iubilus eſt ineffabile gaudium. 22
Iudas interpretatur confeſſio. 56
Iudæis Deus dedit quadraginta annos. 60
Iudex Chriſtus quatuor ſeruabit & quæ. 79
Iudex ſupremus nullo modo flectetur. 7
Iudicare propriè dicitur quatuor modis. 97
Iudicare interpretatiuè dicitur quatuor modis. 98
Iudicare quis dicitur dupliciter, ſcilicet propriè & interpretatiuè. 35
Iudicia medicorum, Iuriſtarum, Aſtrologorum, & Theologorum ſunt ſæpe indirecta. 73
Iudicia Dei ſunt recta. 119
Iudicia Dei qualiter ſunt manifeſta. 111
Iudicia Dei quatuor. ibid.
Iudicij extremi deſcriptio. 94
Iudicij dies magnus vocatur & quare. 105
in Iudicio erit magnus terræ motus. 106
in Iudicio extremo qualis erit ſtupor & horror. 51
Iudicis ſententia erit inflexibilis. 116
Iudicium cur ſancti deſiderant. 97
Iudicium extremum timorem incutit. 7
Iudicium extremum quæ & quot ſigna præcedent. 67
Iudicium extremum timorem incutit. 95
Iudicium iniuſtum quid. 110
Iudicium multiplex. 111
Iuramentum Dei quid. 71
Iurare cur homines prohibentur. ibid.
Iurgia ſemper inter ſuperbos. 13
Iuſti affliguntur. 68
Iuſti victorias ſuas aſcribunt Deo, mali verò ſibi. 68
Iuſti per candelabrum deſignantur 75
Iuſti in fide mundi omnibus tandem dominabuntur. 123
Iuſti auibus comparantur habentibus ſex alas. 123
Iuſti tribulationes patiuntur. 3
Iuſti licet cadant reſurgunt. 83
Iuſtificationis ordo quis. 34
Iuſtitia myſtice deſignatur per aquilam. 84
Iuſtitiæ quæ debetur corona. 19
Iuſtorum præmium eſt inenarrabile. 75
Iuſtorum præmium quale erit. 96
Iuſtorum alæ ſex quænam. 122
Iuſtorum afflictio eſt impiorum exaltatio. 77
Iuſtos impij ferre non poſſunt. 78


## L


LAbor duplex, ſcilicet perſonalis & paſtoralis. 15
Labor perſonalis triplex, ſcilicet ſanctæ meditationis, veræ prædicationis & rectæ operationis. 16
Labor paſtoralis triplex, ſcilicet zelus in corrigendo, ſolertia in experiendo, perſeuerantia in tolerando. ibid.
Lachrymarum ſunt quatuor proprietates, ſcilicet quod ſint humidæ, calidæ, ſalſæ & amaræ 60
Lacus triplex, ſcilicet peccati, purgatorij & inferni. 98
Lætitiæ mundanæ comes eſt triſtitia. 116
Lana candorem deſignat. 12
Lana quid & vnde. ibid.
Laodicia interpretatur tribus amabilis. 10
Latrocinium quid. 110
Laus humana eſt mors virtutum. 28
Laus quid. 110
Lectus quid myſticè ſignificat. 24
Lectus malus eſt triplex. ibid.
Lectus bonus eſt triplex. ibid.
Legalia non debent obſeruari cum Euangelio. 25
Legere quomodo quis vtiliter debet. 18
Leo terret omnia animalia. 72
Leui interpretatur & deſignat opera conſiliorum. 57
Liber vitæ æternæ quis & qualis. 113
Liber vitæ Chriſtus. 116
Liber intus & foris ſcriptus multa ſignificat. 40.41
Liber inuolutus quid myſtice deſignat. 50
Liber ſignificat euangelicam prædicationem. 72
Liber moraliter eſt vita Chriſti. 73
Liber ſumitur quintupliciter in ſacra ſcriptura. 29
in Libro vitæ quinam ſcribuntur. 12
in Libro Chriſti quatuor legere debemus. 29
Libidinis maxima incommoda. 107
Locuſtæ repræſentant Pſeudoprophetas. 67
Lucifer alios præcipites ſecum duxit ad inferna. 82
Luna quid myſtice deſignat. 51
Luxuria & gula omnibus exponitur. 84
Luxuria cur maris nomine deſignatur. 107
Luxuria quid. ibid.
Luxuriæ mala. ibid

## M

MAgog deteſtatum interpretatur. 125
Mala tria à quibus petimus liberari, ſcilicet mundi, carnis & diaboli. 45
Mali plures quam boni. 69
Mali victorias ſibi attribuunt,non Deo. 68
Mali inuentio quid. 109
Mali licet non corrigantur non tamen ceſſandum à mali correctione. 136
Mali tripliciter Eccleſiam perſequentur. 106
Mali in corpore & anima puniuntur. 121
Malignitas quid. 107
Malitia quid. ibid.
Malorum congregatio ſathanæ quies. 20
Malos cur Deus permittit. 98
inter Malos magis æſtimatur quo quis magis peruerſus. 69
Manaſſe interpretatur obliuio vel natiuitas & deſignat ſapientiam. 57
Mancipium quid. 117
Mandata Domini ſunt viæ illius. 100
Manichæi error circa creationem rerum viſibilium & inuiſibilium. 72
Manna eſt corpus Chriſti & qua de cauſa. 22
Manſuetudinis tres gradus. 29
Manus Domini eſt auxiliatrix. 12
Manus Domini qualis. 73
Mare myſtice deſignat baptiſmum, mundum & infernum. 100
Mare myſtice deſignat baptiſmum, eccleſiam, pœnitentiam, & mundum. 38
Margarita quandoque ſumitur pro quolibet lapide pretioſo. 132
Maria V. deſignatur myſtice per iridem. 37
Maria V. dicitur virga. 74
Maria V. eſt area myſtice. 79
Maria V. fuit aurum duplici ſanctificatione. ibid.
B. Maria dici poteſt terra. 8
Martyri cur aureola debetur. ibid
Martyrium multiplex. 20
in medio cur Chriſtus dicitur ſemper eſſe. 10
Medium triplex, ſcilicet naturæ, colligantiæ & æquiparantiæ. 10
Medium ſeptiforme habet quælibet ſcientia. 94
in Memoriam Dei aliquid venire quomodo intelligitur. 106
Mendacium quid. 16
Mendacium triplex, ſcilicet pernicioſum, officioſum, & iocoſum. 16
Mendacium ſeptuplex. 92
Meremur ex gratia & ex Deo acceptante gloriam de condigno. 129
Meretrix magna deſignat falſitatem Antichriſti vel vanitatem mundanam. 111
ſecundum Merita diuerſa diuerſi ſunt fontes myſtice. 59
ad Meritum verum quæ requiruntur. 105
Michael cur ſolus exponitur præliari cum lucifero. 83
Michael præpoſitus Synagogæ & Eccleſiæ. ibid.
Michael quomodo nobis aſſiſtit. ibid.
Mirabilia Antichriſtus operabitur ad decipiendos homines. 89
Miraculum & mirabile qui differunt. 87
Miſeria multiplex. 33
Miſericordia Chriſti quæ & quanta. 85
in Monaſterio qui profecerunt cenſentur omnium optimi. 130
Mons deſignat diabolum & quare. 63
Montes & inſulæ quæ motæ ſunt quid myſtice deſignant. 50
Morte nihil certius & eius hora nihil incertius quare. 4
Mortis excogitatio eſt philoſophia ſumma. 111
Mors animæ duplex eſt. 19
Mors animæ in quibus aſſimilatur cum morte corporis. 20
Mors corporis in quinque lædit. ibid.
Mors animæ eſt abſentia Dei. ibid.
Mors ſecunda quæ & quare ſic dicitur. ibid.
Mors certa, illius hora incerta. 89
Mors peccatorum peſſima. 24
Mors Chriſti eſt cauſa reparationis. 13
Mors multipliciter dicitur. 96
Mulier eſt ſexus deceptiuus. 111
Mulier mundanorum vnitatem deſignat. 112
in Mulieres nimis ornatas increpatio. 113
Mulieris malæ incommoda & deſcriptio. 23
Mundi amatores Euphrati comparantur. 69
Mundi finis cur appellatur myſterium. 72
à Mundo quomodo recedendum. 82
Mundus per mare deſignatur. 38
Myſteria noſtræ fidei ſunt tria, ſcilicet incarnationis, paſſionis & reſurrectionis. 13
Myſterium cur appellatur finis mundi. 42

## N

NEgligentia quid. 110
Negotiatoris mali calamitas. 117
Nephtalim interpretatur habitatio vel altitudo, & ſignificat ſpem vel charitatem. 56.57
Nequitia quid. 107
Nicolaitæ à quo dicti & eorum hæreſis. 17
Nihil ſumitur priuatiue & quid ſignificat hoc in loco. 122
Nomen filij innoteſcit ob triplicem operationem, ſcilicet potentiæ, clementiæ, & iuſtitiæ. 16
Nomen Dei eſt admirabile & qua ratione. ibid.
Nomen Dei venerandum tripliciter. ibid.
Nomen Filij Dei eſt amabile & qua de cauſa. ibid.
Nomen Filij Dei eſt terribile & qua ratione. ibid.
Nomen Dei terribile quibus, & quibus vtile. ibid.
Nominatio Antichriſti mira & tyrannica. 89
Nomine Ieſu quinque deſignantur. 32
Nominis Ieſu virtus. ibid.
Nominis Chriſti dignitas. ibid.
Nominum Gog & Magog interpretatio. 125
Nubes quid & quomodo gignitur. 72
Numerus ſeptenarius myſtice quid. 32
Numerus ſeptenarius æternitatem deſignat. 43
Numerus quaternarius eſt maxime diuiſibilis. 52
Numerus centenarius continentiam deſignat. 55
vel deteſtationem peccatorum. ibid.
Numerus quadragenarius victoriam deſignat. ibid.
vel obſeruationem mandatorum. ibid.
Numerus duodecimus eſt primus numerus abundans. ibid.
Numerus ſenarius tribuitur creaturæ. 89
Numerus ternarius tribuitur diuinitati. ibid.
Numerus Antichriſti quis. 96

## O

OBediens verus quis. 17
Obedientiæ quæ debetur corona: 19
Oblatio Eccleſiæ per quinque declaratur. 68
Obſtinatio quid. 110
Obſtinatio eſt lorica ferrea. 68
Oculi animæ duo ſunt. 34
Oculi Domini ſunt prælati & quomodo. 23
Oculi denotant doctores. 11
Oleum myſtice quid deſignat. 48
Oleum & vinum lædere quid. ibid.
Oliua quid, & ad quid. 75
Opera plena & non plena quæ. 28
Opera Trinitatis ſunt indiuiſa. 134
in Operibus virtutum tepidi ſunt redarguendi. 16
Opus virtuoſum tria requirit, vt ſit informatum charitate, regulatum intentione, & perfectum fine, circumſtantiæ omiſſione. 4
Opinio qui differt ab intellectu & fide. 27
Oppreſſio boni quid. 109
Orbis deſignat reprobos propter multitudinem. 84
Orandum omni tempore. 39
Orans Deo loquitur, legenti verò Deus loquitur. 44
Oratio comparatur odori. 43
Oratio eſt incenſum. 62
de Oratione Dominica. 44.45
Orationis tres ſunt comites. 62
Orationis Dominicæ ſeptem petitiones myſtice quid deſignant. 45
de Orationis dignitate. 44
Origenis error de animarum liberatione ab inferis. 125
Oſtium cœli myſticè eſt Chriſtus. 36
Oſtium myſticè quotuplex. 35

## P

PAce nihil optabilius. 4
Pacem & gratiam cur deſiderat Ioannes. ibid.
Pacis deſcriptio. ibid.

Pax quotuplex. ibid.
Palma pœnitentiam deſignat ob quinque. 58
Paradiſi locus qualis. 82
Paradiſus eſt triplex. 18
Pardus quid & quos denotat. 87
in Paſſione Chriſti amor fuit ardentiſſimus. 13
in Paſſione Chriſti qualis fuit patiendi modus. ibid.
Paſſionis Chriſti fructus quis. ibid.
Paſtoris boni munia quæ. 23
Patiens quis verè. 16
Patientia mirabilis virtus. 31
Patientia quid. 16
Patientiæ conditiones quæ. ibid.
Patientiæ triplex pars. ibid.
Patientiæ quæ debetur corona. 19
Patientiæ encomia. 26
Patientiæ ſunt duodecim gradus quibus ad charitatem aſcenditur. 23
Patres veteris Teſtamenti Angeli dicuntur. 42
Patres veteris Teſtamenti Redemptionem nouerunt ſed modum non cognouerunt. ibid.
Patria cœleſtis terra dicitur quatuor modis. 116
Patriarcharum deſiderij cauſa multiplex. 41
Patriarchæ per zonam auream deſignantur. 12
Pauper ſemper fuit Chriſtus. 59
Pauper Chriſto conformatur. ibid.
qui Pauper quomodo diues. ibid.
Paupertas pretioſa eſt margarita. 57
Paupertas triplex eſt. 34
Paupertatis encomia. 19
Paupertatis encomia. 57
Peccans grauiter,punitur grauiter. 99
Peccat quis in aliquo,per illud debet puniri. 89
Peccata peccatis puniuntur. 136
Peccati notitia initium eſt ſalutis. 34
in peccatis remanere tria faciunt. 116
à Peccatis variis modis reuocamur. 6
Peccator eſt pauper & miſer, cæcus & nudus, 33
Peccator inſtar moralis lapidis. 118
Peccatoris miſeria maxima in Iuditio. 21
Peccatoris mors peſſima. 24
Peccatum nullum relinquitur impunitum. Ibid.
Peccatum eſt animæ diſformitas. 6
Pedes quid ſignificant. 11
Pedes deſignant inferiores qui ſunt in Eccleſia. ibid.
Pedes quid ſignificant myſticè. 71
Pedes Chriſti ſunt prædicatores. ibid.
Pecuniis omnia obediunt. 109
Pergamum interpretatur diuidens cornua eorum, vel diuiſio cornuum. 10
Periurium quid. 110
Perſecutio occulta periculoſior aperta. 47
Perſecutores Eccleſiæ qui, quot & quales. 87
Perſeuerantem tria probant, ſcilicet æternalis prædeſtinatio, temporalis gratificatio, & finalis glorificatio. 4
Perſeuerantia deſignatur per Beniamin. 57
Perſeuerantia quid. 16
ad Perſeuerantiam tria concurrunt. 57
Philadelphia interpretatur ſaluans hæreditatem domus. 10
Phiala multiplex eſt. 102
Phialæ aureæ intelligentias ſacræ Scripturæ deſignat. ibid.
Phialæ iræ Dei quid denotant. 99
Pœna æterna eſt ſeptiformis. 102
Pœna & tormentum malorum. 116
Pœna inferni quæ. 104
Pœna quibus prædicitur. ibid.
Pœnæ damnatorum quæ. 71.96.97
Pœnitentia per collyrium deſignatur. 14
Pœnitentia eſt magna virtus. 70
Pœnitentia quomodo ſuauiſſima eſt. 21
Pœnitentia per palmam deſignatur ob quinque. 58
Pœnitentia per mare deſignatur. 38
Pœnitentia eſt ſcutum & clypeus. 2.4
Pœnitentia quid. ibid.
Pœnitentia per lignum vitæ deſignatur. 18
ad Pœnitentiam quatuor requiruntur. 21
Pœnitentiæ effectus quinam ſunt. 28
Pœnitere de quibus debemus. 34
Poderis diuerſa ſignificatio. 12
Poderis quænam eſt veſtis. 10
Per quas portas patet ingreſſus ad felicitatem moraliter. 130
Portæ duodecim myſtice deſignant obſeruationem decalogi & duplex præceptum dilectionis. ibid.
Præcurſores Antichriſti ſimiles ſerpentibus. 69
Prædicandum eſt non ſolum voce ſed etiam ſcripto. 23
Prædicatio ſancta per quadruplicem ventum exprimitur. 52.53
Prædicatio ad quatuor tendit & quæ ſunt illa. 53
Prædicatio per ſolem deſignatur. 112
Prædicatio triplex, ſcilicet exhortatoria, conſolatoria, comminatoria. 123
Prædicatio aquæ comparatur. 16
Prædicatio quatuor animalibus deſignatur. 38
Prædicatio deſignatur per lignum vitæ. 18
Prędicatio euangelica per librum exprimitur. 72
in Prędicatione quid requiritur. 94
Prędicationes qui audit tria debet habere & quę. 4
Prędicationis efficacia quę. 11
Prędicator eſt Angelus. 104
Prędicator debet eſſe aquila. 65
Prędicator commendatur à pluribus. 94
Prędicator quot alis conſtare debet qui eſt Angelus. ibid.
Prędicator debet eſſe inſtar candelabri aurei. 10
Prędicatores dicuntur Angeli. 60
Prędicatores ſunt pedes Chriſti. 71
Prędicatores per quatuor animalia deſignantur. 38
Prędicatores diabolus conatur impedire ne prędicent. 53
in Prędicatione quatuor requiruntur. 38
in Prędicatore octo requiruntur. 65
Prędicatori tria ſunt neceſſaria & quę 4
Prędicatori quatuor neceſſaria, ſcilicet intelligentia, memoria, frequentia lectionis & diligentia executionis. 10
Prędicatoris officium quale. 93
Prędicatorum officium quale. 61
Prędicatores per tubas deſignantur. ibid.
Pręlati propter peccata ſubditorum puniuntur. 17
Prælati dicuntur ſtellę quadruplici ratione. 15
Prælati veri quę conditiones. ibid.
Pręlati ſunt oculi Domini & quomodo. 23
Pręlati quales debent eſſe. ibid.
Pręlati debent eſſe ſoles lucidi. 64
Prælati in quibus ſolent peccare. 26
Pręlati lęduntur & quibus. 23
Pręlati ſtellis comparantur & quare. 10
Pręlatio ad quid datur. 24
Pręlatis vincentibus ſeipſos quatuor dat Deus. 32
in Pręlatis Deus ſedet. 31
ex Pręlatis malis periculum in Eccleſia cadat. 21
Pręlato quid neceſſarium. 19
in Pręlato quatuor debent eſſe. 37
ad Pręlatos admonitio. 28
in Pręlatos malos inuectio. 17
Pręlatus debet eſſe columna quomodo. 32
Pręlatus debet eſſe Angelus. 15
Prælatus deſcribitur moraliter per Angelum. 72
Pręlatus cur Angelus nuncupatur. 30
Pręlatus ſanctus eſt vtilis. 31
Pręlatus virtutem nominum Chriſti debet habere. 20
Pręlatus debet eſſe Angelus. 62
Pręlatus debet ſe aliorum fratrem exiſtimare. 9
Prælium diuerſitas affectuum dici poteſt. 84
Pręmium iuſtorum quale. 96
Præmium iuſtorum eſt inenarrabile. 75
Præſumptio quid. 108
Præſumptuoſi redargutio. 58
Præteritum pro futuro quare vſurpatur. 6
Princeps quid. 5
Principes per ſolem deſignantur. 64
Prodigalitas quid. 107
Prophetæ quot modis à Spiritu ſancto tanguntur. 9
Prophetia quid. 3
Protectio diuina ſpecialiter relucet in beatitudine. 130
Prouinciæ quæ ſingulis Apoſtolis aſſignatæ ad prædicationem. 81
Pſeudoprophetæ ſimiles locuſtis. 67
Pueri ſine baptiſmo decedentes quomodo Chriſtum videbunt. 7
Pugna myſtice quadruplex. 77


## R


Rapina quid. 110
Rectitudo ſacræ Scripturæ quæ. 52
Redemptionis humanæ deſcriptio. 44
Regnum Dei. 78
Regnum myſtice triplex. ibid.
Religio myſtice deſignatur per ſignum magnum vel per mulierem. 82
Reprobi à ſanctis videbuntur in tormentis. 96
Reprobi cur in æternum damnabuntur. ibid.
Reprobi ſignificantur per quatuor terræ angulos. 52
Reprobi an ſcientias obliuiſcuntur in inferno. 11

Reprobi myſtice deſignantur per orbem. 84
Reprobi quomodo Chriſtum videre poterant. 7
Reprobi quare & quando plangent. 8
Reprobis quænam auferentur. 118
Reprobis cur ſtadium accommodatur. 98
Reproborum quantus dolor. 8
Reproborum tria ſunt genera. 110
Reſurrectio prima quænam. 114
de Reſurrectione Chriſti prædicatio cur per tonitruum deſignatur. 46
Reuelatio quid. 2
Reuelatio quibus innoteſcit. 3
Reuelatio vnde dicitur. 2
Rhomphæa quid. 18
Rhomphæa deſignat verbum Domini vel ſententiam iudiciariam vel ſacram Scripturam. 19
Ruben interpretatur filius viſionis & deſignat contritionem. 69

S

in Sacerdotes impudicos obiurgatio. 107
Sacramentum pro myſterio ſumitur. 13
Salutatio tria requirit & quæ. 4
Salutis initium notitia peccati. 32
Sancti quando petunt vindictam à Deo & quomodo. 49
Sancti videbunt reprobos in tormentis. 96
Sancti cur iudicium deſiderant. 97
Sancti aduerſitatibus probabuntur. 88
Sancti cur dicuntur ſtare ante thronum Dei. 58
Sancti lauant ſtolas ſuas. ibid.
Sancti per capillos deſignantur. 11
Sancti tribulationibus fiunt puriores. ibid.
Sancti auricalco comparantur. ibid.
Sancti cur nubes dicuntur. 6
Sanctos qui affligunt temporaliter, punientur æternaliter. 88
Saphiri virtus & ſignificatio. 132
Sapientia ex ſex conditionibus innoteſcit. 89
Sapientia in continendo eſt copioſa. 113
Sapientia eſt in communicando gratioſa. ibid.
Sapientia eſt in acquirendo ſtudioſa. ibid.
Sapientia quid. 27
Sapientia per aurum deſignatur. 34
Sapientiam veram quis inuenit. 90
Sapientiæ virtus & efficacia. 113
Sapientiæ vtilitates ſex ſunt. 90
Sardij virtus & ſignificatio. 132
Sardis principium pulchritudinis interpretatur. 10
Sardius lapis & eius proprietas. 35
Sardonij virtus & ſignificatio. 132
Sathanæ altitudo quid. 25
Sathanæ quies, malorum congregatio. 10
Sathanæ malitia quæ. 66
Satisfactionis virtus quæ. 56
Satisfactionis meritum quale. 18
Satisfactio deſignatur per tribum Gad. 56
Scientia omnis poteſt adipiſci in cruce. 54
Scientia quid. 27
Scientia qui differt à ſapientia. ibid.
Scientiæ munia quæ. ibid.
Scorpiones ſunt detractores. 67
Scriptura ſacra ſtateræ comparatur. 47
Sacra Scriptura myſticè per cœlum deſignatur. 36
Scriptura eſt myſticè cœlum. 76
Scripturæ ſacræ laudes. 29
Scripturæ ſacræ rectitudo quæ. 74
Sectatores Antichriſti omnia ad libitum operabuntur. 88. 89.
Sedes Angelorum per electos reſtituetur. 77
Segnities quid. 27
Seniores viginti quatuor ſignificant duodecim Patriarchas, & duodecim Apoſtolos. 37
Sententia Iudicis gladius dicitur eſſe. 21
Sententia Iudicis erit inflexibilis. 116
Serpentes ſignificant præcurſores Chriſti. 69
Serpenti comparatur detractor. 108
Seruire Deo regnare eſt. 3
Seruitij Dei effectus. 55
Seruus Dei quæ habere debet. ibid.
Sigilla ſeptem libri intus & foris ſcripti multa deſignant 41
Sigillum quid. 46
Sigillum deſignat ſacram Scripturam. ibid.
Sigillorum apertio ſtatum futurum deſignat. 46
Signa quæ & quot præcedent extremum iudicium. 6.7
Signum magnum myſtice Religioni, mulieri & Virgini Mariæ accommodari poteſt. 82
Signum quid. 81
Simeon audiens mœrorem interpretatur & compaſſionem ſignificat. 57
Sinceritas eſt amplectanda. 68
Sol deſignat prædicationem. 121
Sol myſtice quid deſignat. 51
Sol ſecundus pater planetarum à phyſicis dicitur. 135
Sol deſignat prælatos & principes. 64.65
Solis proprietates & effectus varij. 104. 105
Solitudo myſtice deſignatur per cœlum. 106
Solitudo triplex, ſcilicet mentis, religionis & mundi. 85
Smirna interpretatur canticum eorum. 10
Spes per Nephtalim vel aſer interpretatur. 56
Spiritui ſancto bonitas appropriatur. 134
Spiritus ſancti dona ſeptem ſtellis myſticè deſignantur. 15
Spiritus ſancti ſeptem ſunt dona. 27
Spiritus ſancti duodecim fructus. 134.135
Spiritus immundi tres ſunt auaritiæ. 105
Spiritus ſanctus quot modis tangit Spiritum Prophetarum. 9
Spiritus ſanctus vnus eſt in natura & multiplex in gratia. 8
Spiritus & ſtellæ quid ſignificant. 27
Stadium quid. 98
Stadium cur accommodatur reprobis. ibid.
Statera myſticè multiplex. 25
Statera ſacram Scripturam deſignat. 47
Stella matutina quid. 31
Stella poteſt dici diabolus. 67
Stella ſignificat obiectum beatificans. 25
Stella in Chriſto tria indicat. ibid.
Stella myſticè quid deſignat. 63. 64
Stella trium Regum in quinque ab aliis differt. 64
Stella Magis apparuit in ſignis in natiuitate Chriſti. ibid.
Stellæ myſtice deſignant clauſtrales, vel Angelos vel bonos. 51.52
Stellæ duodecim quid deſignant myſticè. 81
Stellæ cur factæ. 64
Stellæ in quinque ordinant totum mundum. ibid.
Stellis notantur Epiſcopi & qua de cauſa. 11
Stupor quid. 27
Stuprum quid. 107
Stola animæ texitur ex tribus filis, ſcilicet immediata viſione, conſummata dilectione & ſecura tenſione. 29
Stola corporis contexitur ex quatuor dotibus. ibid.
Stola animæ ſtella matutina. 25
Superbi deſcriptio. 67
Superbia per ſolem deſignatur. 108
Superbia quid. ibid.
Superbia habet duodecim filias. ibid.
Superbiæ incommoda. ibid.
Superbiæ ſigna. ibid.
Superbiæ quatuor ſunt ſpecies. 33
Superbiæ deſcenſus eſt humilitatis aſcenſus. 67
Superbus Deum & maiores non diligit. 108
Superbus vix pœnitet. ibid.
Suſurrium quid. 109
Synagoga ſathanæ quæ. 19
Sion deſignat myſtice Eccleſiam. 98

T

in Tabernaculo Moyſi erant duo altaria. 49
Tabernaculum quadruplex, ſcilicet regni triumphalis, clauſtri virginalis, templi materialis & lecti ſpiritualis. 128. 129
Templum quadruplex. 111. 112
Templum triplex. 75
Tempus quanto ſanctius tanto reuelationi magis idoneum. 9
Tempus accipitur multipliciter. 71
Tempus quodcunque breue reſpectu æternitatis. 3
Tentatio ad quid vtilis. 31
in Tentatione Deus eſt adiutor. ibid.
Tentat Deus homines multipliciter. 31
Tentationum ſunt ſeptem genera & quæ. 82
Tepidi in operibus virtutis ſunt arguendi. 17
Tepiditas quid. 110
Tepiditas, frigiditas, & caliditas quid ſignificant. 33
Terra poteſt dici B. Maria. 85
Terra quæ mouebitur in fine mundi quid myſtice deſignat. 50
Terræ motus magnus erit in iudicio. 106

# Index rerum memorabilium.


Terræ partes quatuor myſticè quid deſignant. 48
Teſtis cur potius filius Dei quam pater. 4
Thau ſignum crucis repræſentat. 67
Thronus Dei qualis. 38
Thronus Chriſti qualis. ibid.
Thronus Dei Eccleſia. 42
Thronus Chriſti humanitatem deſignat. 5
Thuribulum dicitur Chriſtus & cur aureum. 61
Thyatira interpretatur illuminata. 10
Timor quot modis dicitur. 12
Timor eſt multiplex. 100
Timor quid. 26
Timor quotuplex. 27
Timoris quatuor effectus. ibid.
Topaſij virtus & ſignificatio. 132
Tormenta quæ metuenda ſunt. 3
ex Tribu Dan & Ephraim non ſunt duodecim millia ſignati. 56
cur Tribus Iuda cæteris prior. ibid.
Tribulatio magna eſt triplex. 24
Tribulatione regnum Dei acquiritur. 9
in Tribulatione non eſt deficiendum. 102
Tribulationis quænam vtilitas. 3
Tribunus vnde dicitur. 50
Trinitatis opera ſunt indiuiſa. 172
Triſtitia eſt mundanæ lætitiæ comes. 116
Triticum quid. 47
Triticum myſtice quid deſignat. 48
Tubæ officium quale. 36
Tuba vnde dicta. 57

V

VÆ triplex quid deſignat. 64
Velamen ſeptuplex, ſcilicet obſcuritatis, incredulitatis ſymbolicæ proprietatis, præſentis calamitatis, Sacramentalis veritatis & velamen fiducialis ſecuritatis. 2
Ventus quadruplex prædicationem ſanctam inſinuat. 53
Verbi diuerſi ſunt reſpectus. 122
Verbi diuini efficacia. 11
Verbo incarnato omnia teſtimonium perhibent. 49
Verbum creatum quî differt à verbo increato. ibid.
Verbum diuinum gladio ex vtraque parte acuto comparatur. 11
Verbum caro factum per iridem deſignatur. 37
Verbum Dei quomodo ſeruari debet. 30
Verbum eſt cauſa exemplaris. 122
Verbum eſt duplex, ſcilicet perſonale & eſſentiale. 49
Verbum eſt caro factum. 3
Veritatis tres gradus. 29
Veſtibus plus deferetur quam virtutibus. 112
Veſtimenta qualia debent eſſe. 34
Veſtimentum byſſinum quid denotat. 120
Viæ Domini veræ & iuſtæ. 100
Viæ Domini ſunt mandata illius. ibid.
ad Victoriam perfectam tria requiruntur, ſcilicet militaris expeditio, familiaris conformatio, & exemplaris informatio. 47
Vigilandum cur. 28
Vigilantium tria ſunt genera. ibid.
Vigiliæ hominis ſunt quatuor. ibid.
Vincere quomodo debemus carnem, mundum & diabolum. 20
Vini mixti variæ expoſitiones. 95
Vinum mixtum damnatio æterna eſt. ibid.
Vinum & oleum lædere quomodo intelligitur. 47
Vinum myſtice quid deſignat. ibid.
Violentia quid. 109
Virga triplex, ſcilicet aurea, lignea & ferrea. 25
Virga multiplex. 75
Virga dicitur virgo glorioſa. ibid.
Virgines per ſeptem commendantur. 28
Virgini cur aureola debetur. 92
Virginis Mariæ encomia. 73
Virginitas à ſex conditionibus commendatur, ſcilicet à ſpirituali iucunditate, à perfecta integritate, à virtuoſa conformitate, ſingulari familiaritate, ab infallibili veritate, & à præcipua fœlicitate. 92
Virginitas eſt difficilis. 92
de Virginitate ſuperbire peius eſt quam Virginem non eſſe. 93
Virginitatem quatuor integrant & quæ ſunt illa. ibid.
Virginitatis encomia. 92
Virginum conſtantia quæ. 29
Virginum duodecim ſunt priuilegia. 93
Virginum canticum quale erit. 92
Virgo Maria myſtice deſignatur per ſignum magnum quod apparuit in cœlo. 82
Virgo quadruplici de cauſa nubi comparatur. 97
Virgo quænam eſt Chriſto acceptiſſima. 93
Virgo vera eſt habitaculum Spiritus ſancti. ibid.
Virgo quid conſiderare debet vt perſeueret. ibid.
Beata Virgo ſcripſit nomen Domini & quomodo. 121
Virtutes ſeptem Spiritus ſancti per ſeptem lampades deſignantur. ibid.
Viſio diuina eſt vita animarum. 116
Viſionis quatuor conditiones, ſcilicet perſona digna, locus idoneus, cauſa innocens & tempus conueniens. 8.9
Vita Chriſti moraliter eſt liber. 73
Vita æterna quomodo cadit ſub merito. 176
Vitæ perfectio in quo conſiſtit. 16
Vitia ſunt plagæ ſpirituales. 76
Viuens quî non differt à non viuente. 27
Voluntas ianua mortis & vitæ. 34
Voluptas videtur poculum aureum ſed eſt venenum. 112
Vomitus fit cauſa medicinæ. 33
Vox quî differt à verbo. 49
Vox prædicatoris quænam debet eſſe. 9
Vox qualiter dicitur viſibilis. 10
Vox ſpiritualis quî differt à corporali. 36
Vrſus quid & quos denotat. 87
Vſura quid. 110
Vſura multiplex. ibid.

Z

ZAbulon interpretatur habitaculum fortitudinis. 57
Zona aurea deſignat Patriarchas. 12


*F I N I S.*


ANT 1740822

C.66.

VIII
G 2